Bryson Library,
Teachers College,
New York

Ann. XVI. ROMAE, Mense Ianuario MCMXIII Num. I.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES

POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS EDITRIX ROMANA

Pretium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ANTE SOLVENDUM ET RECTO TRAMITE MITTENDUM

AD SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA — Via delle Coppelle, 35 — ROMA

SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA		IN ANGLIA	IN CANADA
apud	apud	apud	apud
Gebethner et Wolf	**" Kronika Rodzinna "**	**Burns and Oates**	**Libraire Granger Frères**
Varsaviae Polonorum	**Varsaviae Polonorum**	**London W.**	**Montreal**
Rakowskie Przedmiescie, 15	Krakowskie Przedmiescie, 6.	28, Orchard Street.	1699, Rue Notre-Dame

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Usum latini sermonis per orbem universum tuetur ac fovet

Itaque, latine omnino exarata, scripta edit, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, aut cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus alter ab altero differmis per commentarium eumdem explere desideria sua possit.

PRETIUM ANNUAE SUBNOTATIONIS EST:

In Italia libellarum 6;

ubique extra Italiam lib. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

ante solvendum et recto tramite mittendum **ad Societatem Editricem Romanam**

ROMA — VIA DELLE COPPELLE, 35 — ROMA

QUAE COMMENTARIUM POSSIDET NUNC ATQUE ADMINISTRAT.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA IN ANNUM MCMXIII

Pro Sociis singulis, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta in *Voce Urbis* per an. MCMXIII edita fuerint et a doctorum virorum collegio ad id constituto maxime commendata, *praemium erit argentei numismatis* ex iis, quae Pontificis Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda.

Pro Sociis qui *libellas octo* pretio subnotationis addiderint, delectus erit unius ex tabulis aere mirifice cusis, magnitudine cm. 118 × 84, gesta Costantini M. Imperatoris referentibus prouti in Vaticanis aedibus Raphaël Sanctius eiusque discipuli penicillo expresserunt. Tabulae reddunt: *Pugnam inter Constantinum et Maxentium; Visum Crucis; Constantini Baptismum; Constantini donationem Pontifici factam.* — Si quis omnes cupiat, mittat lib. 32.

Pro Sociis, iisque Sacerdotibus, qui *lib. quadraginta quattuor* miserint, *Vox Urbis gratuito conceditur;* ii enim *Novum Breviarium Romanum* habebunt, iuxta nuperas dispositiones reformatum, charta vere Indica in 16° (15 × 9) ab editrice Pont. domo Desclée et Soc. impressum, splendide ac solide ex pelle vulgo *zigrino* conglutinatum, foliorum sectione eleganter aurata; quod sane venale prostat lib. 44. — Quin imo simul cum Breviario gratuito etiam a praelaudata editrice domo « Proprium Dioecesis » cuiusque religabitur, si socius ipse miserit, aut emi iusserit, praemisso, uti par est, « Proprii » eiusdem pretio.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Ianuario MCMXIII. Num. I.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Praemia an. MCMXII sociis attributa.
Nonnullae Divi Thomae de iuvenum educatione sententiae singulares.
De Leone XIII P. M. commentarius.
Philologicae notae. De restituendis latinae linguae syllabis.
Iudicrae pupae.
Paroemiae sive Adagia. Pennas nido maiores extendere. — Nosce teipsum. — Ne quid nimis. — Nescimus quid serus vesper vehat. — Simia in purpura. — Asinus apud Cumanos. — Graculus inter Musas. — In eburnea vagina plumbeus gladius. — Currus bovem trahit.
Colloquia latina. Chartulae Lusoriae.
Vaticana pictura muralis de Constantini Imperatoris baptismo.
Ad novensiles altaris Ministros.
Acta Pontificia. SSmi. D. N. Pii Div. Prov. PP. X Epistola Encyclica ad Episcopos Germaniae de consociationibus opificum.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione S. Officii. — Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis. — Ex Congregatione de Religiosis.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones.
Annales. Annus MCMXII.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix; Ad Romam.

PRAEMIA AN. MCMXII
SOCIIS ATTRIBUTA

Sub exitum superioris mensis Decembris MCMXII coetus doctorum virorum, a *Voce Urbis* ad in constitutus, convenit ut praemia sociis illis adsignaret, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta per annum MCMXII in commentario edita, commendata maxime fuerint.

Quae quidem praemia *numismatum quattuor argenteorum* erant ex iis, quae Pontificis Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda.

Iudices vero, scriptis omnibus, quae ad rem conferrent, diligenti examini subiectis, duo tantum praemia tribuenda censuerunt, eaque clarissimis sociis:

PAULO RECANATESI

ob eius carmina per annum in commentario nostro vulgata, illudque praesertim quod *De studiis etymologicis* est inscriptum; atque

MARCO GALDI

qui tum carmina, tum soluta oratione scripta plura eaque valde probabilia nobis commisit. (1)

* * *

Dum egregiis viris ex animo gratulamur, ad palaestram nostram socios omnes iterum iterumque invitamus, in eorum memoriam revocantes, quo facilius ii in huiusmodi certamen allicerentur, quod ob latinitatis illum amorem, quem unice in animo comprehensum habemus, indiximus, fines nullos tum circa argumenta — (satis enim erit ea cum commentarii nostri indole congruere) — tum circa numismatum numerum, positos esse.

Fortem igitur animum quam plurimi adhibeant, ultroque accedant!

VOX URBIS.

(1) Cfr. in num. III: *Quadam animi inflammatione opus est in ingeniis artibus edocendis;* in num. VI: *Iohannes Pascoli;* in num. VII: *Putens desertus;* in num. X: *De poësi, quae dicitur aulica;* in num. XI: *Lusus poetici.*

NONNULLAE DIVI THOMAE
DE IUVENUM EDUCATIONE SENTENTIAE SINGULARES

Etsi Thomas Aquinas de educanda iuventute argumentum ex professo et, quidem in genere, non vocaverit in discussionem, omnia tamen principia passim protulit, imo exposuit, ex quibus enucleanda res est.

Horum principiorum nonnulla hîc, in *Voce Urbis*, reducendi in memoriam, data occasione, mens nobis est: unde pateat paedagogiam, adeo hodiedum decantatam, non esse disciplinam aut novam quoad principia, aut melius quam in temporibus anteactis informatam.

Unum hîc nos seligimus dictum Angelici prorsus aureum, atque summe attendendum, de correctionis arte et modo.

Iubet imprimis Angelicus disciplinam, imo et correctionem adhibendam esse, hac ductus ratione quod « iuvenum corpora fervent naturali calore, ex quo concitatur iuventus ad delectationes corporales ». (*Tit.* II, lec. I). Unde per disciplinam sunt refraenandi, ne nociva cupiant, salubria negligant.

Hoc quidem posito et supposito, mox admonet parentes ne in excessum exeant: et hoc est quod dicimus singulare principium. Etenim ita cum Paulo Apostolo: « *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros,* id est non nimis arcendo aut subiiciendo, quia talis provocatio non animat ad bonum. ». (*Eph. VI,*

lec. I). Et rursus : « *Nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant,* videlicet ut non fiant pusillanimes. Cuius ratio est quia homines retinent impressionem quam a pueritia habuerunt. Naturale autem est quod qui in servitute nutriuntur, semper sint pusillanimes; unde ratio est cuiusdam quare filii Israel non statim in Terram promissionis sunt perducti, quia fuerunt nutriti in servitute, et non habuissent audaciam contra inimicos pugnandi. Ios. XXXV, lec. IV : *Dicite pusillanimis : Confortamini et nolite timere* ». *(Coloss.* III, lec. IV).

Advertas, quaeso, hoc dictum solemnius et gravius : « Naturale est quod qui in servitute nutriuntur, semper sint pusillanimes ». Quae servitus non modo intelligenda est illa servitus legalis quam expunxit Ecclesia, sed servitus in genere dicta, qua quis non utitur, neque uti potest moraliter propriis mediis, propriaque, servatis servandis, autonomia. Unde male agunt magistri illi aut parentes qui, nedum foveant, promoveant et dirigant propriarum virium, imprimisque voluntatis, usum in iuvenibus, hunc tollunt et suffocant.

Quin potius iubet Aquinas ut proprio consilio iuvenes, iuxta modum suum, agant et decernant in plurimis, « quia prudentia acquiritur per exercitium. Quando ergo in iuventute se in bonis non occupant, sunt in senectute imprudentes. *Eccle.* XXV : *Quae in iuventute tua non congregasti quomodo in senectute tua invenies?* » *(Tit.* II, lec. I).

Quae doctrina de disciplinae nimietate fugienda summi nobis videtur in se momenti, atque ingenio Angelici prorsus digna.

Multi hac nostra aetate queruntur ubique inter bonos et honestos deficere energias, quas vocant, publicas, animum difficultates obeundi, opera grandiora aggrediendi ; lamentantur constantiam in principiis acceptis evanescere, vel etiam, proh dolor ! illos quos in pietate enutriverant sedulius, ad impietatem saepe saepius vergere : videant illi utrum homines istiusmodi, dum iuvenes essent, habitum serviendi, non autem ex voluntate agendi, in educationis modo contraxerint.

Ex praedicta igitur doctrina, experimentis ceterum undique comprobata, non omnino laudanda methodus et ratio illa est, qua iuvenes eo melius educati atque efformati iudicantur, quo penitius subiecti omni alienae voluntati dicuntur, istamque coeco passu sequuntur.

Huc adde ex istiusmodi methodo alteram ex hisce duabus consequentiis oriri, videlicet quod vel iuvenes illi qui nonnisi meram subiectionem didicerunt, eamdem grandiores facti retinent : tuncque etiam pessimis postmodum subiectionem suam exhibituri sunt plerumque ; vel illam ut absurdam inde iudicant ac reprobant, tuncque in licentiam omnimodam defluunt.

Neque inde, quod a te notatum iubeo, auctoritas aliquid detrimenti pati censenda erit, siquidem iuvenibus ab ipsamet auctoritate concedenda est illa congrua agendi sponte facultas.

***

At vero ulterius progreditur sanctus Thomas.

Ita quippe opusc. XVII, cap. III, pronuntiat : « Pueros expedit nutrire in his quae postmodum sunt observaturi, ut ad hoc horum habitus informetur... Totum in hoc consistit, quod aliqui a pueritia erudiantur in hoc quod per totam vitam debent servare. *Prov.* XXII : *Adolescens, iuxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea* ».

Licet hic agatur speciatim de educandis clericis, ratio tamen adducta ab auctore generalior est, ut patet tum ex se, tum ex relata *Proverbiorum* auctoritate.

Quae doctrina primo intuitu videtur sole clarior. Manifestum namque est omnem quamcumque educationem non esse nisi totius protractioris vitae praeparationem, et quidem non per dissimilitudinem, sed per similitudinem.

Pauci tamen sunt qui plenius intelligant atque in praxim deducant.

Ubi sane agitur de augenda membrorum vi atque flexibilitate, omnes plerumque, hacce imprimis aetate nostra, iudicant necessaria, vel saltem prorsus utilia gymnasticae artis, deambulationum, artis nauticae et ludorum exercitia. Et hoc quidem recte, licet satius in mentes revocandum iuvenibus foret primos parentes nostros creatos esse agricolas, unde optimum foret ad efformanda, iuxta naturae normas, membra, si agriculturae proh pudor ! operam aliquam navarent.

Ubi iterum perficiendus intellectus erit, omnes passim tenent illum qui doctus aliquando evadere cupit aut debet, studiis necessario vacaturum, ne ignarus remaneat. Inde in studia iuvenes incumbere iuxta indolem iubentur : ille scilicet qui doctior evadere vult, debet in iuventute sua intellectum studiis efformare, studiorum habitum contrahere, artem discere, etc.

Sed vero alia est in iuvene et homine facultas in hoc principalior, quod ex eadem omnium aliarum facultatum usus demum pendeat, voluntas nimirum, quae et ipsa ex iunioribus annis perficienda est, non solum in patiendo, sed et in agendo. Etenim « ad utramque virtutem, acquisitam videlicet et infusam, aliquid operatur operum assuetudo ; sed diversimode : nam virtutem quidem acquisitam causat; ad virtutem autem infusam disponit, et eam iam habitam conservat et promovet ». (1, 2ae, q. 92, a. 1).

Ubi inquiratur quidnam praestent nonnulli magistri ad efformandas iuvenum voluntates, vix responsionem quis inveniet sufficientem : vel si verbis assertam, factis tamen negatam invenies.

Id tamen reponunt, sat fore si iuvenes obedient, atque ubi recte obedierint, tunc postmodum per se acturos esse, atque proprias vires recte expansuros. Quae responsio nonnihil veri contineret si ab iuvenibus requireretur « rationabile obsequium », idest clare et perspicue consonum naturae « animalis rationalis » :

unde hanc rationem quasi suam propriam faceret ille: quum autem plerumque « sit pro ratione voluntas » hinc rebellant propter laesum suae « individualitatis » ius vel nonnisi exterius exequuntur, dum interius maledicunt. Hinc infelix illa quotidiana apud nostros iuvenes experientia.

Promovenda igitur, non extinguenda voluntas ; scilicet humano modo dirigenda. Perficienda, inquam, est habitibus per actus acquisitis : non quod omnia simul sibi liceant, non quidem independenter ab auctoritate ad quam dirigere pertinet, sed eo sensu quod quasi pedetentim, proprio marte atque sponte, concedente auctoritate, velle discat, simulque velle discrete, prudenter, constanter, iuxta rationis, aetatis, rerum statum.

Videant rursus illi quorum interest, utrum in hoc praestanda sufficienter praestiterint, utrum nonnihil sit in methodo forsan immutandum.

I. I. B.

DE LEONE XIII P. M.
COMMENTARIUS.

Scripturus breviter de rebus a Leone XIII P. M. mirifice gestis, haec paucula praenuncianda esse reputo. Temeritas enim esset, ne dicam peius, nec equidem venia digna, si quis explicare praesumeret quidquid vir immortalis in tam longa aetate peregit. Pius, munificus, eruditissimus, ac suprema potestate in terris perfunctus, Dei amorem et religionis studium sapientissime cum litteris coniunxit. Qui viridi ingenio pollens vel ad ultimam senectam, omnibus praelucens excelsi animi firmitate, multa eademque praeclara opera in vulgus edidit, quibus homines in vetere sanctaque religione retineret, et ea sermonis elegantia, ut, omnium sententia, nihil sit ultra quaerere. Idque si imprudens ego tentarem, haud immerito me Horatius carperet, qui Asinium olim suum

motum ex Metello consule civium
Bellique causas

tractantem monuit, et iocose pariterque graviter invitat, ut relictis altioribus carminibus, *quaerat modos leviore plectro.*

Atque adeo, candide lector, ego « periculosae plenum opus aleae » mihi ipse trepidantius timidiusque evitabo, et in medium parva ex multis quae vir ille sanctissimus navavit in medium referam. Scio equidem me haud omnia hîc persequi posse; sed propediem gravi quoque auctoritate « quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas ».

Mihi enim mens est atque voluntas parum de Leone XIII dicere, et quomodo, opitulante Deo, litterarum latinarum studiosissimus, Romanarum elegantiarum arbiter, aetatis suae longe nobilissimus habitus sit.

Haec ipsa enucleando, haud praeterire silentio potero. vel saltem delibare quae Ipse, vix, Deo auctore, Pontifex Maximus est renuntiatus, incredibili Christiani Nominis laetitia, gerenda sibi instituit. Namque mirum in modum consilio atque opere rem christianam auxit et firmavit. Eius enim exemplo et latinae litterae, pestilenti veluti sidere afflatae, ipso regnante, recreari quodammodo visae sunt et recenti decore illustrari:

Nisi vero tot aliae causae adstitissent nobis impedimento quominus Itali rebus suis prospicerent, quia nobis iter novum aperuit sapienterque munivit, ut in hoc quoque studiorum genere iterum primas inter gentes retulissent. Si operi impar ero, dicam: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

Haec raptim praefatus ad rem meam advenio.

I. — De nativitate et studiis Ioachimi Vincentii Pecci.

Paucis diebus a Pii IX P. M. obitu transactis, omnium magno Urbis gaudio, cunctis paene Cardinalium suffragiis, rite Pontifex Maximus Ioachimus Peccius solemniter designatur. Hic vero dies est decimus kalendas Martias an. MDCCCLXXVIII. Ipse vocari voluit Leo XIII in Leonis duodecimi obsequium, qui, quum brevi tempore antea regnaret, ad caelestia unice spectans, mortalia quaeque contemnens, potestatis dignitatem virtutibus cumulavit, quique nefarios praesertim homines occulto sacramento initiatos, tunc Italiae insidias struentes, ne ex tenebricosis latebris erumperent summopere exagitavit.

Nec Ioachimus Peccius repentinus homo erat suisque aequalibus ignotus. Imo aetate iam provectus, idemque Perusinorum Episcopus, singulari iam sapientia et virtutum laude, in omnium ore ferebatur. Multi quoque asserunt, Pius IX paucis ante diebus quam fato cederet, quum Ioachimus Peccius e latere eius discederet, ad suos conversum, dixisse: « En vobis Pontifex novus! »

Qui Carpineti in Volscis, postridie kal. Mart. MDCCCX ortus erat. Pater eius Ludovicus, antiqua ac generosa Senensi familia prognatus, curis publicis vacuus, perpetuo acceptam villam obtinuit coluitque. Sub externo dominatu, inter pueros nobiles est adscitus, qui, volente imperatore, stipendia vel invito animo mererent. Mox, everso regno, in patriam redux, immobilis fidei exemplar, nullis aulicis honoribus adlectus, Romam contendit, et ad paterna rura modicus se contulit. Diligens in primis satisque dives, fuit latinarum litterarum studiosus. Qui prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filios, quos ab Anna Prosperi uxore suscepit, domi erudivit. (1)

(1) Quam sapide, quam latine scriberet, tute ipse, lector, indicaveris ex inscriptione, quam in uxoris sepulcro, Romae, apud XL Martyrum posuit.

« Annae Alex. F. Prosperia, egenorum altrix, filiorum amantissima, domo Cora — femina veteris sanctitatis, frugi, munifica. H. S. E. quae omni matrisfamilias munere nitide et in exemplum perfuncta, decessit cum luctu bonorum Non. Aug. an. MDCCCXXIV. — Vixit dulcissime cum suis an. XL. m. VII d. XI. Ludovicus Peccius coniux cum liberis moerentibus mulieri rarissimae, incomparabili m. Posuit. Ave, anima candidissima, Te in pace.

Erat autem in puero Ioachimo Vincentio, praeter docilitatem ingenii summa suavitas oris atque vocis, ut non solum celeriter arriperet quae traderentur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re nobilis inter aequales ferebatur, clariusque citra invidiam exsplendescebat, ut omnibus iam de se non spem, sed fiduciam adferret. Sic ex domestica patris disciplina haud poenitendos fructus percepit.

Verum expletis primis litterarum studiis domi in sinuque matris, pater, qui eum ad maiora voeari cernebat, propulsatis bellorum periculis, adiuvante Deo, commodiorem scholam aptioremque suis est nactus. Galli enim, qui sub celeri Napoleonis I imperatoris dominatu Urbem tamdiu hostiliter obtinuerant, et ipsum Pontificem Max. Pium VII captivum Savonam apud Ligures in custodiam duxerant, omnia ad extremum casum traxerant. Roma, aerumnis eooperta atque in servile paene pistrinum detrusa, vix aliquam levamenti spem ab herili crudelitate habebat. Romanam sobolem in primis Patritii ad arma traductam longe videbant, in Urbe ab scholis abstinebant, ne puerorum animulae perfidis doctrinis erroribusque recentioribus inficerentur. Plerique beatiores in umbratili disciplina edocebantur, vel in privatas sodalium religiosorum aedes frequentiores itabant. Verum ex hac disciplina timidius adeo tradita atque secretis domibus retrusa, iam illa commoda in universam civitatem non proficiscebantur, quae ex publica litterarum schola profluxissent.

II. — Apud Viterbium perfectius litteris exornatur.

Sic res se Romae habebant, quum tandem anno millesimo octingentesimo quarto et decimo, non. kal. Iunias, restincto undique bellorum incendio, in pacatam Urbem, omnibus adclamantibus civibus, triumphans Pontifex Maximus invehitur. Rebus quae ad religionem spectant, brevi domi compositis, consilium fuit extemplo pro viribus, civitatis malis mederi, quae externo dominatu invaluerant, et puerorum institutioni in primis prospicere. Tunc Pontifex Max. nihil antiquius habuit, quam ut viros pietate insignes advocaret, quorum opera patrum religio incolumis servaretur, et Romana soboles iis actibus formaretur, quae ad humanitatem pertinent. Prae ceteris instaurare sodales, quibus a Iesu nomen est inditum, rite voluit, eisque pueros in spem regni edocendos instituendosque tradere. Quare Viterbii, quae urbs est Romae proxima, Collegium eis aperiri permisit, ad quod celerius frequentissimi undique ephebi advolarunt. Omnibus enim religio erat incolumem in primis pietatem vel a tenera aetatula servari.

Quo factum est ut Ludovicus Peccius, idoneum tempus ratus locumque, studiis filiorum obsequeretur, et Viterbium se contulit cum duobus pueris maioribus natu, eosque alacer sodalibus fidentissimus commisit. Vincentius, qui adhuc in matris obsequium hoc nomine usus est, etsi minor natu, primas tamen partes in schola facile referre incipit. Quod quidem generosi condiscipuli animo aequo ferebant. Quos vero consuetudine sua sic sibi subito devinxit, ut ex illo tempore nemo eis perpetuo fuerit carior. Nam praeter gratiam, quae iam in adoleseentulo magna erat, saepe ingenii virtute atque pietate omnibus praestabat. Carus itaque omnibus acceptusque, litteris latinis ad quas praesertim ferebatur, in exemplum enitebat. Huie et illa fortuita aderant omnia, quibus pueri honestari possunt; gratia scilicet vultus, voeis iucunditas, morum suavitas, memoria rerum et verborum plane singularis. Quo facto praeceptores de egregio alumno summa concipiebant, et ad unum summo studebant opere, ne tantae virtutis ignieuli in eo restinguerentur.

Saepe ex antiquae illius aetatis more, qui multis sane laudibus ferendus esset, in scholis inter alumnos ordinis superioris identidem fervida puerorum certamina exoriebantur, vel de re poetiea, vel de patriae historia, vel de studio sermonis populi romani purius excolendo. Quod quidem exercitium iuvenum utilitati maxime favere nemo est qui dubitet, eorumque mentem atque aemulationem omnino incitare. In poeticis autem ludis latinis noster semper facile princeps erat. Tanta quoque cura studia etiam italiea sequebatur, ut inter aequales, omnium sententia, scriptor haud inelegans haberetur.

Castior fluebat eius oratio, atque in expolita latinitate diserte maxime nitebat, quum in litteris etiam graecis haud mediocriter esset versatus. Omnes simul sentiebant Vincentium in latine scribendo modo Catullum referre, modo Tibullum; eiusque carmina haud iniucundo sententiarum eandore praesertim eommendabantur, et inaffectata illa stili simplicitate, ob quam omnibus probari consueverunt poetae, quos noster prae oculis habere videbatur, et quorum carmina ex suo ingenio nullo prorsus labore proficisci videntur.

Quibus rebus saepe in discipulis mira exoritur iueunditas, laudabilisque aemulatio. Eum uno verbo, citra invidiam, lepide summum poetam salutant, suarum scholarum ornamentum patriaeque lumen proxime pollieebantur.

Est hie loeus, ut in medium ad exemplum referam quae in honorem superioris sui cecinit, qui Vincentius Pavanus adpellabatur. Quae ingenuitas sermonis, quae verborum eonfidentia!

Nomine Vincenti, quo tu, Pavane, vocaris,
Parvulus atque infans Peccius ipse vocor.
Quas es virtutes magnas, Pavane, secutus,
Oh! utinam possem Peccius ipse sequi!

Illa vero iuvenilia poëseos exereitia omnino desiderantur et vix unum atque alterum e communi naufragio enatavit. Erant attamen parvulae ingenii significationes, seintillae quaedam virtutum scilieet, quae aliquando in incendium evasurae essent!

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

PHILOLOGICAE NOTAE

De restituendis linguae latinae syllabis.

A clarissimo socio nostro Iacobo Tasset accepimus, et libenter edimus, eum certiorem facientes iustas eius animadversiones ad illos, cuia proxime refert, trasmissas fuisse:

Dri. Iosepho Fornari, Commentarii *Vox Urbis* Moderatori salutem.

Litterarum comprehensione perversa vel syllabarum confusione, qua convulsa de suo loco ac demota consonans, cum vocali alia quam sua coniungitur, adulterari multis modis sonos videmus. Etenim attracta ad nasum vocalis, anatium saepe turpem imitatur gannitum. — Quare apud Francos «*sen* [*g*] per» et «requiesc*n* [*g*]*t* plerumque audies. — Verum ipsa consonans, vel spurio alterius litterae adversus *correptae* syllabae legem adiectu, vel asperrimo noctuae flatu, aut sibilo corrumpi solet. Ita: «Discite iustitiam moniti», dis*ch*ite iust*ts*iam; «tu régere imperio,» *rèdjere*.

Qua singularum syllabarum tabe corruere sermonem universum necesse est. Nam, quae adulterat confusio vocem, etiam sensum adimit. Non enim legendo: in mo-di-co fi-de-lis, bea-ti pa-ci-fi-ci; sed in mod-ic-o fid-el-is, beat-i pac-i-fic-i; *modum* et *fidem*, *pacem* et *facientes*, intelligis. Hae syllabae sensus certos, illae nullos menti afferunt. Sic contra Priscianum, innumerabilibus huiuscemodi exemplis, *syllabam latinam* plerumque *consonante* demonstratur *desinere*. (Cfr. Munro, *Grammar of Classical Latin*).

Falsam itaque litterarum comprehensionem et inde ortam consonarum corruptionem Gothi profecto, non patres Ecclesiae, non Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, doctissimi interpretes fidei intulerunt, qui Ciceronem, Catonemque auctores secuti, lingua sunt integra locuti.

Operis quippe absoluti innocens nulla fit mutatio. Arcenda profanae novitatis *Progressus* dicta ab amatoribus atque *Evolutio* idola. Verum enim Scipionum temporibus absolutam atque perfectam esse linguae latinae formam, docent Caesar, Sallustius et Cicero. Quam ipsi ante Christum ad transferendam Graecorum humanitatem adhibuere, eadem nos in civitate Dei utimur; nisi saepius inimicorum insidiis et perduellium vastationibus perturbemur.

Caveant ergo latinitatis praesides, et editores in primis Antiphonarii libri: *ne consona littera cum sequente vocali alia comprehendatur quam praecedente sua*.

Quam rogationem velim, si tibi videtur, ut ad magistratus Christianae Reipublicae tu proximus deferas.

Vale. Dabam die XIII Xbris 1912, Turnoduro in Gallia Senonia.

I. Tasset.

LUDICRAE PUPAE

Ad pueros, Bacchanalium tempore.

Quis furor est, pueri, dum Bacchanalia fervent,
Tot nugas passim stultitiasque sequi?
Et spectare leves ubi personata cachinnos
Futilibus gestit turba ciere modis?
Mentito hic gaudet spectantes fallere vultu,
Rexque salutari qui modo servus erat.
Ille hominis ferme sortem indignatus, iniquum
Se brutum simulans cornua utrinque gerit.
Sic vani studiis sectantes ludicra vanis,
Se produnt sanae mentis habere nihil.
Nil rigido metuunt immissas frigore tusses,
Morborum et tacite quod subit acre genus.
Heus procul hinc, pueri: potius succedite quo vos
Delectet risu spissa taberna levi.
Hic nempe in parvum sinuat se scena theatrum
Mobilis, et miscet plurima pupa iocos.
Haec venit imposito longe spectanda cucullo,
Et gibbi immenso tubere terga tument.
Altera, quae mento sese commendat adunco,
Et vente et bracca versicolore placet.
Sunt aliae, quarum nec dicere nomina possum;
Formaque dissimiles ingeniumque probat.
Quid? quod quaeque hominum simulans lepidissima gestus
Scit docili veros reddere voce sonos?
Et pede tunc ducunt agiles plaudente choreas,
Nunc dura impacto proelia fuste cient?
His ego, nam memini, puerili aetate trahebar,
Haud inerat penito in pectore cura prior.
Ignaris quin saepe fuit dolus utilis annis,
Ut vellem invisas discere litterulas,
Et Cicero haereret multusque in pollice Naso;
Omnis et officii sedulus ipse forem.
At si spectaclo improbulus prohibebar amico,
Quam gravis in meritum poena erat illa caput!
Profectura nihil iactans promissa, querelas
Pergebam et largas fundere lacrimulas.

H. N.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Pennas nido maiores extendere.

Translatum ab avium pullis, qui sic grandescunt, subnascentibus plumis, ut materno nido capi non possint, adhibuit Horatius hoc adagium in *Epistolis*, pro eo quod est rem fortunamque, quam mediocrem aut tenuem a maioribus acceperis, auctiorem reddere; quod quidem, si virtute fiat, summa laus est. En Horatii verba:

Me libertino natum patre et in tenui re
Maiores pennas nido extendisse loqueris,
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas.

Nosce teipsum.

Primum hoc erat trium illorum inter omnia sapientum apophthegmatum vel maxime celebratorum, quae, uti in *Charmide* testatur Plato, pro foribus templi Delphici ab Amphictyonibus inscripta, prouti digna deo visebantur. In quo quidem modestiae mediocritatisque commendatio est, ne nobis vel maiora vel etiam indigna sequamur. Nam hinc omnis vitae pestis oritur, quod sibi quisque blanditur, et, quantum aliis praeter aequum detrahit, tantum sibi sui amoris vitio praeter meritum tribuit. M. Tullius ad Quintum fratrem (l. III): « Et illud — inquit — (Nosce teipsum) noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus ». Ferebatur etiam apud Graecos senarius quidam inter sententias proverbiales, cuius sensus hic erat: « Ubique confert ut teipsum noveris ». Citatur a Nonio Marcello satyra quaedam Varronis de hoc argumento; et Ovidius *(De art. am.):*

Fama celebrata per orbem
Littera, cognosci quae sibi quemque iubet.

Qui quidem Ovidius hanc sententiam ad Pythagoram auctorem refert; dum Platonicus Socrates ab Apolline profectam arbitratur; Plato enim in *Phoedro:* « Nondum possum — ait — meipsum iuxta Delphicam inscriptionem cognoscere ».

Sunt qui ex Homero, tamquam Oceano, hanc quoque mutuo sumptam existiment, apud quem Hector, quum in reliquos omnes impetum faceret, tamen Aiacem ut se praestantiorem declinavit. — Diogenes Thaleti tribuit. Apud hunc Antisthenes Phemonoae ascribit; ceterum Chilonem usurpasse. Thales autem rogatus: « Quid est difficile? » respondit se ipsum nosse; « Quid facile? » alterum admonere.

Macrobius primo in Scipionis somnii commentario tradit, cuidam Delphicum oraculum consulenti, quonam itinere posset ad felicitatem pervenire, responsum ad hunc modum: « Si teipsum cognoveris ». Id autem oraculum redditum fuit Croeso, ut auctor est Xenophon in *Cyri Institutione.* Praeterea Demonax fertur, interrogatus quando coepisset philosophari, dixisse: « Postquam coepi nosse meipsum ».

Socrates, quod Apollonis oraculo solus esset sapiens indicatus, quum Graecia tot haberet sophos, sic interpretatur, quod ceteros profitentes se scire quod nesciebant, hoc nomine vinceret, quod sciret se nihil scire, et hoc unum se scire profitebatur. Ceterum hanc Socratis modestiam vicit Anaxarchus, qui praedicabat se id quidem scire, quod nihil scir t.

Apud Menandrum denique quispiam corrigit hoc omnibus laudatissimum dictum: « Multis modis perperam dictum videtur: " Cognosce te ipsum "; magis enim hoc in rem fuerat: " Cognosce ceteros " ».

Ne quid nimis.

Vulgatissimum hoc proverbium Diogenes Laertius Pythagorae adscribit; Aristoteles *(Rel., III)* ad Biantem auctorem refert; alii Thaleti tribuunt, Soloni alii; Plato quodam loco ex Euripide citat. Neque desunt qui ad Homerum veluti fontem referant, cuius hi versus sunt in *Odyssea,* qui latine sonant:

Mihi nequaquam is placet hospes,
Qui valde praeterque modum sinul odit amatque;
Sed puto rectius esse, ut sint mediocria cuncta.

Et in *Iliad. XX:*

Ne nimis aut laudes Tytida, aut vituperes me.

Ad Hesiodum quidem referre malimus; cuius illud est in opere, cui titulus *Opera ac Dies:* « Mensuram serva; modus in omni re optimus ». Repetit Phocilides. Euripides, cum aliis aliquot locis, tum in *Hippolyto coronato:* « Sic equidem minus approbo quidquid est vehemens. quam quod vulgus ait, ne quid nimium ». Apud Plutarchum Pindarus inducitur adnotantem hanc sententiam a sapientibus praeter modum fuisse laudatam; Sophocles eam in *Electra* adhibet; Plautus in *Poenulo.* Plinius (lib. II): « Perniciosissimus autem, et in omni quidem vita, quod nimium ». Horatius denique:

Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Atque rursus:

Virtus est medium vitiorum utrinque redactum.

Nescimus quid serus vesper vehat.

Ex *Menippeis* Varronis satyris citatur hic titulus, tum ab A. Gellio, tum a Macrobio, quo admonemur ne praesentium successuum prosperitate sublati, futuri curam abiiciamus, neve ulla de re securi simus priusquam exitum viderimus. Idem hodie quoque vulgo dicunt, diem nondum ad vesperam decurrisse, significantes diversum exitum posse accidere. Apparet, Vergilium ad paroemiam allusisse, quum ait I *Georg.* libro: « Denique quid serus vesper vehat », agens de prognosticis occasus. — Titus Livius *(Decad. V, lib. V):* « In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti cedere fortunae, quum quid vesper ferat incertum est ». Huc allusit Philippus rex apud eumdem *(Dec. IV, lib. IX)* quum Thessalis respondens minacem clausulam adiecit, nondum omnium dierum solem occidisse. — Potest huc referri et illa Solonis sententia: « Specta finem longae vitae ».

Simia in purpura.

In varios usus potest adhiberi paroemia, nempe vel in eos, qui, tametsi magnifico cultu sint ornati, tamen cuiusmodi sint, ex ipso vultu moribusque cognoscitur; vel in eos, quibus dignitas indecora additur; vel quoties rei per se foedae, ascititia peregrinaque ornamenta indecenter admoventur. Quid enim tam ridiculum quam simia vestita purpurea veste? Atque id tamen — adnotat Mannuccius — non raro fieri videmus apud istos qui simias habent in deliciis, ut, quam maxime possunt, ad humanum morem ornent ac vestiant, aliquoties et purpura, quo parum attentos aut imperitos fallant, proque homine salutetur simia, aut, si deprehensus fuerit fucus, res magis sit ridicula.

Asinus apud Cumanos.

Competit in eos qui, quum sint inepti ridiculique, tamen apud ignotos rei novitate habentur in pretio; aut in eos, quibus honos aliquis praeter meritum additus a fortuna, tumorem et insolentiam, ita ut fere fit, conciliat; id quod eleganter notat Demosthenes *Olynthiacarum orationum I*, felicitatem et rerum successum, qui contigerit immerenti, stultis vesaniae causam praebere solere. Cui congruit illud ex Aeschylo citatum, grave pondus amentem esse rebus utentem prosperis.

Adagium natum ex nota fabula de asino fugitivo, qui apud Cumanos pro leone se gessit.

Graculus inter Musas.

Scilicet: Indoctus inter doctissimos; Infantissimus inter eloquentissimos, etc. — Recte dicetur et in homines ostentatione falsae doctrinae sese iactantes et viris eruditis impudenter obstrepentes. Est enim graculus avis minime canora, sed tamen odiose garrula, atque obstrepera.

Confine est his, quod in *Bucolicis* ait Vergilius:

Sed argutos inter strepere anser olores.

Cygnos canoros esse sic omnium poetarum litteris est decantatum, ut nihil sit celebratius, etiam si nemini contigit hunc audire cantum. Nec desunt philosophi, qui huiusce rei rationem quoque reddere conentur. Aelianus addit eos non canere, nisi flante Favonio; unde fertur etiam proverbium: «Cygnea cantio». Contra, anseres molesto quodam stridore obganniunt. Proinde, quum indoctus inter eruditos gannit, in tempore usurpabitur adagium: «Anser inter olores».

In eburnea vagina plumbeus gladius.

Natum ex Diogenis Cynici apophthegmate. Nam, quum adolescens quispiam, insigni forma, foedum quiddam atque obscoenum dixisset: «Ex eburnea — inquit — vagina plumbeum gladium educis».

Currus bovem trahit.

De re, quae praepostere geritur; veluti si ex. gr. discipulus reprehendat praeceptorem, si ratio pareat affectui. — Translata metaphora a plaustris per declive retro labentibus, unaque secum bovem auferentibus.

COLLOQUIA LATINA

Chartulae lusoriae [1]

Valerius. — Quam asperum tempus! quam rigidum et saevum caelum! Quam lutosum solum!

Theodorus. — Quid nos monet hic caeli ac soli habitus?

V. — Non egredi domo.

T. — Quid vero domi agere?

V. — Ad luculentum focum studere, meditari, cogitare de rebus, quae aliquid emolumenti afferant menti probisque moribus.

Claudius. — Id quidem agendum praecipue, nec aliquid esse debet homini carius. Sed ubi ab intensione illa delassatus fuerit animus, quo divertet hoc dumtaxat tempore?

V. — Aliis quidem aliae sunt animorum refectiones; ego vero lusu foliorum magnopere oblector, ac recreor.

C. — Eone chartularum lusu qui «solitarii» audit? Scilicet et magnus ille Napoleon tempus aliquod hoc modo terere solitus erat.

V. — Hac ratione, quum sim solus; quando vero me comitantur amici... Numne haec temporis qualitas eo invitat ut abdamus nos in cubiculum bene clausum et septum undique vento atque frigore, lucente camino, mensa posita?

T. — Equidem placet.

C. — Promatur itaque pictarum paginarum fasciculus, pecuniae et nonnihil a singulis.

V. — Sed quartus comes nobis addendus, ut par pari ludamus.

T. — Rodericum arcessam.

V. — Mane, mane; minime Rodericum, hominem iracundum, rixosum, clamosum, et qui minimis de rebus excitat saepe strepitus.

C. — Optime profecto mones; nam si talis adolescens nostrae recreationi se admisceat, non sit ludere id, at serio rixari. Voca igitur pro illo Rogerium.

V. — Neque hunc, nisi velis, quaecumque hic fuerimus nugati, ante solis occasum notum esse omni civitati.

C. — Tam bonus est praeco?

V. — Est rerum quas scire nihil attinet; nam res bonas secretius reticet, quam Eleusina my-

(1) Ex *Latinae Linguae exercitationibus;* Ludovici Vives passim retractavit I. F.

steria. At ecce ultro veniunt Manricus et Ludovicus.

MANRICUS. — Salvi sitis, sodales festivissimi.

V. — Quid sibi vult contractio isthaec frontis? Exporrigite istos vulticulos. An non estis iussi cogitationes omnes litterarias apud musaeum deponere?

M. — Cogitationes nostrae litterariae sunt adeo illitteratae, ut eas Musae quae sunt in musaeo respuant.

LUDOVICUS. — Salvete.

V. — Salus est dubia, quando ad acies et pugnas vocamur.

T. — Scilicet crumenae hîc impetuntur, non iugula.

L. — Crumena plerisque est pro iugulo, et pecunia pro sanguine ac spiritu... Ceterum in hac fabula, quam video apparatam, nolo ego auctor esse, sed spectator.

C. — Eccur ita?

L. — Quia sum infortunatissimus; semper a ludo discedo victus et spoliatus.

T. — Scis quid dicunt proverbio aleatores? Ibi quaerendam esse togam ubi amiseris.

L. — Verum et periculum est, ne dum togam amissam quaero, perdam et tunicam et interulam.

T. — Accidit quidem hoc non raro; sed qui non periclitatur, non ditescit.

L. — Ea est metallicidarum sententia.

V. — Cuiusvis fuerit, certe non possumus nisi quatuor ludere. Sumus quinque: sortiemur, quis futurus fuerit aliorum spectator.

L. — Ego, inquam, et sine sortitione.

V. — Nihil tale: nulli est facienda iniuria; non cuiusquam voluntas id decernet, sed sors: cui primus Rex obtigerit, sedebit otiosus spectator, et, si quid inciderit controversiae, iudex.

C. — Ecce vobis fasciculos duos foliorum integros: alter est Italicus; Gallicus alter.

M. — Italicus hic non videtur iustus.

C. — Quid?

M. — Quoniam desunt decades.

V. — Non solent illi habere, ut Gallici. Chartae enim Italicae et ipsae in quattuor genera sunt seu familias divisae: habent vero aureos nummos, carchesia, baculos, enses; in quaque familia Regem, Equitem, Peditem; proindeque monas, dyas, trias, quaternio, pentas, senio, heptas. Italica folia hîc absolvuntur; Gallicis contra, ut nosti, sunt ogdoas, ennea atque decades; deinde Rex, Regina, Pedes in singulis familiis, quae sunt corda, rhembuli, trifolia, vomerculi seu palae aut assicula.

M. — Optime. Quo lusu ludemus?

V. — Triumpho Hispanico, si placet, chartis Gallicis.

C. — Placet, placet.

M. — Sit.

— V. Distributor retinebit sibi indicem chartam, si sit monas, aut imago humana.

M. — Sciamus iam quis erit ludo exclusus.

C. — Probe mones. Cedo folia. Hoc est tuum, Valeri; hoc istius; hoc Theodori; meum hoc..... ipse es Iudex, Manrice.

V. — Malo te mihi iudicem, quam collusorem.

M. — Bona venia, cur istuc, quaeso?

V. — Quia es interdum in ludendo satis vafer et cavillator. Quin imo aiunt maledici artem quamdam tenere te componendo folia, ut tibi expediant.

M. — Non habet fraudem mea lusio; sed imperitiae aliorum industria mea videtur impostura. Itaque bene dixisti eos maledicos.

T. — Lusuri sumus bini: duo contra duos; quomodo erimus comparati?

L. — Ego ludi huius fere insciens adhaerebo tibi, Theodore, quem audio esse excellentissimum.

C. — Adde etiam callidissimum.

T. — Non est hîc opus electionibus; sorti sunt committenda omnia: quibus obvenerint plura puncta adversus eos pugnabunt, quibus pauciora.

L. — Esto ita: assigna folia.

C. — Ut optaveras. Ego et Valerius ab eadem stamus parte, contraria tuentur partes iste Ludovicus ac Theodorus.

V. — Sedeamus, uti solet, decussate. Da mihi illam sellam reclinatoriam ut quietius perdam.

C. — Appone scabella. Assideamus. Sortire iam cuius sint primae partes.

V. — Meae sunt. Distribue tu, Theodore.

T. — Quomodo? A sinistra in dexteram; an, Hispanico more, a dextera in sinistram?

V. — Hoc more; quoniam ludo Hispanorum utimur. Reiecisti decades?

T. — Etiam. Quot folia dabo singulis?

V. — Novena; sed quaenam erit sponsio?

L. — Terni in singulas manus denarii cum geminatione sponsionis.

T. — Sensim, Ludovice mi; nimium properas. Non esset is ludus, sed furor, ubi tantum pecuniae veniret in periculum. Quomodo potes oblectari in anxietate illa, ne tot nummi tibi pereant? Denarii singuli sufficient, et actus sponsionis erit dimidii, nempe assium quinque.

V. — Recte consulis: ita nec nihil ludemus, quod est insipidum; nec quid doleat, quod est acerbum.

T. — Habetis singuli novena folia? Cordium est familia dominatrix; et haec Regina est mea. Augeo sponsionem.

V. — Ludum habeo dissipatum, et male cohaerentem: cedo tibi.

C. — Et ego item. Distribue tu, Ludovice.

(Ad proximum numerum).

VATICANA PICTURA MURALIS
DE CONSTANTINI IMPERATORIS BAPTISMO

En tertia muralium tabularum, quae in Vaticana aula conspiciuntur a Constantino, cognomine Magno, vulgo nuncupata. Haec est de Baptismi sacramento a celebri illo Imperatore suscepto, atque a Raphaële Sanctio adumbrata fuisse et ipsa creditur; certe Franciscus Penni eam pinxit, Urbinatis discipulus, quem tam penitus magister diligebat, ut ei rerum suarum administrationem commiserit — (unde Francisco *Factoris* cognomentum) — heredemque illum cum Iulio Romano instituerit, quamquam singulari hoc beneficio Pennius frui nequivit; decessit enim anno MDXXVIII, quarto scilicet ex qua tabulam, de qua loquimur, perfecerat.

Scenae nobilis vir adstat, temporum more, vestibus saeculi XIV indutus; in eoque imaginem Balthasaris Castiglione, viri illius litteratissimi et in publica re maxime versati, tunc in Urbe commorantis, omnes fere recognoverunt ad nostros usque dies; agitari res effingitur in Lateranensi baptisterio, quod ad amussim lineis redditum est; ac sacramenti administer S. Sylvester papa offertur, iuxta traditionem diu servatam, at historica veritate prorsus destitutam. (1) Constantinus enim ad salutis aeternae fontem accurrit tantum sub vitae exitum, non Romae, sed Nicomediae, (2) uti iam Eusebius monuerat. Cui igitur quum a criticis iudicibus et in hoc argumento aucta sit fides, non inutile erit cedere narrationis locum.

« Principio quidem inaequalis corporis intemperies; — scribit auctor in lib. IV Vitae Constantini — posthaec morbus eum invasit. Itaque ad aquas calidas civitatis suae progressus, inde Helenopolim delatus est, urbem matris suae nomine appellatam: ibique in templo martyrum diu commoratus, supplicationes et preces obtulit Deo. Quumque extremum vitae diem sibi iam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimavit, quo totius vitae delicta expiaret; firmissime credens, quaecumque humanitus peccavisset, arcanorum verborum efficacia et salutari lavacro penitus esse delenda. Haec quum apud se reputasset, genu

(1) Cfr. DUCHESNE, *Liber Pontificalis* I, p. CIX-CXX; DÖLLINGER, *Popstfabeln*, p. 52-61.

(2) P. ALBERS S. I., *Enchiridion Hist. Eccl. Univ.*, pag. 197; FUNK, *Storia della Chiesa*, tradotta da P. Perciballi, pag. 135.

flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio: quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere. Hinc ad suburbana Nicomediae digressus, convocatis Episcopis, sic ad eos verba fecit: "Hoc erat tempus quod iamdudum sperabam quum incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Iam tempus est ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est ut salutaris signaculi participes simus. Equidem olim statueram id agere in flumine Iordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus, qui optime novit ea quae nobis utilia sunt, hoc in loco nobis idipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam si quidem Deus vitae mortisque arbiter, hîc me diutius vitam agere voluerit, idque semel decretum est ut in posterum una cum populo Dei permiscear, et in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam, eas vivendi leges mihi praescripturum me esse spondeo, quae sint Deo dignae„. Haec quum dixisset illi solemni ritu divinas caeremonias peregerunt, iniunctisque ei quaecumque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem eum fecere... Postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, et candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit... Porro haec omnia gerebantur in maxima illa solemnitate venerandae et sacratissimae Pentecostes; quae septenario hebdomadum numero decorata, unitate obsignatur. In qua et communis Servatoris ascensum in caelos et Sancti Spiritus in terras descensum contigisse, sacrae litterae testantur.

In ea igitur solemnitate Imperator haec diximus quae consecutus, ultima tandem die, quam si quis omnium festivitatum maximam vocet, haudquaquam meo iudicio aberraverit, circa meridiem migravit ad Dominum». — Erat rep. sal. annus CCCXXXVII.

*
* *

Sociorum denique in mentem revocamus, tabulam eorum oculis hîc hodie subiectam, ut eas, quas in sup. an. fasc. X et XI edidimus, aere magnifice cusam, mensura cm. 118 × 84, cuius Romae exemplaria unus possidet Ioannes Panatta, posse ad suae domus ornamentum optimum a nobis haberi, dummodo subnotationis pretio *Vocis Urbis* commentario in an. MCMXIII constituto solum libellae octo additae fuerint.

Qui dubitet utrum oporteat Deum venerari aut parentes honorare, non indiget ratione, sed poena.

ARISTOT. *Topic.*, VIII.

AD NOVENSILES ALTARIS MINISTROS

Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum. (*Deut.*, IV, 23).

Pacto perenni te penitus Deo
nuper dedisti, Mysta novensilis;
Minister intrasti in potentem
Militiam Domini Dominumque.

Solemne pactum! non violabile
cupiditatum tartareo impetu,
nec multiformis Vanitatis
insidiis stimuloque nequam.

Solemne pactum quot petet acribus
Gehenna telis, frangere idoneis!
Effrena cerabit Voluptas,
Ambitio, tumidique Honores.

Solemne pactum rodet in asperis
pectus labascens actibus, et nimis
quaesita Libertas, Teporque
obsequio Domini repugnans.

Solemne pactum frangere ne audeas
semper timendi iura Dei petunt;
quae iura constanter cruore
vel proprio studeas tueri.

Solemne pactum rumpere ne velis
et ipsa clamat turba fidelium;
quo namque confracto, his ruina,
non via, sal, neque lumen esses.

Praeceps abyssum vergit in improbam
gyro probroso Mundus, inania
tenaciter captat superbus;
hiscit ubique minax vorago.

Nequis maligno cedere tempori.
Nunquam peracti foederis immemor,
resarcientis cuncta Christi
tu refove populos amore.

Pulchrum Mariae, gignere virgines
natae, viretum in corde coles tuo,
cuius sub umbra Castitatis
lilia perpetuo nitescant.

Papam (Piorum nunc decimum) et simul
quos ille sacros ungat Episcopos
vel maximi semper putabis.
Pace ita perpetuo fruere.

Vici in Hispania.

I. FONTS.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X Epistola Encyclica ad Episcopos Germaniae

De consociationibus opificum.

Singulari quadam caritate benevolentiae erga Germaniae catholicos, qui, huic Apostolicae Sedi summa fide atque obsequio devincti, generose ac fortiter contendere pro Ecclesia consueverunt, impulsi sumus, Venerabiles Fratres, omne studium curamque convertere ad eam excutiendam controversiam, quae inter eos est, de consociationibus opificum : de qua quidem controversia iam pluries Nos proximis annis cum plerique vestrum tum prudentes et graves viri utriusque partis edocuerant. Atque eo studiosius incubuimus ad rem, quia pro Apostolici officii conscientia intelligimus sacrosanctum Nostrum esse munus eniti et efficere, ut doctrinam catholicam hi Nobis dilecti filii sinceram et integram servent, nec ullo pacto sinere, ut ipsa eorum Fides periclitetur. Nisi enim mature excitentur ad vigilandum, patet periculum eis esse, ne paullatim et quasi imprudenter in vago quoddam nec definito genere christianae religionis acquiescant, quae *interconfessionalis* dici solet, et cum inani communitatis christianae commendatione diffunditur, cum tamen manifesto nihil ea sit praedicationi Iesu Christi magis contrarium. Accedit quod, cum maxime Nobis in operatis sit catholicorum fovere et firmare concordiam, amoveri quaslibet volumus causas dissensionum, quae bonorum vires distrahendo, non possunt, nisi adversariis Religionis, prodesse : quin etiam cupimus optamusque, ut cum ipsis civibus a professione catholica alienis nostri eam pacem colant, sine qua nec disciplina societatis humanae nec prosperitas civitatis queat consistere. — Quamvis autem, ut diximus, statum huius causae haberemus cognitum, tamen placuit, antequam eam diiudicaremus, uniuscuiusque vestrum, Venerabiles Fratres, exquirere sententiam : vosque rogantibus Nobis ea quidem diligentia ac sollicitudine singuli respondistis quae gravitati quaestionis erat consentanea.

Itaque primo loco edicimus catholicorum omnium officium esse et quidem in consuetudine vitae tum privata tum communi et publica sancte inviolateque servandum, tenere firmiter profiterique non timide christianae veritatis principia, Ecclesiae Catholicae magisterio tradita, ea praesertim quae Decessor Noster sapientissime in Encyclicis Litteris *Rerum novarum* exposuit ; quaeque maxime et Episcopos Borussiae, qui anno MCM Fuldam convenerant, in suis consultis secutos esse scimus, et vosmet ipsos, rescribentes Nobis quid de hac quaestione sentiretis, summatim complexos esse videmus.

Videlicet quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum tamquam ad ultimum finem ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat : omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse. — Quicumque vel singuli vel consociati christiano glorientur nomine, non eos debere, si officii sui meminerint, inimicitias simultatesque alere inter ordines civium, sed pacem caritatemque mutuam. — Causam socialem controversiasque ei causae subiectas de ratione spatioque operae, de modo salarii, de voluntaria cessatione opificum non mere oeconomicae esse naturae, propterea que eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, possint; « quum contra verissimum sit eam (quae-« stionem socialem) moralem in primis et religiosam esse, « ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis « iudicio dirimendam ». (1)

Iam, quod ad societates operariorum attinet, quamquam iis propositum est commoda huius vitae comparare sociis, tamen maxime probandae, aptissimaeque omnium ad veram solidamque sociorum utilitatem illae sunt habendae, quae praecipue religionis catholicae fundamento constitutae sunt et Ecclesiam aperte sequuntur ducem : id quod pluries Nosmet ipsi, ut ex diversis gentibus occasio oblata est, declaravimus. Ex quo illud consequitur, ut consociationes huiusmodi confessionis, ut aiunt, catholicae, in regionibus catholicorum certe ac praeterea in aliis omnibus, ubicumque per eas variis sociorum necessitatibus consuli posse videatur, institui atque omni ope adiuvari oporteat. Neque vero, — si de iis consociationibus agitur, quae causam religionis et morum directe aut oblique contingant — ullo modo foret quae probari ullo modo posset, in iis ipsis regionibus, quas modo memoravimus, fovere et propagare velle consociationes mixtas, id est, quae ex catholicis et acatholicis conflentur. Etenim, ut alia omittamus, in magnis sane periculis ob societates huius generis versantur aut certe versari possunt nostrorum et integritas Fidei et iusta obtemperatio legibus praeceptisque Ecclesiae catholicae : quorum quidem periculorum etiam in pluribus e vestris de hac quaestione responsis, Venerabiles Fratres, apertam significationem legimus.

Nos igitur mere catholicas, quotquot sunt in Germania, consociationes opificum perlibenter omni ornamus laude, cupimusque bene evenire quidquid nituntur in commodum multitudinis operariae, laetioraque semper eis optamus incrementa. Verumtamen, hoc cum dicimus, non negamus fas esse catholicis, ut meliorem opifici fortunam, aequiorem mercedis et laboris conditionem quaerant, aut alia quavis honestae utilitatis causa, communiter cum acatholicis, cautione adhibita, laborare pro communi bono. Sed eius rei gratia, malumus catholicas societates et acatholicas iungi inter se foedere per illum opportunum inventum, quod *Cartel* dicitur.

Hic autem, Venerabiles Fratres, non pauci a Nobis petistis, ut Syndicatus christianos qui appellantur, uti hodie in vestris dioecesibus costituti sunt, per Nos vobis tolerare liceat, propterea quod et numerum opificum longe maiorem, quam consociationes mere catholicae, complectuntur, et magna, si id non liceret, essent incommoda secutura. Cui Nos petitioni, respicientes peculiarem rei catholicae rationem in Germania, putamus concedendum, declaramusque tolerari posse, et permitti catholicis, ut eas quoque societates mixtas, quae in vestris sunt dioecesibus, participent, quoad ex novis rerum adiunctis non desinat huiusmodi tolerantia aut opportuna esse aut iusta ; ita tamen, si cautiones adhibeantur idoneae ad declinanda pericula, quae in eius generis consociationibus inesse diximus. Quarum cautionum haec praecipua sunt capita. — Primum omnium, curandum est, ut qui opifices catholici horum Syndicatuum participes sunt, iidem catholicis operariorum societatibus, quae *Arbeitervereine* appellatione notantur, sint adscripti. Quod si ob hanc causam debeant alicuius rei, praecipue pecuniae, iacturam facere, pro certo habemus, eos, ut sunt incolumitatis fidei suae studiosi, non invite facturos. Etenim feliciter usu venit, ut hae Consociationes catholicae, adnitente Clero cuius ductu vigiliaque gubernantur, plurimum valeant ad sinceritatem fidei, ad integritatem morum tuendam in sociis atque ad alendos eorum religiosos spiritus multiplici exercitatione pietatis. Quare qui consociationibus hisce moderantur, non est dubium, quin, gnari temporum, velint, praesertim de iustitiae et caritatis officiis, ea praecepta et praescripta tradere operariis, quae his necessarium

(1) Epist. Encycl. *Graves de communi.*

aut utile sit probe novisse, ut in Syndicatibus recte possint et secundum doctrinae catholicae principia versari.

Praeterea Syndicatus iidem — ut sint tales, quibus catholici dare nomen possint — necesse est ab omni se contineant vel ratione vel re quae cum doctrinis mandatisque Ecclesiae legitimaeve potestatis sacrae non conveniat: itemque ne quid minus probandum ex hoc capite aut scripta aut dicta aut facta eorum praebeant. Quare sacrorum Antistites officii ducant sanctissimi, observare sedulo, quem ad modum hae societates se gerant, et vigilare, ne catholici homines ex earum communione aliquid detrimenti capiant. Ipsi autem catholici Syndicatibus adscripti ne unquam siverint, ut Syndicatus, etiam qua tales, in curandis terrenis sociorum rebus ea profiteantur aut faciant, quae quocumque modo contraria sint praeceptis supremo Ecclesiae magisterio traditis, iisque praesertim quae supra revocavimus. Et hanc ob causam quoties de rebus attingentibus mores, id est de iustitia aut caritate, quaestiones exsistent, attentissime vigilabunt Episcopi, ne fideles catholicam morum disciplinam negligant, neve ab ea transversum unguem discedant.

Equidem certum habemus, Venerabiles Fratres, fore ut quae hic a Nobis praescripta sunt, ea vos religiose inviolateque servanda curetis, Nosque diligenter et assidue de re tanti momenti certiores faciatis. Quoniam vero hanc Nobis assumpsimus causam, eiusque iudicium, consultis Episcopis, Nostrum debet esse, praecipimus bonis quotcumque numerantur in catholicis, ut eadem de re iam nunc omni inter se disputatione abstineant; qui quidem, iuvat confidere futurum, ut, fraternae servientes caritati, pleneque obsequentes auctoritati Nostrae suorumque Pastorum, integre et ex animo efficiant quae iubemus. Quod si qua inter eos rerum difficultas oriatur, quo modo dissolvenda ea sit, habent in promptu: adeant Episcopos suos consultum, hique rem ad Apostolicam hanc Sedem deferent, a qua diiudicabitur. Quod reliquum est — et ex iis quae diximus, facile colligitur — quemadmodum ex una parte nemini fas esset accusare de suspecta Fide eoque impugnare nomine qui, constantes in defendendis doctrinis iuribusque Ecclesiae, tamen recto consilio volunt de Syndicatibus mixtis esse, et sunt, ubi pro locorum rationibus potestati sacrae visum est Syndicatus huiusmodi, certis adhibitis cautionibus, esse permittere: item, altera ex parte valde improbandum foret inimice insectari consociationes mere catholicas — quod genus contra omni est ope adiuvandum ac provehendum — atque adhiberi velle et quasi imponere *interconfessionale*, quod aiunt, genus, idque per speciem quoque exigendi ad unam eamdemque formam omnes, quotquot sunt in singulis dioecesibus, catholicorum societates.

Interea, dum pro Germania catholica, ut magnos habeat in re et religiosa et civili progressus, vota facimus, ea ut feliciter eveniant, singularem Dei omnipotentis opem et Virginis Matris Dei, quae ipsa Regina pacis est, patrocinium genti dilectae imploramus: atque auspicem divinorum munerum et eamdem praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, vestroque Clero et populo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV mensis Septembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIVS PP. X.

Durando fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.

OVID., *Ex Ponto*, III, 7.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione S. Officii.

Per decretum d. VII mens. Septembr. MCMXII damnatur, proscribitur et in Indicem librorum prohibitorum referri mandatur opus, cui titulus: *Cenni biografici della Serva di Dio Paola Mandatori-Sacchetti per Valeriano Abb. Ferracci, parroco in Vallecorsa. (Roma, Tip. Sociale Polizzi e Valentini, 1905)*. — Insuper reprobatur ac proscribitur inscriptio: *Un portrait merveilleux*, apposita imagini SS. Cordis Iesu, editae a Petro Brion (*26, Rue Auguste Merillon. — Bordeaux*).

Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis.

De pensionibus in Lusitania a publico aerario clero assignatis.

Quum quaestio S. Sedi proposita sit de pensionibus in Lusitania e publico aerario vi iniquae legis *de Separatione* clero assignatis, Beatissimus Pater, exquisita prius sententia peculiaris coetus Patrum Cardinalium e S. Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis, referente eiusdem S. Congregationis Pro-Secretario, declarandum esse iussit: praedictam legem, iam Litteris encyclicis «Iamdudum» diei XXIV mens. Maii anni proxime elapsi sollemniter damnatam, ab omnibus esse reiiciendam: item improbandum esse recens Reipublicae decretum diei X mens. Iulii huius anni, quod episcoporum auctoritatem laedit, curionesque, qui pensiones accipiant, in sacro ipso munere perfungendo ab oboedientia erga legitimos praepositos suos avertere ac iurisdictioni civilis potestatis iniuste subiicere nititur; sacri ordinis viros, qui eisdem pensionibus a Gubernio oblatis mira constantia magnoque animo renuntiarunt, summis laudibus decorandos; eorum vero qui, egestate forte impulsi, ad quam iniqua lege misere redacti sunt, ad vitam sustentandam illas acceperint, quum hoc tamen apud fideles Lusitanos, ob singulares temporis, loci ac personarum conditiones, multum habeat offensionis, officium esse ut scandalum amoveant, qua de re stent mandatis episcopi.

(Ex decr. d. XII mens. Octobr. MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

De professione religiosa in mortis periculo permittenda.

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate Religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur more Religiosorum, licet exinde Novitios, seu Probandos, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut Novitii seu Probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet;

1. — Ut novitiatum seu probationem canonice inceperint;

2. — Superior, qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, sit ille qui monasterium vel novitiatus aut probandatus domum actu regat;

3. — Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur;

4. — Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilari misericorditer in Domino conceditur;

5. — Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde:

A) Si Novitius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) Si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus expiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionem emisisset; ideoque: *a)* libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et *b)* Superiores illum dimittere valent; *c)* totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet si ultra annum, explere debet; *d)* hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

(Ex decr. d. x mens. Septembr. MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Decembri MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe; De Bulow Princeps eiusque uxor; Rogerus De Dampierre, Sancti Laurentii Dux; Victoria ex Urbanis Principibus Ruspoli; De Masin, Vicecomes; Paolozzi, Comes; De Ruffano, Marchionissa; De Cassano-Zunica, Princeps; Caffarelli, Urbanus Dux eiusque uxor; Consilium maximum Societatis Iuvenum Catholicorum in Italia; Sacer Purpuratorum Senatus aulicique omnes bona omina in novum annum Summo Pontifici offerentes.

Pontificiae electiones.

In Consistorio habito d. II mens. Decembris MDCCCCXII Purpura decoratur rmus. dnus. CAROLUS DE HORNIG, episcopus Veszprimien. Praeterea viduatis Ecclesiis provisum est prouti sequitur: Ad metropolitanam eccl. de Guadalaxara promovetur r. p. d. Franciscus Orozco Jimenez, episc. de Chiapaz; ad metr. eccl. Lugdunensem r. p. d. Hector Irenaeus Sevin, episc. Catalaunen.; ad metr. eccl. Coloniensem r. p. d. Felix de Hartmann, episc. Monasterien.; ad tit. eccl. Epiphanien. transfertur r. p. d. Astenius del Campo y Monasterio, episc. de Caceres; ad tit. eccl. Echinen. r. p. d. Franciscus Simon y Rodenas, episc. S. Marthae; ad tit. eccl. Himerien. r. p. d. Andreas Masera, episc. Bugellen,; ad cathedr. eccl. Faentinam r. p. d. Vincentius Bacchi, episc. tit. Myndius; ad cathedr. eccl. Anagninam eligitur r. p. d. Silvins Gasperini, Vicarius capit. Spoletan.; ad cathedr. eccl. Bugellensem r. p. d. Natalis Serafino, Abbas Nostrae Dominae de Remedio, Genuae; ad cathedr. eccl. Tabasquen. r. d. Antonius Hernandez, Vic. Gen. dioec. de Chialpa; ad eccl. tit. Comanen. r. p. d. Adam Senger, Vic. Gen. Bambergen.

— Per decreta S. Congnis. Consistorialis praefecti sunt: Tit. eccl. episc. Titopolitanae sac. Eduardus Iosephus Hanna dioec. Roffensis in America, qui simul constitutus est auxiliaris rmi. dni. Patritii Gulielmi Riordan, archiepiscopi S. Francisci in California; tit. eccl. Metellopolitanae rmus. d. Iacobus Carroll, hactenus episc. Novae Segobiae; cathedr. eccl. Sancti Severi rmus. d. Caietanus Pizzi, hactenus ep. Laquedonien.; cathedr. eccl. Brixinensi rmus. d. Franciscus Egger, hactenus episc. tit. Laranden.; tit. eccl. archiepisc. Cyrrensi rmus. d. Ioachim Iosephus Vieira, nuperrime nominatus episc. tit. Imerien.

Brevi apostolico denique r. d. Patritius Phelan, Vic. gen. dioec. Melburnensis, episc. Salien. in Australia dictus est.

— R. p. d. Eugenius Pacelli, Pro-secretarius S. Congnis. Negotiorum ecclesiasticorum extra ordinem, inter Consultores S. Congregationis S. Officii refertur.

— Rmus. dnus. Henricus Gasparri ad Brasiliensem apostolicam legationem; rmus. dnus. Emanuel de Sarzana ad Belgicam; rmus. dnus. Laurentius Schioppa ad Bavaricam; rmus. dnus. Iosephus Apap - Bologna ad Hispanicam addicuntur.

ANNALES

Annus MCMXII.

Qui nuper praeteriit annus MCMXII peculiari nota ex armorum fragore distinctus est. Bella postrema quibus implicatas Europae civitates iamdiu videramus, uti Hispano-americanum, Anglo-boerum, Russo-iaponicum et nuperrimum Italo-turcicum, extra Europam pugnata fuerant; huiusmodi vero prope dicam Europae immunitas, cui assueveramus, anno MCMXII quaestione illa Orientali violata est, quae per Berolinense foedus soluta praedicabatur, at cineribus nunquam reapse extinctis, vehementer atque improviso surrexit. Gravis ille Bosphori aeger curis omnis generis, tum blandis tum acerbis, subiectus erat, at vero tam parum efficacibus, ut Europaearum civitatum gubernia pro se primum, ac deinde pro Europae universae bono chirurgicis tractationibus operam dare coacta fuerint.

Annus itaque MCMXII ob legatorum ex omni Europa conventum Londini Idibus Decembris congregatum insignis praecipue evadet, ex quo in novum ordinem Balcanica regio adducetur... si optatos fructus ex animorum concordia carpere datum fuerit.

***

Quomodo autem ad rem ventum est?

Dum per superiorem mensem Octobrem de pace inter Italos atque Turcas disceptatur, moraeque trahuntur ea praesertim de causa, quod magna cum difficultate formula inveniretur de Libyae cum Italico regno adnexione Turcis acceptabilis, quattuor Balkanici Status, peculiaris foederis vinculis inter se coniuncti, post novas caedes a Turcis Kocianae in Bulgaros, Sienicae autem ac Bielopolje in Serbos patratas, arma expedierunt, contra quae Turcae propugnaculum satis munitum opponere autumabant si amplas legum reformationes per se primum ac deinde per Austrorum Russorumque imperium Balkanicis populis graviter sponderent. Sero ac frustra tamen; socii enim viribus suis confisi, ab ipsa Europa non satis aestimatis, pollicitationibus intercessionibusque despectis, bellum intulerunt.

Quod quidem, per mensem unum cum dimidio peractum usque ad armorum inducias in Ciatalgiae montibus, victoriarum seriem constituit quamquam multa cum sanguinis effusione tum Bulgaris, qui per Kirkilisse et Lule Burgas fortissimis Turcarum munimentis expugnatis, et Adrianopoli urbe obsidione cincta ad Ciatalgiae arces pervenerunt; tum Serbis, qui, Kumanovo oppido capto, Novi-Bazar, veteremque Serbiam occuparunt atque Dyrrhachium usque, ad Adriaticum mare, feliciter sunt progressi. Graeci, Elassona victa, Thessalonicam tenuerunt et ad Janninam pervenere; dum Nigri-Montis incolae ad Scodram castra ponere valent. Hoc rerum statu induciae a consociatis populis, Graeco excepto, cum Turcis sunt pactae, ac Londini de pace novoque Balkanicae regionis ordine agi coeptum.

***

Non vero firmandae in orbe pacis unica haec voluntas per annum mota; quin imo et eventus alii constantem huiusmodi animum sanxerunt. Ut regum administrorumque conventus praetereamus, commemorare hic satis fiat et triplex foedus inter Germaniam, Austriam et Italiam postremis hisce diebus renovatum; et navalem pactionem inter Gallos et Russos mense Iunio conclusam; et condictum, navale pariter, positum inter ipsos Gallos et Anglos, unde mense Augusto Gallorum classis in mari Mediterraneo e loco mota est; compositionem denique in quam Hispani et Galli de Mauritano imperio convenerunt unde tandem aliquando Africi illius imperii quietem sperare licet.

Faxit Deus ut communibus optatis facta respondeant, utque populi omnes — primique Itali nos, qui anno MCMXII civitatem nostram tam prospere auctam vidimus — ad sui quisque humani civilisque cultus incrementum, remotis procul bellis, anno MCMXIII tranquille perducantur!

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** navalis rei administer Churchill rogationem legis obtulit de classiarium agmine augendo.

In **Austria** rationes acceptorum et expensarum ratae habitae; rogatio legis de militia instauranda, post acerrimam disceptationem, pariter approbata; Krobatin imperator bellicae rei administer suffectus, loco Auffenberg imperatoris, munere se abdicantis.

In **Gallia** de peditum copiis reformandis lata lex.

In **Germania** Bethmann Hollweg, administrorum praefectus, rationes renovandi foederis cum Austria et Italia facunde exposuit.

In **Hispania** compositio de Mauritanis rebus cum Gallia inita sancitur.

In **Iaponia** novum administrorum collegium compositum Katsura-Goto-Kalosaita.

In **Italia** a Senatu foedus cum Turcarum imperio sollemniter confirmatum.

In **Russia** novi coetus sessiones inchoatae Kokowzowii primi administri fusa et aequanimi oratione circa civitatis atque exterarum rerum statum. Makaroffius internis negotiis administer a Maklakoff gubernatore substitutus.

PER ORBEM

Die III mens. Decembris MCMXII ex Madagascar insula nunciatur Nossi - Be regio vehementissima procella fuisse longe lateque vastata. Octoginta hominum victimae lugentur.

— d. VII Madriti publicae institutionis admnister Alba ex automobilis currus, quo vehebatur, offensu quodam, fractum brachii os reportat.

In oppido Moncalieri ad Augustam Taurinorum scelesta furum manus sepulcrum Elisabeth, Genuensis ducissae, maternae Italici regis aviae, recens vita functae, noctu violat.

— d. X doctorum virorum coetus ad Nobelia praemia adsignanda constitutus, decernit nemini hoc anno praemium de pace tribuendum.

— d. XI Monachii senectute confectus ac late defletus obit Luitpoldus princeps, regia maiestatis officia, pro Othone patruo mente capto, ab anno MDCCCLXXXVI gerens in Bavarico regno. Natus erat Herbipoli (vulgo *Würtzbourg*) in urbe d. XII mens. Martii MDCCCXXI. Aloisius filius natu maximus in potestate ei succedit.

— d. XVI, Tergeste, Austriaci populi monumentum Elisabeth imperatrici, nefarie aliquot ante annos in Helvetia interemptae, sollemni ritu inauguratur.

— d. XVIII Montis Hannoniae (vulgo *Mons*) athenaeum fortuito incendio graviter pessumdatur.

— d. XX flammis pariter fere omnino absumuntur Nannetense theatrum, cui a renascente arte nomen, musicesque schola eidem adnexa.

— d. XXII similia contingunt notissimis vitreae artis officinis Murano in insula ad Venetias positis.

— d. XXIV septuaginta et quatuor annos natus Lutetiae Parisiorum naturae concedit Eduardus Detaille pictor, qui Meissonieri illius discipulus, bellicas actiones et ipse penicillo reddere dilexit, ob quas sibi popularem auram multam acquisivit.

— d. XXVI Vindobonae esse desinit Georgius Constantinus Czartoryski, De Klewan et Zukow

Dux, ex intimis Austrorum Imperatoris consiliariis, Dresdae in urbe natus d. XXIV mens. Aprilis MDCCCXXVIII.

— d. XXVII Romae septuagesimum octavum vitae annum agens decedit Petrus Lacava, publici Italorum coetus legibus ferendis decanus, iamque non semel supremi administrorum consilii particeps.

— d. XXX Stuttgardiae subita morte extinguitur Kiderlen Waechter, Germanorum in Imperio negotiorum ad exteros administer.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Dott. G. B. Bellissima, Professore di lettere Latine e Greche nel R. Liceo di Siena. *Il ponte Romano di Albium Ingaunum.* Memoria archeologica con due incisioni. — Senis, ex Soc. Ed. Giuntini. (Ven. lib. 1,50).

Corpusculum Inscriptionum Latinarum. Confecit Iohannes Bellissima, Professor litterarum Latinarum et Graecarum in Lycaeo Senensi. — Senis edid. Iuntinus et Bentivolus. (Ven. lib. 1).

P. Piacenza. *In tres tabellas Occurrentiae et Concurrentiae a S. R. C. noviter editae et in earum rubrica Commentarium, addita appendice decretorum recentiorum cum notis.* — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 2,50).

A. Gasparri. *Tabulae perpetuae pro Divino Officio recitando Missaque celebranda iuxta novas rubricas SSmi. Dni. N. Pii PP. X iussu editas, ac novissima Decreta S. R. C.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

P. De Carlo C. *Instructio pro Tonsuram et ordines recepturis,* ad mentem P. Aloisii Togni, iuxta RR. Pontificum et SS. Congregationum recentiora decreta. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

Mons. Geremia Bonomelli, Vescovo di Cremona. *L'obbedienza dei Cattolici alle Podestà terrene.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *Religione, sì; Chiesa, no.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *La morale senza Dio.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *L'emigrazione.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *Capitale e lavoro.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *Liberalismo ed equivoci.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0.60).

Id. *Il clero e la società moderna.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. *Cause della miscredenza moderna e rimedi. La libertà di pensiero.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

M. Muloch. *Miss Lycheet (Sorellina).* Racconto inglese per i ragazzi. — Indidem (Ven. lib. 2).

Amy Steedman. *Perle nascoste.* (Storie e leggende d'Italia per piccoli e per grandi). Traduzione dall'inglese di Maria Adelaide Colombo. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

T. Bailey Aldrich. *La storia di un cattivo soggetto.* Racconto americano per i ragazzi, riccamente illustrato da A. B. Frost. — Indidem (Ven. lib. 2).

Mons. Giambattista Menghini. *Norme pratiche e note illustrative per l'uso del Breviario e del Messale Romano* secondo la costituzione « Divino afflatu », le tre nuove Tabelle per l'occorrenza e la concorrenza, e le ultime disposizioni della Sacra Congregazione dei Riti. — Editio III. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

Integer ecce tibi subigas qui cuspide naves
Incursus hostis vel superare queas.
Verum si a *toto* studeas *cor* vellere, lector,
Conspice: Aegeis insula surgit aquis.

II.

Dant vitam saltus; nemorali nutrior esca,
Quam natura mihi prodiga donat, agris
Demoror in terris, sed spiritus aëra scandit:
Hic alas errat qui me adhibere putat.
Me latet utilitas damnis an aequa resurgat,
Et si illata premam damna aliena bonis.
Novi ego si calidos hostis mox obsidet artus,
Vim minime robur tendere posse meum.
Vitali dum luce fruor, mihi construo viles
Ipse pyras, vivum me monumenta tegunt.
Exhorretque virum tumulati dextera tactum,
Meque, timens, audet tangere nulla manus
Noscit ubi extinctum tenebrosa et sede sepultum,
Ad lucem revocat, qui sine luce iacet:
Instrumenta manu magica velut arte premendo,
E saxo vita me facit ille frui.

A. Epiro.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine vertit IOANNES BATTANI).

Aenigmata an. XV, n. X proposita his respondent:

(1) **Subter fugia fuge = Subterfugia fuge.**
(2) **Dolium.**

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori, *Mediolano.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Leop. Broudel, *Brugis.* — Petrus Tergestinus - Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Alois. Perraud, *Lutetiae Parisiorum.* — Vinc. Staracc, *Neapoli.* — Ad. Kozlowski, *Petricovia.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Leon. Feher, *Chicagine.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Alois. Geyer, *Ratisbona.* — F. X. Ghion, *Ostunio.* — Rich. Müller, *Berolino.* — Claudius Lucensis — I. Ortiz, *Morelia.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — P. Prado *Venetiis.* — Alb. Kain, *Lublino.* —F. Wawer, *Marianopoli.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — E. Burg, *Monachio.*

Sortitus est praemium:

LEONARDUS FEHER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae, ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMIAM

4)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

VITULUS.

Heic quid est?

VELOX.

Statis loquentes?

VITULUS.

Currite!
Multi christiani sunt rapti in vincula.
Sic imperator profecturus imperat -
1. Quid?
2. Estne?

VITULUS.

Certe!
4. Milites Maxentii?...

VELOX.

Adest et ipse bellicis iam vestibus
Indutus...
1. Attamen...

VITULUS.

Cives huc colligit.
2. Istis ut esset pressus sed angustiis
Romanos territat, Christianos petit,
Suos fidissimos sic pravus provocat.
3. Quanam de causa?

VITULUS.

Dicunt maiestatis reos!
2. Sed ipse incusat, damnat et Maxentius!

VITULUS.

Adsunt epistolae, sunt testimonia!
(Voces hic e longe exaudiuntur):
« Sit impiis mors! Ducantur ad bestias! »
1. In quod fatale tempus incidimus,
2. Tace, sîs!
3. Omnia supervasere milites!
4. Oh! tempus omnium perquam turpissimum!
1. Maxentius!
2. Refert quod hic iudicium?
3. Qui vultus! Ira fremens, tumidus, ferox...

OMNES.

Audistin?
1. Quid? Fuit qui mendax proditor
Tulit Maxentio res incredibiles?
2. Quasnam?
1. Pontificem dedisse litteras
Potenti filio Constantii Caesari.
2. Cur?
1. Ut potens ei ferret auxilium!
2. Hinc irae!
3. Raptus in ius!
4. Quae tristia tempora!
5. Est inquisitor ipse et iudex improbus.
2. Erit fortasse condamnatus capitis.
3. Quae turba in foro! Erit qui dolor populi!
4. Amat Patrem suum.
1. Qui clarus meritis
Nos omnes curis cumulat muneribus,
Premunt angustiae dum multae...
2. Et undique.
3. Potest iugum quis ferre sic iniurium?
4. Priusquam contra Constantinum congerat,
Venit cum virûm magna multitudine
In forum, simulans orare ad populum
Suos precari sacrificiis deos.
5. Damno sic iungitur gravius ludibrium.
4. Foret si Scipio!
5. Marcellus viveret!
3. Tace, sîs! Adhuc securus es Romanis loqui?
Stipamur omnes barbaris militibus,
Suos qui colligant dies tutissime
Eum defendunt rostris et unguibus.
1. Adest!
2. Iuvat moestitiam nos fingere
Et auspicari maximam victoriam.

SCENA VI.

(E longe militares buccinae exaudiuntur et voces adclamantium: Io, triumphe, Maxentio! Ei victoria! Io! Io!).

IMPERATOR *introgreditur gerens in capite coronam auream et bellica iam veste indutus, multis circumdatus militibus, qui huc illuc populum impellunt, et ipsi partim ad dexteram, partim ad sinistram locum obtinent, dum duo milites curulem sedem in medio collocant, unde ipse alloquitur. Tunc sacerdos, laurum circa tempora ferens, progressus, porrigit incensum imperatori, omniaque ei fausta deprecatur.* PUBLIUS, SCIPIO *aliique Senatores adsunt.*

IMPERATOR, *tripodem adspergens exclamat:*

Tuum diis caput inferis nunc do et voveo
Tandem, Constantine, cito qui te perduint.
Tu mille turpiter Caesares artibus
Nicomediae decepisti, furcifer:
Meis sed perculsus mox exercitibus
Dabis tua parem morte mundo denuo.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Februario MCMXIII. Num. II.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Luitpoldi Principis Bavariae regnum regentis laudatio.
Haeresis atque Apostasiae conceptus.
Acceptorum VOCIS URBIS praemiorum facta fides.
Quaestiones philologicae. Idemne « Animus » quod « Anima » sit.
In Bacchanalia. Elegia.
De beone XIII P. M. commentarius. In Urbe ad Collegium Romanum.
Paroemiae sive Adagia. Mare caelo miscere. — Miscere sana profanis. — Sub lapide scorpio.
Versailenses aedes.
Colloquia latina. Chartulae lusoriae.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Concilii. — Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione de Disciplina Sacramentorum. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis. — Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.
Annales. Balkanicae res.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Numismatum collectoribus monitum.
Appendix; Ad Romam.

LUITPOLDI PRINCIPIS BAVARIAE REGNUM REGENTIS

LAUDATIO

HABITA IN AEDE XYSTINA CORAM SS. D. N. PIO PP. X AB AURELIO GALLI SS. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES XIX KAL. FEBRUA R. AN. MCMXIII (1).

Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei.

(*Eccl.*, XXV. 8).

Raro admodum contingit, ut cuiusquam interitus tantam tamque sinceram hominum complorationem moveat, quantam nuper excitavit amissio Viri Principis, cuius causâ hic modo est divina Hostia perlitatum. Nam, quis dicendo luctum exprimat Bavariae, quae tot annos, eo Regente, felicius in dies floruerat? Etsi enim, opinione diutius, salvo illo atque incolumi usa erat, tamen ita desiderio defuncti illacrimavit, quasi nunquam senex optimus debuisset ex hac laboriosa vitae mortalis agitatione conquiescere. Quam acerbum praeterea funus hoc accidit Germaniae, quae praecipue eum semper coluit habuitque Principum suorum Nestorem! Quam grave ubique bonis omnibus! quos quidem licuit audire passim de homine commemorantes summis cum laudibus, quum interim, quod sane est singulare, nulla vox dissona exsisteret. Nimirum in LUITPOLDO non vana quaedam species honestatis eluxit, sed solida illa virtutum forma, quae, fundamento religionis constituta, amplitudinem homini dignitatemque veri nominis parit: nam, *qui timent te (Domine), magni erunt apud te per omnia.* (2) — Ita de amisso Principe, Beatissime Pater, Te sentire equidem scio; at simul intelligo Te de mea tenui ingenii facultate nimio clementius iudicasse, qui me in hoc amplissimo coetu animi Tui sensa interpretari iusseris. Sed Tua me hortatur benignitas honestissimum onus atque munus obire fidenter. Quod ut iam aggrediar, mihi quidem in LUITPOLDI vitam intuenti, continuo duae illae occurrunt tamquam insignes notae quae naturam moresque eius distinguere videantur: prudentia et pietas. Itaque in eum commode cadit illud Ecclesiastici: *Corona senum multa peritia et gloria illorum timor Dei.*

***

Non sane potest bene esse civitati, cuius ille summum magistratum obtineat, qui, propter inopiam consilii, ipse sibi nesciat moderari, nedum aliis. Quamobrem Iudaeis, qui Christum non essent recepturi, Deus per Isaiam (1) denuntiavit daturum se eis principes, illius inconsideratae temeritatis plenos, quam puerilis aetas praeferre solet. Neque autem multo melius habet civitas a senectute principis, si vel infirmitas naturae vel languor aetatis inertem ignavumque faciat ad gerendum imperium. Longe aliter cum regno Bavariae, Dei providentis beneficio, est actum, ubi graves iique satis cogniti casus summam rerum LUITPOLDO detulerunt. Accessit ille ad rempublicam senex, at accessit —

(1) Quod vir excellentissimus, qua fuit et est erga nos benevolentia, concesserit, ut Laudatio haec, in sollemni Bavarici Principis recens vita functi funere ad aedem Xystinam habita, per *Vocem Urbis* pervulgaretur, amplissimas grates publice referimus.

(2) *Iudith.*, XVI, 19.

(1) *Is.*, III, 4.

quamvis nil tale suspicatus futurum — egregie paratus et promptus; quin etiam robur singulare et quasi quamdam viriditatem eodem attulit. Quod mirum est nemini, qui eius ante actam vitam non ignoret.

Etenim, quum in eo bona esset virtutis indoles, adhibita est ad naturae opus excolendum sana illa ac severa disciplinae ratio, cuius est, Religione duce, et mentem optimis praeceptis institutisque instruere, et animum confirmare contra vitiorum illecebras, et ipsum durare corpus, ne ad inertiam desidiamque declinet. Itaque laboribus, quibus exercentur vires, a puero deditus, imprimisque equitandi et venandi studiosus — in quo studio novimus ad extremam permansisse aetatem — adolescens militare coepit; gradatimque per altiores ordines pervenit ad summos, non sibi, regio sanguini, delatos, ut assolet, ornamenti gratiâ, verum sollertia laborisque constantia quaesitos. Ceterum quam bonus fortisque ductor evasisset, vidit Europa in acie plus semel; quam sciens autem peritusque rei militaris fuerit, illud ostendit, quod cum omnes Bavariae copias sapientius ordinavit, tum in primis ballistarium instrumentum, cuius praecipuam semper egit curam, melius constituit. — Iam vero non in hoc solum genere, sed in omnibus, quae ad disciplinam civitatis pertinent, nonne oportuit hunc auctoritate florere, quem Maximilianus frater, ille quidem immortali apud Bavaros memoria dignus Rex, quum civilia instituta corrigere fortunamque rei publicae amplificare contenderet, ad grandia, quaecumque viderentur, et suscipienda et exsequenda auctorem adiutoremque adhibuit? Atque eumdem postea fratris filius, Rex Ludovicus, utpote communi bonorum opinione commendatissimum, voluit sibi ad consiliandum adesse, suamque personam publice gerere. Sic igitur eruditus doctrina limatusque rerum usu Luitpoldus, ubi primum, Eo iubente qui rerum temporumque est arbiter, Regni clavum tenuit, ob consilii maturitatem mirifice iam aptus erat ad munus, cui praeficiebatur.

Itaque his viginti sex annis, quum rem publicam gessit auspicio suo, sic gessit, quemadmodum initio professus erat: «nihil iam se curaturum, nisi quod prodesset Bavariae»; et vero nullum genus reperias, in quo non de illa praeclare meruerit. — Principio consentiunt omnes, hunc in externis Regni rationibus id et perpetuo laborasse et adsecutum esse, ut salva sua Bavariae manerent iura, salva dignitas. Deinde in ipsa gubernatione civitatis hoc praesertim nomine laudandus est, quod, proposita sibi boni communis causa, suos administros consueverit perstudiose deligere: neque enim in eum numerum alios adsciscebat, quam qui in re politica recte sentire, ideoque vere in commune posse consulere viderentur. — Quaecumque autem publicam prosperitatem efficiunt, ad ea omnia conversum habuit animum: ad firmandam pecuniarum rationem, ad promovendam privatorum industriam, ad fovendam, plurium quoque sodalitiorum ope, culturam agrorum; resque adeo successere, ut quem locum Bavaria inter primores Germanici foederis civitates potentiâ obtinet, eumdem his etiam capitibus tueatur. Num vero putemus neglexisse exercitum, in quo quidem instruendo tam multus antea fuerat? Immo sedulam dedit operam ne quidquam ei deesset, quod vel institutum militare vel ars bellica desiderat. Et quoniam nec satis arma possunt ad securitatem publicam, neque explicari commercia licet, si modici sint commeatus aut difficiles, vigilantia studioque Luitpoldi factum est, ut ferreae per omnem Bavariam tot munirentur viae, quot utrique rei abunde suppeterent. — Ad haec, quod vix credibile videatur in viro tam gravi qui solidâ populi utilitate metiretur omnia, multum tribuit ingenuis artibus, quarum suavitate vehementer capiebatur. In quo Regum decessorum exempla secutus est. Monacensem quidem urbem nemo ignorat cum omnis eruditionis cultu, tum maxime studiis humanitatis hodie clarere, eamque insignibus artium monumentis collectisque undique operibus affluere. Is igitur non modo urbis ornatum novis in usum reipublicae excitatis aedificiis magnifice auxit, sed etiam regia munificentia fovit artifices; quippe erat ei persuasum, quod dixit olim, «non leve quiddam sibi videri artes, quae magnum ad populorum vitam momentum habeant». — Postremo nimis manca haec foret tamquam adumbrata imago optimi Principis, nisi id adiungerem quod eius lineamenta animi quodammodo efficit molliora: summam dico erga omnes benignitatem. Nam usque adeo nesciebat superba fastidia dignitatis, ut, quemadmodum aditu facilis communisque vel infimae sortis hominibus, ita esset solitus interesse populo eiusque et laeta et tristia participare praesens, cum plerumque solus circumiret, nullo comitatu, quamquam ei amor populi semper comitabatur. Etenim non est mirum, si Luitpoldus tali quasi complexione virtutum, qualem vidimus, omnium, quos aliqua ratione attingebat, benevolentiae caritatem sibi conciliavit. Praeclare hoc patuit haud ita pridem per ea quae celebrata sunt sollemnia, quod et aetatis nonagesimum et regiminis quintum et vicesimum complesset annum. Quo tempore in mediis significationibus effusae laetitiae — quas quidem studia gratulationesque foederatorum aliorumque Principum, Te praeeunte, Beatissime Pater, longe auxere — quum ostenderet Bavaria iure se Luitpoldo optime de se merito gratulari, splendide illustravit illud Scripturae effatum: *Corona senum multa peritia.*

***

Iam si requiramus, quidnam rei esset, quod Luitpoldum faceret vel tam actuosum in utilitatem populi, vel tam constantem in officio, vel etiam tam serenum in domesticis iisque magnis luctibus, facile reperiemus tribuendum hoc esse religioni ac fidei, quae vitam eius omnem uti gubernavit, ita insignivit. In quo non est dubium, quin ille multum debuerit bonis vivendi prae-

ceptoribus, quibus, Ludovicus I Rex, pater eius, filios tradens in disciplinam, mandabat, ut eosdem sibi et *viros* et *christianos* aliquando redderent. — Itaque Luitpoldus, ut qui insculptum in animo illud haberet « non esse potestatem nisi a Deo », (1) sibique persuasisset nullius gubernatoris, nisi Deo adspirante, prosperum fore cursum, cum regendam suscepit Bavariam, profecto perpendit quam grave susciperet onus, et quantum erga Deum et patriam subiret officii. Nam quod est in saeris Litteris : *iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet,* (2) plane terrebat hominem, suspenso animo de die cogitantem, quando esset futurum, ut a se rerum Dominus rationem administrati muneris repeteret. Quare, ne unquam deesset officio, cavit diligentissime: quam diligentiam atque adeo religiosam curam vidimus proximis diebus ab ipsis scriptoribus, qui nobiscum de Fide dissident, valde commendari. Etenim, ut alia praetermittam, non solum sui consulendi copiam omnibus Regni administris quotidie faciebat, sed etiam, raro exemplo, quoad regimen tenuit, nunquam eorum consiliis non praesedit, apte sapienterque semper suam interponens, in magna negotiorum varietate, sententiam. — Illud autem hodie nimis vulgata et opinio et consuetudo fert, ut Religionem respublica, tamquam rem a se alienam, negligat, officiumque Dei colendi relinquat omne arbitrio privatorum; quasi vero civitates non, ut homines singuli, a Deo conditore et conservatore pendeant, neque ex pari officii sanctitate eum revereri debeant palam et colere. Ita saepius usu venire solet, ut qui dant operam rei publicae, suam prodigialiter dividant duplicentque personam, atque alios se intra domesticos parietes gerant, id est deditos religioni, alios in luce civitatis exhibeant, id est a religione remotissimos. Tantum vel pudor in ignavis vel in cupidis obsequium potest! Haud ita sane Luitpoldus; neque enim caderet in eam naturam mentiri tam turpiter et discordare secum. Ergo uti privatim et apud se Deum castissime colebat, ita eum religionis ardorem palam demonstrabat, ut exemplo omnibus esset. Idque maxime quotiescumque sacris sollemnibus Christi Corporis intererat; quum pompam Saeramenti augusti, magno principum procerumque comitatu, ipse, spirans pietatem, pedibus sequeretur. In quo veterem morem, a decessoribus longo tempore intermissum, revocavit, semperque deinde retinuit, ingenti quidem cum Monacensium laetitia. Sed eximiae pietatis eius alia multa praetereo, quae in promptu sunt, documenta: hoc tamen omittendum non est, quod is publicis in templis, quae sollemne habuit adire per annum, non aliter aderat sacris, nisi nixus genibus; quod si per valetudinem non ei licuisset in genua consistere, aede abstinere se malebat, quam ibi adesse tali corporis habitu, qui minus decere Dei maiestatem sibi videretur. — Atque in re publica quamvis potestatem gereret populi constitutione temperatam, non tamen, quantum in se erat, quidquam reliqui fecit, quod ad conservanda christianae sapientiae instituta pertineret. Quin imo illud argumento est eius non minus fidei quam prudentiae. quod quum comperisset quaedam parari publice, non adeo amica religioni, eisque oratores populares maiorem partem suffragari, is mira dexteritate effecit, ut simul constitutum Regni ius ne violaret, simul omnem religionis iniuriam prohiberet. Idem, postquam in legumlatorum ordine plures numerari coeperunt, qui eum fide populi congruerent, eo liberius in custodia Religionis publicae, sine qua bonos mores intelligebat fore nullos, perseveravit. — Itaque de sana iuventutis institutione fuit maxime sollicitus: et sicut suos ipsius filios, spem augustae Domus, christiana diligenter disciplina eduxerat, sic impense curavit, ne disciplinae eiusdem sanctitas desideraretur in scholis, ubi futura quodammodo fingitur fortuna civitatis.

Iam de tali viro supervacaneum videri potest memorari quemadmodum erga beati Petri successorem fuerit affectus. Nam qui se catholicum non professione tantum sed re praebuit adeo, ut religionem in omni vita sequeretur ducem, is dubitarine potest, quin Ecclesiae catholicae Magistrum et Caput eumdemque Iesu Christi Vicarium magnopere observarit et coluerit? Etenim nihil antiquius habuit, quam ut rationum necessitudinem, quae Bavariae cum Apostolica Sede intercedunt, maiorem faceret atque coniunctiorem. Praeterea, quum Pontificem Romanum pientissimi filii more diligeret, nullam omisit occasionem, quae sibi daretur, huius pietatis profitendae munificeque testandae; cuius piae munificentiae in hac ipsa aede indicia luculentissima videmus. Sed ego de Luitpoldi in Te pietate quid plura, Te praesente, loquor, Beatissime Pater, cui sane fuit exploratissima? Tuque eam studio rependebas caritatis paternae; qui quidem idcirco voluisti haec in sanctissimo orbis terrarum loco celebrari sollemnia funeris, ut non solum tua erga Bavariam propensa voluntas exstaret, sed appareret etiam quanti ipsum faceres quamque haberes carum.

Quid, quod in hoc homine ad ceteras laudes, velut cumulus, accedebat, singularis quaedam modestia? Nempe solius Dei reverens iudicia, nequaquam opinionem multitudinis, quidquid semel intellexerat suarum esse partium, illud simplicieter et candide exsequebatur, admodum securus quid de se homines iudicarent. Nihil tam alienum erat eius moribus, quam rumori servire ac praedicationi sui nominis, quumque videret se praesertim ob consilii gravitatem apud foederatos exterosque Principes magno esse in honore, non se iactavit unquam profuditque latius, verum finibus patriis continuit sese, atque in salute gentis suae omnem operam curamque consumpsit. — Denique haec maxima est augusti senis perpetuoque mansura laus, sancte eum in omni vitae munere divinae voluntatis praescripta servantem, specimen christiani principis exstitisse.

(1) *Ad Rom.*, XIII, 1.
(2) *Sap.*, VI, 6.

Nam *corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei.*

Quare inter summos viros, quos pervetusta Wittelsbachia Domus genuit, Europae utiles, Germanicae genti salutares, quorum memoriam consecravit grata posteritas, adnumerandus non postremo loco est Luitpoldus, qui traditam a maioribus hereditatem gloriae non custodivit solum, sed auxit et quidem tam magnis promeritis, ut quo spatio temporis praefuit rebus patriae, illud in temporibus Bavariae felicissimis habeatur. — At populum, tanti Parentis orbitate maerentem, respiciat Deus; et communia vota precesque benignus audiens, Animae desideratissimae aditum ad caelos, potioris regni sedem, mature patefaciat. Augusto autem Principi, Ludovico, regimen Bavariae feliciter auspicanti, assidue adsit semperque faveat; ut, qui Patrem optimum prudentia et religione refert, eiusdem vestigiis ad Bavarorum salutem ne cesset insistere.

HAERESIS ATQUE APOSTASIAE CONCEPTUS

Teste catholicae Ecclesiae historia, nunquam defuere « viri loquentes perversa, vaniloqui et seductores, errantes et in errorem mittentes » ut S. Scripturae verbis utamur. (1) Verumtamen, postrema hac aetate, posteaquam « Omnium haereseon conlectum » fines « a patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine » praetergredi incoepit, horum hominum « numerum crevisse admodum fatendum est ». Quidam ex istis a fide et ab Ecclesia apostatae facti sunt, dum alii in Ecclesia, « artibus omnino novis, — ait S.S. P.P. Pius X, (2) — astuque plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur ». Hi profecto, haeresis, atque apostasiae notionem obliti sunt. Eo igitur consilio ut clarius atque distinctius fidei conceptus appareat, iuxta Angelici doctrinam, haeresis atque apostasiae conceptum in memoriam revocabimus.

***

Haeresis atque Apostasia, nonnisi Infidelitatis species sunt. Magni propterea interest, quid sub nomine Infidelitatis veniat, scire. Infidelitas actui « credendi » opponitur, et infidelem esse, idem valet ac fidem non habere. Quia vero fidem habere, prouti Angelicus (3) animadvertit, « non est in natura humana » quamvis in natura humana sit « ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, et exteriori veritatis praedicationi »; ideo potest aliquis fidem non habere, *primo* secundum *puram negationem*, uti in illis qui nihil audierunt de fide, et tunc habetur « *Infidelitas negativa* »; et *Infideles negativi* habentur in quibus poena, non autem culpa Infidelitas est. *Secundo* potest aliquis fidem non habere secundum *contrarietatem* ad fidem, uti in illis qui audierunt de fide, sed de fide nihil scire volunt, imo fidem ipsam spernunt; et tunc habetur « *Infidelitas contraria* »: *Infideles contrarii* habentur, in quibus infidelitas tum culpa tum poena est.

Theologia autem inspecta, infidelitas *a)* est actus intellectus a voluntate moti; dissentire enim est « proprius actus infidelitatis », ideoque sicut assentire est « actus intellectus, sed moti a voluntate », ita et ipsum dissentire et ipsamet infidelitas. (1)

b) Infidelitas est peccatum, imo maximum peccatorum, quamvis in aliquibus nonnisi poena sit. Est peccatum, quia peccatum consistit in aversione a Deo; per infidelitatem vero homo a Deo elongatur. Est maximum peccatorum, quia « aliquod peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis a Deo separatur. Per infidelitatem autem maxime homo a Deo elongatur: quia nec veram Dei cognitionem habet; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur ». In aliquibus nonnisi poena est « sicut in illis qui nihil audierunt de fide; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est ». (2)

c) Quamvis infidelitas maximum sit peccatum, non omnis tamen actio infidelis est peccatum. Pius V (1567) Gregorius XIII (1579) Urbanus VIII (1641) propositiones 25am et 68am Baii damnaverunt; quarum prima sonat: « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia »; secunda: « Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est ». Rursus per « infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum » (3).

***

Ex Infidelitatis notione ad Haeresis, ac Apostasiae conceptum transimus. Haeresis est prima « Infidelitatis » species atque definiri potest: « Liber et pertinax dissensus intellectus a veritatibus fidei ab Ecclesia ad credendum propositis, in homine qui fidem Christi profiteri fatetur, ipsique Christo assentire intendit ». Haeresis vocatur:

a) Dissensus, quia sicut fides assensus intellectus est, ita per oppositum « haeresis » quidam dissensus esse debet.

b) Liber, quia, S. Hieronymo (4) fatente, « *Airesis* graece, ab electione dicitur: quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam quam putat esse meliorem ».

c) Pertinax, quia prouti S. Augustinus (5) animadvertit: « Qui sententiam suam, quamvis falsam

(1) Cf. *Act.* XX, 30; *Tit.* I, 10; II. *Tim.* III, 13.
(2) Epist. « Pascendi ».
(3) 2-2ae 10. 1. ad 1.

(1) S. Th. 2-2ae 1, 1o, ad 1.
(2) Ib. a. 1. 2. 3.
(3) Ib. a. 5. Denzinger, 905, 948.
(4) *Comm. in Epist. ad Galat.* l. 3, c. 5, v. 19, 20. M. 26, 445. Cf. S. Th. 2-2ae 11 a 1. « Haeresis electionem importat ».
(5) *Epist.* 43, c. 1. M. 33, 160.

atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quacrunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, quum invenerint; nequaquam sunt inter haercticos deputandi».

d) Intellectus, quia haeresis respicit veritatem, quae obiectum intellectus est, quamvis actum voluntatis moventis ad dissentiendum praesupponat.

e) A veritatibus fidei, hoc est non solummodo a veritatibus quae «directe et principaliter» ad ipsam fidem pertinent, uti sunt articuli fidei; sed etiam a veritatibus quae «indirecte et secundario» ad fidem pertinent, sicut «ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius articuli»; circa enim «utraque, scribit Angelicus (1), potest esse haeresis, eo modo quo et fides».

f) Ab Ecclesia ad credendum propositis, quia Ecclesia a Christo munus recepit, declarandi, proponendi, ac conservandi fidei veritates, quae credendae sunt.

g) In homine qui fidem Christi profitetur; si enim homo Iesu Christi fidem non profitcatur, ipsique Christo assentire nolit, habetur species infidelitatis «Paganorum et Iudaeorum», non vero haeresis; haeresis siquidem «importat corruptionem fidei christianae».

h) Ipsi Christo assentire intendit; haereticus enim intendit Christo assentire, sed deficit in eligendo ea quibus Christus assentiat, quia non eligit ea quae sunt vere a Christo tradita, sed ea quae sibi propria mens suggerit» (2).

Manifeste apparet, iuxta dissensus mentis haeretici diversitatem, diversas quoque haeresis species oriri. Si enim dissensus, pertinaci, scienti ac mala voluntate ponatur, haeresis «formalis» vocata habetur; si vero non pertinaciter neque mala voluntate sed ex sola ignorantia intellectus dissensus existat, haeresis «materialis» dicta habetur. Rursus, si dissensus intellectus a veritatibus fidei, in interioribus animi maneat, haeresis «interna» dicitur; si vero dissensus verbis scriptoque manifestetur exterius, haeresis «externa» habetur. Hinc dari potest causa ac de facto datur, quod catholicus vir haereticus sit; dum aliquis ex Protestantibus vel ex aliis Sectis a Romana Ecclesia separatus, haereticus non est. (3)

***

Ultima infidelitatis species est Apostasia, quae secundum Angelici mentem definiri potest: «Quaedam retrocessio vel discessio a fide». Homo enim diversimode Deo coniungi potest; *primo* quidem «per fidem»; *secundo* «per debitam subiectionem voluntatis ad praeceptis eius obediendum paratae; *tertio* per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia, sicut per religionem, clericaturam, vel sacrum ordinem. Quoties homini contingit «apostatare a Deo, retrocedendo a religione quam professus est, vel ab ordine quem suscepit, habetur apostasia «religionis» seu «ordinis». Quoties homini contingit «apostatare a Deo per mentem repugnantem divinis mandatis» habetur secunda apostasia, in qua sicut et in prima «adhuc potest remanere homo Deo coniunctus per fidem». Quoties denique homo discedit *a fide*, tunc omnino a Deo retrocedere videtur. Et ideo simpliciter et absolute est apostasia per quam aliquis discedit a fide, quae vocatur «apostasia perfidiae». Apostasia huiusmodi «simpliciter dicta ad infidelitatem pertinet.» (1)

Reginaldus Fei O. P.

(1) L. c. a. 2.
(2) S. Th. 2-2ae 12, 1.
(3) S. Th. 2-2ae 11, 2, ad 3. Nota verba S. Thomae respectu scriptorum qui dissenserunt circa veritates nondum per Ecclesiam definitas: «Si aliqui doctores videntur dissensisse in quibusdam ad fidem pertinentibus quae nondum erant per Ecclesiam determinata; postquam autem essent auctoritate Ecclesiae determinata si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, haereticus censeretur».

(1) 2-2ae, 12. 1.

Acceptorum VOCIS URBIS praemiorum facta fides

I.

PAULUS RECANATESI, viro clarissimo dri. IOSEPHO FORNARI, "Vox Urbis,, commentarii Moderatori, s. p. d.

Me duplex contristat hiems aetatis et anni; inde causae quibus ad hunc diem sum distentus, ne pulcherrimum illud argenteum numisma, quod coriacea theca reconditum dono misisti ad me diligentissime, acceptum testarer. Parce igitur morae, plurimasque hodie habeas gratias; habeas et omina, ut latinae linguae in honorem, vix heu! nunc a paucis balbutitae, ad veritatis, fideique nostrae, in tanta morum corruptela, strenuam defensionem, *Vox Urbis* commendabilis commentarius in dies magis per orbem diffundatur. Tu autem, rerum dulcissime, macte nova semper virtute ac vale.

Dab. Auximi, x Kal. Febr. MCMXIII.

II.

IOSEPHO FORNARI, clarissimo atque impigro Commentarii "Vox Urbis,, moderatori, MARCUS GALDI s. d.

Accepi argenteum pulcherrimumque numisma, quod mihi dono misisti ob mea qualiacumque anni superioris scripta, et gratias quamplurimas ex animo ago.

Magno quidem erit incitamento id laboris praemium, neque despero maiorem industriam in tuum Commentarium, si quid otii detur, conferre posse. Interea libenter opto ut, te moderatore, magis magisque in dies *Vocis Urbis* decus nomenque per latiores fines augescat.

Vale meque tibi ac tuis rebus omnia fausta precantem tuaeque benignitati addictissimum habe.

Beneventi, ex R. Lycaeo, a. d. XVI Kal. Febr. MCMXIII.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Idemne "Animus,, quod "Anima,, sit.

Huiusmodi quaestio multis fortasse mira aut plane superflua videbitur; rem tamen non parvi nonnunquam momenti esse demonstrare conabor; idque etiam docebit quantum linguae latinae perfectum studium etiam in rebus «biblicis» valeat, et qua de causa prudens et accuratum studium philologicum scholis sacerdotalibus pontifex maximus Leo XIII suo tempore litteris encyclicis praeceperit (1).

Sed ab initio ordiendum est.

Fere quinquaginta ante annos, ut alibi, ita etiam apud nos in Poloniae parte Russis subdita iuvenum litterarum studiosorum cohors, quae «positivistarum» dicebatur, emicuit, nihil verum esse clamans, nisi quod sensuum ope aspici, tangi, probari posset. Quam doctrinam etiam ad fidem Dei revelatam religionemque nonnulli accommodare studuerunt; ex quibus unus disputatione, in positivistarum ephemeride (*Niva* idest «agellus» inscribebatur) excusa, prorsus hominum animos nullos esse demonstrare sibi proposuit. Quae disputatio *Mózg i dusza* (h. e. cerebrum et animus») inscripta est. Neque satis erat auctori argumentis physicis balbutire omnes, quae animo cuidam attribuantur actiones, cerebri atque nervorum esse fructus, sed rem sententia quoque ex libris sacris citata fulcire est ausus. Quam sententiam ex l. Leviticо (XVII, 11) eripuit, ubi haec invenit verba: «Anima carnis in sanguine est»; quae quum magna pervicacia recitasset, en, inquit, ipsa Scriptura sacra animum existere negat.

Iam, opinor, claret, quare quaestio animi animaeque, quae in studiis latinis neglegi et praeteriri solet, digna sit, quae disceptetur.

Non est negandum in multis linguis excultis recentibus duo existere vocabula, quorum synonymica ratione alterum pro altero usitari solet, ut in lingua germanica scimus esse *Geist* (animus) et *Seele* (anima), Polonorum aut Russorum lingua *duch* et *dusza*. Idem etiam in lingua latina invenimus, in qua etiam anima saepe pro animo ponitur. Sed alia res est miscere verborum significationem in oratione neglecta aut sermone vulgari, alia iis in disceptatione rationali aut philosophica uti, id quod iam in ipsis iis linguis, quum res accuratius est distinguenda, clarescit. Verum est in lingua germanica dici *die Seele* (pro *der Geist*) *des Menschen est unsterblich;* nemo tamen excultus dicet die *Seelenwelt* pro die *Geisterwelt;* simili modo Polonus aut Russus dicit *dusza* (pro *duch*) *cztowieka niesmiertelna*, neque tamen dici potest *dusza ojca mu sie pokarata*, sed *duch ojca mu sie pokarat* (non anima patris, sed animus ei apparuit). Iam inde sequitur etiam in lingua latina eiusmodi mixtionem et mutationem vocabulorum apud auctores nobis occurrere posse, ubi res accuratam eorum distinctionem non exposcit. Sed ne ab iis quidem anima pro animo usurpatur, si orationis sensus, ut significatio accurate distinguatur, postulat. Innumerabilibus exemplis rem demonstrare est. Si quis dubitet, indicare possumus. Hic satis esto citare aliquot praestantiores auctorum locos, ut Ciceronis: «Qui non modo *animum* integrum, sed ne *animam* quidem puram conservare potuisset» (*Ver.* V, 58. 134); aut eiusdem: «Credo deos *immortales* sparsisse *animos* in corpora humana,» aut Sallustii: «*Animi* imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est» (*Coniur. Cat. cap. I*); aut cuius nomen, non sententia memoria mea excidit: «Difficile est animum perducere ad contemptionem animae».

Nonne ex illis exemplis facile coniici potest, quam validum discrimen inter animum et animam apud perfectae artis cogitandi compotes scriptores regnaverit?

Nonne videmus voce «animi» significari illam hominis partem, quae etiam ab eius corpore absumpto, mortuo, seiuncta aeterna remanet, vivit, ut inter alios etiam ab Sallustio (*Bel. Iug.* c. 1) docemur: «Corporis et fortunae bonorum, ut initium, sic finis est — animus incorruptus aeternus rector humani generis.....»?

Quid igitur deinceps anima? Id nos praeter alios Vergilius distinctius monet (*Aen.* IX, 349): «Purpuream vomit ille animam»; id quod alio loco (IX, 414) ita exprimit: «Vomens de pectore calidum flumen». Est igitur anima pro sanguine, qui fons vitae terrestris, qui corporis vis vitalis est, posita; quae vis etiam beluae iam necatae aliquod tempus corpus movet, ut in gallina, aut vitulo, aut ove non solum ego puer, sed alii, opinor, animadvertere potuerunt; id quod Senecae sententiam in memoriam revocat: «Animantia quaedam animum habent, quaedam tantum animam».

Re ita soluta, iocose mihi, sed vere, addere liceat illum supra memoratum iuvenem «positivistam» nomine salvo nostratem, qui *animum* scripto suo auferre conatus erat, posteriore tempore in «spiritistam» mutatum, cum Eusapia illa Paladino migravisse et hominum curiosorum coetui mortuorum animos ostendere conatum esse, qui animi negationem eius praeteritam ulciscentes, prodire noluerunt.

Varsaviae Polonorum.

IOSEPHUS WABNER.

(1) Conf. *Vox Urbis*, N. VI, a. MDCCCCVI.

IN BACCHANALIA

(Elegia)

I.

Cantibus adveniunt tandem sollemnia Bacchi:
Vos, pueri, saltus, vos, iuvenesque, date.
Ingens fit strepitus, pulsantur tympana, plebsque
Indulget vino, lusibus atque iocis.
Tollitur immodicus, turba strepitante, cachinnus:
Per plateas, vicos ludicra verba volant.
En temulentus adest opifex trepideque labascit;
Exagitant pueri, probra nefanda vomit.
Festinas recta tremebundus tendere limen;
Iam personati mordicus exstimulant.

Cur mihi, si curis teneor districtus et anceps,
Istorum insidias non datur effugere?
Cur mihi, dum spatior, sonitu exsurdantur et aures?
Percutiuntque animum terrificae species?
Heu furor et rabies, praecepsque licentia Bacchi!
Quidne, iuventa, paras? quo furiosa ruis?
Lascivae choreae, nocturni scommata risus,
Mollities sensus garrulitasque dicax...
Nunc vero sensim lusus vanescit in auras:
Orgia thyrsigeni quid prius enumeres?

II.

Vidistisne virum silvas et prata vagantem
Quaerere aves rapidas artibus atque dolis?
Si reperire sibi occurrit loca fraudibus apta,
Ponit ibi insidias atque trucidat aves.
Sic fallax daemon animas cum perdere quaerit,
Fraudibus inquirit tempus et apta loca.
Quodnam censetis crudelem quaerere tempus?
Optima vina inter magnificasque dapes.
Si ergo vos animam taedet tam amittere pulchram,
Has vitate epulas laetitiasque breves.
Sic Sancti, nam pompis divitiisque relictis,
Traxerunt omnes in nemora alta dies.
Quis nostrum florens annis et splendidus auro
Istorum audebit fortia facta sequi?
Quis poterit proprium corpus laniare flagello,
Atque famem, magnam pauperiemque pati?
Non tamen a nobis noster Deus ista requirit:
Legem servato et sidera quisque petet.
Quid vero lex ista iubet, quid praecipit ergo?
— Dilige consimiles, diligitote Deum. —
Donec homo in terris vitam direxit ad istam,
Nec leve nec magnum crimen in orbe fuit.
Hac conculcata ut Pandorae ex vase venusto
Quae terras premerent exsiliere mala.
Atque adeo vastum presserunt crimina mundum
Ut tibi non constet quae sit habenda via.
Atque illuc hominum processit dira cupido
Turpibus ut vitiis vel pueri scateant.
Nos etiam istorum vestigia falsa sequemur,
Ibimus an potius sub sacra iussa Dei?
Ah potius Christi legem et praecepta sequamur,
Et pax in nostro corde perennis erit!

Scribebam Beneventi, a. d. XV Kal. Febr. MCMXIII.

M. GALDI.

Navita de ventis, de bobus narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

PROPERTIUS.

DE LEONE XIII P. M.
COMMENTARIUS [1]

III. — In Urbe ad Collegium Romanum.

Scholis adhuc Rethorices, ut illius aetatis vocabulo utar, rite idemque laudabiliter Viterbii peractis, adolescens Peccius domum rusticaturus adiit, ut valetudinem quoque suam tot laboribus exagitatam per otium reciperaret.

Feriis autem autumnalibus labentibus, dum inter suorum amplexum omnia sibi bona a Deo auspicatur, acerba funera domum suam vexarunt, quibus eius animus adflictatur miserrime. Vix enim a Collegio excesserat, cum primum frater natu maior, quocum honeste in scholis de primatu decertaverat, et coniunctissimis animis vixerat, improbo morbo praereptus, florente omnino aetate, insigni parentum amicorumque luctu, sancte decessit. — Haud ita multo post, ipsa mater, quam unice noster deamabat, Deo defixa, in filiorum complexu, mortalem vitam immortali placide mutavit. Hoc refricato vulnere inconsolabilis Vincentius diu graviter ingemuit, atque in una eius contemplatione virtutum conquiescens, ei aeternam caelestium beatitudinem adprecatus, inter caelites aliquando cum ipsa se victurum esse sperabat. Una eius in Deo fiducia, illis temporibus, animum rexit, atque adiuvit. Eique Deus praesenti auxilio adfuit, quo confisus, et naturali perpetua animi bonitate, quae nunquam humanis casibus agitata fuit neque minuta. — Imo nullis nequaquam periculis deterritus, invictum animum a terrenis cupiditatibus alienum exhibens, mortalia contempsit atque ad caelestia unice spectavit.

Adpetente itaque novo scholarum anno, Romam a patre conductus est, ut ad philosophicos ludos animose accederet. Ipse vero, Deo unice devotus, quo tutius rebus divinis inserviret, sacrae militiae nomen dare instituit.

Constat apud omnes in Urbe omnium fuisse tunc celeberrimum Collegium, quod a Gregorio XIII P. M. iuvenibus docendis excolendisque fuerat apertum. Ad hoc, sub ductu praescriptoque sapientissimorum sodalium, qui nomen a Iesu habent, frequentissimi discipuli quotannis conveniebant ex omnibus Italiae provinciis, et dissitis undique regionibus, qui doctrinarum studio, pulcrique sensu exornarentur: quotquot aetatis suae doctrinarum peritissimi haberentur, qui clari essent in pueris instituendis, illuc ad docendum vocabantur. Ut alios omittam, floruerunt illa tempestate Ioannes B. Piancianius, Andreas Carafa, et paullo post Angelus ille Secchius, qui posterior patrum memoria, sic astrorum scientiae peritissimus aestimabatur, ut omnibus non modo Italis, sed et exteris maxime praestaret.

Hisce summis doctoribus usus, quum ingenio maxime valeret et virtutibus, omnium sibi gratiam facile conciliavit, atque ita in penitiore scientiae studio, matheseos, physicae, rerumque naturalium, quas vocant, in exemplum eluxit, ut primas in omnibus retulerit. Ita tamen mathesin arripuit, eiusque abdita studiosius

(1) Cfr. num. sup.

perspexit, ut omnes aequales superaret. Quum vero poeticam artem in primis colere et praestare omnes pernoscerent, hic passim sermo inter socios serebatur, unum Peccium sua aetate demonstrare poësim et mathesin simul arripi posse et vinculo quasi sororio devinctas sibi mutuum auxilium exhibere.

Nec suus quoque eloquentiae deerat honos. Sed eius dicendi facultas haud ieiuna erat et nuda, sed aspersa et distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, quae rarissime in pueris adest. Vel illo tempore rapide mente arripiebat, animoque referebat italicos poetarum cantus, eosque sub doctissimo magistro cum exquisitissimis Homeri aut Horatii carminibus eleganter comparabat, quorum lectissimos locos, pro re nata, devexa iam aetate, memoriter carius recitabat. Vere eloquens videbatur, si eloquentia est, uti a Tullio definitur, *copiose loquens sapientia*.

Quoniam tempus et res ipsa me monet, arrepta occasione, vel honoris gratia, libenter memorabo suavissimum itemque doctissimum Franciscum Maneram, domo Neapoli, atque illa aetate studiorum praefectum. Hic benigno hospitio identidem excipiebat electissimos quosque Collegii Romani alumnos, qui penitiore cultu italici sermonis elegantias cuperent, eosque peculiari diligentia erudiebat, atque adsiduis scribendi legendique exercitationibus sermonem patrium acerrime per otium procurabat. Experrecto ingenio donatus, idemque laboris patientissimus, illam sibi doctrinam comparaverat, ex qua sententiarum et verborum copia efloresceit. Illustriores nostrorum historicorum narrationes cum veteribus componebat; neque minus delectabatur quum Vergilianas atque Horatianas sententias suavissimis Alighierii, Petrarchae atque Tassi luminibus hilararet.

Eius studium atque benevolentia nunquam ex alumnorum memoria excessit, atque felix egregii hominis institutio ab omnibus memorabatur, nec annis labentibus imminui potuit. Quibus rebus, insigniter triennio studiorum expleto, ut eius merita clarius explendescerent, suamque virtus haberet laudem, summi Collegi magistri sententia statutum est, ut Peccius de studiis optime susceptis, causam diceret. Dolendum sane, quod valetudine prohibitus, a scholis ei fuerit antea discedendum, quam de omnibus thesibus ex universa philosophia desumptis disputaret.

Bonis enim artibus fovendis cautum erat ut qui princeps inter aequales studiis exstaret, quibus fuisset instructus, proposito anniversario certamine, eleganter ac publice traderet in omnium exemplum (1).

Haud abs re erit, ut quisque pictatem indicet adolescentis eiusque in scribendo perspicuitatem atque eloquentiam, deferre inscriptionem latino sermone exaratam, quam hic in honorem Augustae Dei Matris insculpendam curavit: «Mariae Sanctae Deiparae ab angelo salutatae, templum hoc, quod positum inferius secus fontem, eminere olim minus poterat, Caietanus Pasqualis, fundo a gente Peccia tributo, aere a Carpenetensibus collato, in altiori et amoeniori hoc loco erexit an. MDCCCXXVII».

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

(1) Placet in medium referre nobile honoris documentum:

« Collegium Romanum Societatis Iesu.

« Fidem facimus praestantem invenem Ioachimum Pecci, per triennium in hoc Athenaeo Gregoriano philosophiae studio vacasse, in eoque adeo profecisse, ut iudicio doctorum decuriatium dignus habitus sit, qui de selectis ex universa philosophia thesibus, labente anno scholastico 1829, publice disputaret. Cum vero id perficere ab infirma valetudine fuerit prohibitus, rem ipsam nostris hisce libris testatum volumus, atque optimae spei adolescentem benemerita laude et elogio prosequimur. — Datum in Collegio Romano 30 Decembris 1830.

FRANCISCUS MANERA, S. I.
Studiorum praefectus».

PAROEMIA SIVE ADAGIA

Mare caelo miscere.

Proverbialis hyperbole pro eo adhibetur quod est omnia perturbare, nihilque non facere. T. Livius: « Quid est quod caelo terram, caelum terrae misceant? » Idem alibi: « Quid tandem est cur caelum et terras misceant? » Iuvenalis:

. . . Clames licet et mare caelo
Confundas, homo sum.

Lucianus in Dialogo Promethei et Mercurii: Quid igitur, ait, oportebat ea gratia, terrae, quod dici solet, miscere caelum?

Vergilius in V. *Aen.* de Iunone omnia tentante, miscuisse scribit maria omnia caelo, atque paulo diversius in lib. XII:

. . . Non si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens caelumve in tartara solvat.

Non dissimili figura usus est Aristophanes in *Lysistrata*. Plutarchus autem in *Vita Romuli* sic usurpat, ut caelum terrae misceant, qui ex hominibus deos, ex iis homines faciunt, et quae sunt hominibus fabulantur de diis.

Miscere sacra profanis.

Consimili figura dixit Horatius: *Miscebis sacra profanis;* id est: Nihil non facies. Confundis fasque nefasque.

Apud veteres multum erat discriminis inter res hominum, ac res deorum; adeo ut Homerus etiam vocabula discernat, quibus dii consueverunt uti, a vocibus humanis; et Pythagoras a quibusdam abstineri iusserit, quod numinibus essent consecrata. Unde, qui nihil habent pensi, quique nihil non audent, miscent sacra profanis.

Sub lapide scorpio.

Admonet adagium cavendum esse, ne quis apud captiosos et calumniosos temere loquatur: quidquid enim attigerit, periculum esse ne mordeatur. Constat enim scorpium solere sub saxis cubitare; quae si quis tollat incautius, fit ut, ictus, vulnus accipiat. Conveniet et in morosos, qui quidvis causari solent; vel in pigros, qui frivola quaedam praetexentes suffugiunt laborem.

Adhibuit Sophocles, atque etiam Aristophanes.

VERSALIENSES AEDES

Versaliarum urbs, undeviginti circiter millia passuum a Gallorum urbe capite distans, ineunte saeculo XVII parvum oppidum etiamtum erat, ubi Ludovicus rex, huius nominis XIII, venatoriam insulam sibi condidit. Ludovico autem XIV situs ille tam amoenus visus est, ut ordinarium domicilium suum ibi ponere constituerit. Celeberrimis igitur artificibus undique accersitis, brevi pagum in splendidissimum rus, magnificentissimasque aedes commutavit, tam magnum auri pondus in perficiendo opere impendens, ut non immerito a scriptore quodam divitiarum abyssus nova haec regia domus vocaretur.

Aedes, in quibus Arduinus Mansard et Carolus Lebrun ingenium et virtutem suam explicarunt, edito loco extolluntur, nec valde speciosae apparent advenienti ex armorum, quod vocant, foro, a quo per amplam aream separantur in aliquot cavaedia divisam, quorum praecipuis *Honoris*, *Administrorum*, *Marmoris* nomen. Heic insula ex latericiis parietibus a Ludovico XIII, ut diximus, exstructa adhuc conspicitur; quod si recentioribus aedium partibus maiestate longe cedit, ad occidentem vero solem solarium praebet, ex quo tam amplus variusque est in venationis subiectum septum adspectus, ut vix oculis definiatur.

Horti, iuxta lineas Le Nôtre architecti instituti, arboribus directo ordine consitis iucundisque luculis affluunt, vasibus, statuis fontibusque exornatis, quibus aquas alveus studiose manufactus suppeditat. Huius ad septem triones castrum *Magni Trianon*, marmore per omnes parietes inducto, a Ludovico XIV et ipsum aedificatum est; proximeque, ad orientem versus, Ludovicus XV *Parvum* posuit *Trianon*, ab infelici illa Maria Antonia, Ludovici XVI regis uxore, singulari arte deinde excultum.



VERSALIENSIUM AEDIUM PROSPECTUS.

Quamquam, interior Versaliensium aedium centralis pars, eaque omnium maxima, quamlibet exspectationem magnificentia vincit: ibi atria, exedrae, peristylia, sacrarium, theatrum, pinacotheca; quorum parietes et camarae abacis, tectoriis operibus (ipsisque plerumque deauratis) redundant; ibi pavimenta sectilia, tessellata, vermiculata, scalpturata; texta et supellectilia maximi pretii; ita ut Solis-regis veram sedem iure hanc et facile dixeris.

Atqui rerum eversio quae, exeunte XVIII saeculo, contigit, huiusmodi thesauros non semel profanavit corrupitque; regiaque Gallorum familia d. VI mens. Octobris MDCCLXXXIX fere per vim erepta inde est,

deliciarum locum cum patibulo, parvo tempore post, commutatura. Illuc rediit Napoleon; nemo vero post eum Versalienses aedes habitavit, quae, in museum nunc conversae, antiquum aulicum splendorem raro tantum resumere videntur; quum scilicet Gallici populi legati atque senatores eo conveniunt, ut summam reipublicae dignitatem suis suffragiis eligant; quemadmodum proximo quoque Ianuario mense factum est.

I. F.

COLLOQUIA LATINA

Chartulae lusoriae (1).

VALERIUS. — Quid agis? Non vertis chartam indicem?

LUDOVICUS. — Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim.

V. — Unam habes plus iusto.

L. — Deponam.

V. — Non est ea lex lusus, sed ut vicem tuam amittas distribuendi, et transeat ad sequentem: cede folia.

L. — Non faciam, quandoquidem nondum protuli indicem.

V. — Immo facias, hercle!

L. — Quid tu dicis, iudex?

MANRICUS. — Profecto ignoro, quid sit in hoc facto statuendum.

L. — Qualem iudicem nobis praefecimus sine iudicio, ducem sine oculis?

V. — Quid ergo fiet?

L. — Quid tandem? Nisi ut mittamus quemquam Romam, qui hac de re afferat nobis consultum aliquod Supremae Curiae iurium tribuendorum?

CLAUDIUS. — Misce omnia, et rursum impertire.

THEODORUS. — O qualem ludum mitto de manibus! Non obveniet mihi hodie similis.

C. — Misce probe isthaec folia, et praebeto singulis attentius.

V. — Augeo sponsionem.

T. — Num non praedixi, non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? Cur ego ludum vel aspicio oculis?

V. — Recipis ne auctam sponsionem, Ludovice?

L. — Recipio, et rursum augeo.

V. — Quid tu speras me ferocibus tuis verbis protelare? Non concedo.

L. — Effare tandem semel et expedite: admittis ne?

V. — Etiam, et quidem libentissime: et animus instigat me tali ludo maiore pretio certare; sed istud inter amicos sufficit.

(1) Cfr. num. sup.

T. — Quid vero me non computatis inter vivos? Adeo nulla est mei intentio?

M. — Quid igitur tu ad haec, homo morosus?

T. — Licet fortuna non mihi secundet, augeo tamen mea ex parte depositum.

L. — Quid tu, Claudi?

C. — Nunc me tu consulis, posteaquam tua opera depositum crevit in immensum? Ego incrementum hoc meo hoc ludo sustinere non sim ausus.

V. — Responde affirmative, soci mi.

C. — Non habeo quod sic respondeam, sed valde ambigue, et dubitanter, et cunctabunde, et timide, et diffidenter. Est ne sic satis expresse dictum?

V. — Deum immortalem, quanta copia! Non tam densa nuper cadebat grando! Sed quaeso te, periclitemur paullisper.

C. — Experiamur, quando ita tibi placet; a me vero non sperabis magnam opem.

L. — Feres tamen quas poteris suppetias.

C. — Nihil necesse id habes admonere.

T. — Atque plane; nos enim victi sumus.

V. — Vicimus denarios quatuor. Addo quinque asses. Misce.

C. — Quid ad hanc provocationem dicis, Ludovice?

L. — Quid dicam? Fugio.

C. — Tu perdidisti proximum ludum; sine nos hunc arbitratu nostro perdere. Sentio enim me esse inferiorem, sed substinendum est, quandiu aliquid video superesse virium.

V. — Quid? Recusas?

C. — Quinimo addico.

M. — Tu, Valeri, non nosti hunc Claudium? Superiorem quum habet ludum, ita solet callidos provocatores illectare in suum rete. Vide, ne quo temere progrediaris ubi tenearis irretitus.

V. — Divûm fidem! Quomodo potuisti divinare solum mihi folium postremum huius familiae?

C. — Nulla equidem ei divinatio qui videat nescire te ludum ad victoriam scienter accommodare; sed folia iacere absque arte, ubi sors tulerit, ratum nihil interesse quid prius, quid posterius mittas, quid socius aut adversarii iecerint, quae retinuerint.

T. — Faciamus, quaeso, tandem ludendi finem. Omnium rerum est satietas; etiam voluptatum.

C. — Et ego defessus sum in sedendo: assurgamus aliquantisper.

V. — Sit; atque Manricus capiat testudinem hanc et aliquid nobis cantillet.

M. — Quid tandem?

V. — De ludo quidpiam.

M. — Carmen Vergilii?

T. — Deus meliora! Vergilii versibus aptare modos!...

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

De Communione in Ecclesiis non parochialibus etiam Regularibus die Paschatis Fidelibus administranda.

Quum quaesitum a Sacra Congregatione Concilii fuisset, an, post decretum de quotidiana SSmae. Eucharistiae sumptione, cuius initium: «Sacra Tridentina Synodus», servanda adhuc sit lex, qua prohibetur quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis etiam causa, SSmae. Eucharistiae Sacramentum administretur; SSmus. Dominus noster Pius d. p. PP. X, audita relatione Emi. Cardinalis S. Congregationi Concilii Praefecti, responderi iussit: *Negative.*

(Ex decr. d. XXVIII mens. Novembris MCMXII).

Ex Congregatione Consistoriali.

Decretum circa actiones scenicas in ecclesiis.

Postremis hisce annis haud raro contigit ut per *cinematographa* et *proiectiones*, ut aiunt, actiones quaedam scenicae in ecclesiis haberentur. Quod, etsi pio iuvandae religiosae fidelium institutionis desiderio peractum fuerit, visum tamen est periculis atque incommodis facile locum dare. — Quum itaque nonnulli Sacrorum Antistites ab Apostolica Sede quaesiverint utrum eiusmodi usus tolerari posset an potius cohiberi deberet, ad Emos. S. Congregationis Consistorialis Patres delata res est. Porro hi considerantes, aedes Deo dicatas, in quibus divina celebrantur mysteria et fideles ad caelestia et supernaturalia eriguntur, ad alios usus et praesertim ad scenicas actiones etsi honestas piasve agendas converti non debere, quaslibet proiectiones et cinematographicas repraesentationes prohibendas omnino esse censuere. SSmus. autem D. N. Pius PP. X sententiam Emorum. Patrum ratam habuit confirmavitque, atque edi iussit generale decretum, quo ea agi in ecclesiis prohiberetur, die X mens. Decembr. MXMXII.

Ex Congregatione de Disciplina Sacramentorum.

Iurium.

— Ordinarii permittere possunt per modum actus, ut sacrosancta missa extra locum sacrum, privatis in domibus, celebretur ex iustis et rationalibus causis, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatisque aliis de iure servandis et gratis omnino quocumque titulo.

— Ex iusta pariter et rationabili causa Ordinarii permittere possunt, ut parvulis, praeterquam quod instante mortis periculo vel urgenti infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur.

— Item ex iusta et rationabili causa Ordinarii permittere possunt, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et sacram Communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur, servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in Decreto *Inter omnigenas*, 2 Febr. 1744, § 23, scilicet: «Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur».

(Ex decr. d. XXIII mens. Decembr. MCMXII).

Ex Congregatione Indicis.

Per decr. d. XX mens. Ianuarii MCMXIII in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

BEGEY e FAVERO. *S. E. Mons. Arcivescovo L. Puecher-Passavalli, Predicatore Apostolico, Vicario di S. Pietro. Ricordi e lettere (1870-1897)* - Milano, Torino, Roma, 1911.

KARL HOLZHEY. *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament.* - Paderborn, 1912.

LASPLASAS. *Mi concepto del mundo.* Libro tercero: El mundo y el yo humano. - San Salvador, 1911.

— *Discurso sobre la filosofia.* Resumen de «Mi concepto del mundo». - Barcelona, 1912.

45 Thesen zur Gewerkschafts-Enzyklika «Singulari quadam» von Ghibellinus und Germanicus. Seiner Eminenz, dem Herrn Kardinal Kopp, Fürstbischof von Breslau und Seiner Exzellenz, dem Herrn Kultusminister Trott zu Solz ehrerbietigst zugeeignet. - Herford in Westf., 1912.

VALERIANO FERRACCI. *Cenni biografici della Serva di Dio Paola Mandatori-Sacchetti.* Roma, 1905. (Decr. S. Off. 28 Aug. 1912).

Ex eodem decreto notum fit Aloysium Izsof, Th. De Cauzons et Valerianum Ferracci decretis, quibus quidam eorum libri prohibiti sunt, laudabiliter se subiecisse.

Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis.

Declaratio circa Indultum de abstinentia et ieiunio pro America Latina.

Proposito dubio, utrum Indultum d. 1 Ianuarii MCMX de abstinentia et ieiunio pro America Latina vim quoque habeat in omnibus Antillis et ceteris insulis maris Caraibici, SS. D. N. Pius d. p. PP. X, respondendum decrevit: «*Affirmative*», ad normam Declarationis authenticae d. XVI Augusti MDCCCXCVIII, qua Litteras Apostolicas *Trans Oceanum* etiam in memoratis insulis vigere edicitur; quoad usum, vero, privilegiorum seu indultorum servandam esse quoque Declarationem d. XIII Decembris MCMXI.

(Ex decr. d. X mens. Decembris MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

Dubium quoad indulta abstinentiae et ieiunii relate ad Religiosos.

Utrum in indultis apostolicis, quibus mitigationes vel dispensationes conceduntur ab abstinentia et ieiunio in regionibus intra et extra Europam, praeseritm in

America Latina, comprehendantur familiae Religiosae ibi degentes? — *Resp.* I. Affirmative quoad abstinentiam et ieiunium a lege Ecclesiae generali praescripta, nisi ab indulto excludantur Religiosi. — II. Negative quoad abstinentiam et ieiunium a propriis Regulis et Constitutionibus statuta, nisi in indulto expresse de hac dispensatione mentio habeatur. Non servantes igitur huiusmodi abstinentiam et ieiunium, transgrediuntur quidem Regulam et Constitutionem, non autem legem Ecclesiae, ideoque culpam tantum et poenam incurrunt a Constitutionibus vel Regulis statutam. — III. Quoad vero Religiosos in America Latina degentes, standum novissimo Indulto per Secretariam Status concesso, die 1 mens. Ianuarii MCMX.

(Ex decr. d. 1 mens. Septembr. MCMXII).

Dubium circa Religiosos votorum solemnium degentes ad tempus extra claustra.

Utrum Religiosus, habitu regulari dimisso, extra claustra ad tempus degens indulto apostolico, cum facultate ab episcopo obtenta celebrandi Missam et alia opera sacerdotis propria peragendi, subsit eidem Ordinario, ita ut episcopus habeat in eum iurisdictionem et auctoritativam et dominativam potestatem, quamvis in Rescripto desit consueta formula: «Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti?» — *Resp.* Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.

(Ex decr. d. 1 mens. Septembr. MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

De Oratione Dominica et aliis Officio Defunctorum praemittendis.

Proposito dubio: «An ante Vesperas Defunctorum praemitti debeant *Pater et Ave;* et ante Matutinum *Pater, Ave et Credo?*» resp. «Affirmative, quoties Vesperae aut Matutinum Defunctorum separatim ab Officio divino recitentur».

De Communione infirmarum in Monasteriis clausurae papalis.

In defectu Confessarii vel Capellani, tertius sacerdos, etiam regularis, licet sine socio, legitime vocatus de licentia episcopi, qui pro hac licentia nomine ipsius episcopi concedenda etiam abbatissam seu superiorissam habitualiter designare poterit, sacram Communionem infirmis valeat deferre Religiosis, quae ad ecclesiae crates descendere nequeunt. Oportet autem ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis.

(Ex decr. d. 1 mens. Septembr. MCMXII).

Dubia varia.

I. - In novis rubricis, tit. X, num. 2, Missae votivae aut privatae pro defunctis prohibentur in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. Quaeritur: Quid intelligendum in verbo «reponenda»? *Resp.* Dicitur Missa reponenda, quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit: et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa feria in qua prima vice resumenda est Missa Dominicae.

II. - Si prima dies libera mensis sit sabbatum, et in eo fiat de S. Maria in sabbato, Missa principalis debetne esse de S. Maria, vel pro defunctis? Quid vero si impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis? — *Resp.* Celebranda est Missa principalis de S. Maria in sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, post Primam et extra chorum, celebranda est sine cantu Missa pro defunctis.

III. - In ecclesiis quarum titulus est S. Ioseph, et in locis in quibus S. Ioseph usque nunc tamquam patronus principalis celebratur die 19 Martii, festum patronale aut titulare servandumne adhuc est ipsa die 19 Martii, seu potius in Dominicam III post Pascha reponendum? — *Resp.* Festum de quo in casu convenientius in Dominicam III post Pascha reponatur: nisi speciales habeantur rationes illud in sua die 19 Martii retinendi.

IV. - In kalendariis dioecesanis reformatis quaedam festa particularia et non stricte propria suppressa sunt, quorum Officium vel ex Proprio dioecesano, vel ex appendice Breviarii pro aliquibus locis desumebatur. Quaeritur: Quodnam Officium adhiberi debet in ecclesiis ubi eiusmodi festa sint stricte propria, ac retinenda vel ratione tituli, vel patronatus, vel reliquiae insignis? Recitandumne adhuc est Officium in dioecesi suppressum, vel potius ad Commune recurrendum? — *Resp.* Adhibeatur Officium hucusque recitatum cum respondente Missa.

V. - In vigiliis S. Mathiae Apostoli, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae et S. Thomae Apostoli, prima in Quadragesima, ceteris in feriis Quatuor Temporum occurrentibus, licetne Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de feria maiori, vel de vigilia? — *Resp.* Affirmative.

VI. - Si eadem die 27 Iunii occurrant vigiliae S. Ioannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, Missae privatae poteruntne esse vel de festo occurrenti, vel de alterutra vigilia? — *Resp.* Affimative.

VII. - Attenta praesertim rubrica tit IX, num. 4, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum dioeceseos, tum provinciae, tum nationis, debentne singula festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari? — *Resp.* Affirmative; etiam quoad Patronum dioeceseos, dummodo hucusque festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici 1 classis cum Octava.

VIII. - Octava et nona lectio SS. Nerei et Sociorum Martyrum, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli suntne uniendae quando legenda sit nona lectio feriae aut Dominicae? — *Resp.* Affirmative quoad lectiones tantum SS. Nerei et Soc. Martyrum ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

IX. - Quo colore utendum est in festo Commemorationis Omnium Sanctorum S. R. E. summorum Pontificum? — *Resp.* Servetur antiqua praxis Patriarchalium aliarumque ecclesiarum Urbis in quibus adhibetur color rubeus.

(Ex decr. d. VI mens. Decembr. MCMXII).

Quo titulo honoris gaudeant Capitulares almae Domus Lauretanae.

Ex documentis authenticis exhibitis ac mature expensis constitit Canonicos, Beneficiatos, Capellanos Basilicae et almae Domus Lauretanae etiam honorarios, Familiares Papae nuncupari et esse; qua tales vero non recenseri inter Praelatos neque inter Cubicularios aut Capellanos Summi Pontificis; ideoque non gaudere horum coetuum titulis et privilegiis.

(Ex declarat. d. XI mens. Decembr. MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Ianuario MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Exterarum civitatum legati apud Apostolicam Sedem omina in novum annum offerentes; De Leiningen, Comes; Melania Metternich de Iohannisberg, Princeps foemina; Maria Theresia Ledochowska, Comitissa; De Rignon, Comitissa; Ioseph de Sanmarzano, Comes; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus, eiusque familia; Alexander Skzynno-Skrzynski, Comes, ex Austrorum Hungarorumque legatione apud Apostolicam Sedem; Hernestus Schönberg-Roth-Schönberg, Dynasta; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, eiusque familia; peregrinorum manus ex Opificum Germanorum Societate; Raphaël Errazuris Urmeneta, Chilensis reipublicae legatus cum uxore et liberis; Aloisia de Lardereł, Comitissa, cum Henrico filio; Collegii Germanici-Hungarici de Urbe alumni ac moderatores; Ioannes Borghese, Princeps Urbanus; D'Erp, Dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate civitatis Belgarum apud Apostolicam Sedem; Antici Mattei, Urbana princeps foemina; Olgierd Czartoryschi, Princeps, eiusque uxor; Von Jagow doctor, rerum ad exteros in Germania administer; Petrus Iosephus De Rada y Gumio doctor, a Secretis Peruvianae legationis apud Apostolicam Sedem; De Bomarzo, Dux, eiusque familia; Giustiniani-Bandini, Urbanus Princeps, eiusque familia; Carmelus Arango doctor, Columbianae civitatis administer apud Apostolicam Sedem; Franciscus Serlupi-Crescenzi, Marchio; De Bertier, Marchio; Turena e regali genere Comitissa; De Sancta Severina, Neapolitanus Dux.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Metropolitanae ecclesiae Strigoniensi praefecit rmum. d. Ioannem Csernseh, hactenus archiepiseopum Colocensem et Baesiensem; archiepiscopali ecclesiae Cusentinae sae. Thomam Trussoni, vicarium generalem Comensem et canonicum ecclesiae cathedralis; cathedrali ecclesiae Lugosiensi Rumenorum sae. Valerium Traianum Frentiu, presbyterum eiusdem dioeeesis, ibique vicarium foraneum; eathedr. eccl. Banialucensi r. p. Iosephum Garie, in saeculo Stephanum, Ordinis Fratrum Minorum Unionis Leonianae, provinciae Bosnae-Argentinae; titulari ecclesiae episcopali Amisensi rmum. d. Franciscum Di Costanzo, iam episcopum Nonopolitanum; cathedrali ecclesiae Catalaunensi sae. Iosephum Mariam Tissier, vicarium generalem Carnutensem.

Brevibus autem Apostolieis nominati sunt: R. p. d. Dominicus Tappuni episcopus titularis eecl. Bathnensis et auxiliaris Patriarchae Antiocheni Syrorum; r. p. Ludovicus Martrou e Congregatione S. Spiritus, episcopus tit. eecl. Coryeensis et Coadiutor eum futura successione Vicarii Apostolici Gabonensis in Africa eentrali; r. d. Andreas Leontius Iosephus Eloy, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteros, epise. tit. eecl. Magydensis et Vicarius Apostolieus Tomkin meridionalis, r. d. Vietor Carolus Quinton, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteros, epise. tit. Larandensis et Coadiutor eum futura successione Vicarii Apostoliei Cocincinae Oeeidentalis; r. p. d. Iosephus Hirt, nunc episcopus tit. Thevestinus et Vicarius Apostolieus de Victoria Nyanza meridionali, Vicarius Apostolieus novi Vicariatus de Kivu in Africa; r. p. Cletus a Baltaggia, in saeculo Vincentius Peiov, Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum, episcopus tit. eecl. Lyrbensis et Coadiutor eum futura suceessione Viearii Apostolici Sophiae et Philippopolis.

Nomin tio Praefecti Apostolici. — R. p. Iosephus Reiners, e Societate Verbi Divini de Steyl, Praefectus Apostolieus novae Praefecturae Apostolieae de Nygata in Iaponia nominatus est.

Varia.

Die XIV mens. Ianuarii MCMXIII in Xystino Sacello Pontificia Cappella habetur ad exsequiis funus celebrandum Luitpoldi Principis Bavariae regnum regentis, recens vita functi.

ANNALES

Balkanicae res.

Quae in Turcarum imperio fiunt ea sunt, ut omnium Europearum nationum mentem atque consilia occupent. De Balkanica enim quaestione citius solvenda, ne reliquae Europae pax turbetur, solliciti sunt omnes: hinc legati, Londini, uti alias diximus, congregati; inde gubernia, quibus stetit tandem una sententia, apud Turcarum administros simul urgendi, circa propositos a victoribus pacis terminos, ad remissionem. Re quidem vera huiuscemodi libellus exhibitus est, expostulans Adrianopolis urbis Balkanicis foederatis populis deditionem, utque ipsis exterarum Europearum gentium guber-

niis Aegearum insularum additio deferretur. Kiamil, Turcarum administrorum praeses, eiusque collegae, post vanas nonnullas moras, quum sibi tandem persuasum haberent finem bello tam infausto imponendum esse, neque id melius fieri posse quam Europearum nationum officiis assentiendo, contionem quae vulgo dicitur, nationalem, congregarunt secundamque eius voluntatem obtinuere; iamque ad redigendam hanc responsionem erant intenti, quum necopinato factiosorum Iuvenum Turcarum illorum globus, quibus profecto Turcae hodiernum statum suum miserrimum maxime debent, in administrorum aedes armata manu impetum facit; eos, qui obsistere conantur, et ipsum bellicorum negotiorum administrum Nazim, trucidant, Kiamilium eiusque collegas summa imperii abdicare vi iubent; abdicationem obtentam ac subscriptam ad Sultanum deferunt, qui facile alteri eorum, Mahmud Chefket, supremam a sene illo ac prudenti Kiamilio — quem illius momenti terrore apoplexi arreptum dictitant — tum habitam potestatem commisit. Brevi tamen innotuit facinoris huius — Enver illi praecipue tribuendi, cuius bellicam civilemque virtutem Itali nos hercle! in Libya cognovimus — utilitas, immo opportunitas. Tantae ne enim molis erat sanguinem effundere, ut inde tantum proponeretur Adrianopolis urbis in duas partes divisio, quarum altera ad Maritza fluminis dexteram Bulgaris tribuatur; altera, ad laevam, servetur Turcis? Haec enim restitutorum patriae acute cogitata solutio!

Interea Balkanici legati, non absurde fortasse putantes de certa pace, nunc saltem, agi ulterius non posse, indutias sustulerunt. Tertia igitur huius Februarii mensis die bellicorum tormentorum fragor, nisi improvisus quidam prosper eventus intercesserit, late rursus circumsonabit!

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** rogatio legis de iure suffragii immutando populi legatis oblata, qui legem de certis quibusdam suis iuribus Ibernis tribuendis tandem recognoverre. Quum vero huiusmodi lex ad Senatum venisset, patres ratam eam minime habuere.

In **Borussia** rationes acceptorum et expensarum in disceptationem vocatae, reiectaque rogatio, ut legatio apud Apostolicam Sedem supprimeretur.

In **Gallia** post Raymundum Poincaré, qui administrorum consilio praeerat, civitatis praesidem electum, administrorum collegium magna ex parte renovatum, eique Briand praepositus.

In **Germania** nonnullis legibus, ex iis quae *sociales* vulgo nuncupantur, plena suffragia attributa. In locum Kiderlen-Waechterii vita functi, Von Jagow, Romae legatus, ad extera negotia moderanda vocatus.

In **Hungaria** Szekely, iustitiae administro a munere se abdicanti, Balogh suffectus.

In **Lusitania** novum integrum administrorum consilium creatum, praeside Alfonso Costa.

In **Norvegiorum** pariter **regno** de integro instauratum gubernantium consilium sub Kmdsen, «radicalium» factionis principe.

In **Suecia** publici coetus sessiones resumptae regali oratione, secundas regni res et amicitiam inter Scandinavos confirmatam commemorante.

PER ORBEM

Die III mens. Ianuarii MCMXIII Bonearensi in urbe civilia receptacula rerum quibus ignis excitari potest, magno cum damno, flammis destruuntur.

— d. IV ad Somerset West, australis Africae urbem, dynamitis pulveris officina pariter incenditur, indeque opifices plures mortem aut atrocia vulnera reportant.

— d. VI Lutetiae Parisiorum obit Aloisius Cailletet, qui ob inventam rationem gasia, vel maxime resistentia, liquefaciendi, immortale nomen sibi comparavit In Burgundia natus erat an. MDCCCXXXII.

— d. VIII loricata Gallorum navis *Massena*, vaporis machina vitiata, disrumpitur; classiariique octo exustione pereunt.

— d. IX Bonearensem portum appellit Germanica navis *Deutschland* ab australibus regionibus redux, ubi novam terram reperit, cui Fitchner, expeditionis dux, nomen a Luitpoldo, Bavarici regni Principe Regente, imposuit.

— d. XVIII, Versaliis, Raymundus Poincaré Gallicae rei publicae praeses ad septennium renunciatur.

— d. XIX Romae vexilla legionum, quae Libyci belli participes fuere, sollemni ritu in Capitolio aureo numismate ab Italico rege decorantur.

— d. XXI Guadalajara, Mexicana ex urbe, nunciatur Kolima vulcanus violentos ignes evomere magna cum propinquarum regionum ruina.

— d. XXII ad Elhambra improvisus torrens e montibus noctu precipitans, Indorum peregrinorum commeatum occupat, quorum trecenti et quinquaginta circiter gurgite submerguntur.

— d. XXIII Berolini septuaginta annos natus vita fungitur Von Hollmann, classis praefectus, navalis Germanorum rei quondam administer.

— d. XXV Bielovucič, Peruvianus aviator, Italicas Alpes in aëronavi feliciter transgreditur.

— d. XXVI Neo-Eboraci in aërea ferrivia curruum occursus fit. Ex viatoribus unus necatur, plures sauciantur.

— d. XXVIII annorum gravis, post diuturnum morbum, Vindobonae unanimi cum Austrorum luctu supremum obit diem Ran'erus, Magnus Dux, regiae domus Nestor. Mediolani ortus erat d. XI mens. Ianuarii MDCCCXXVII; fuitque vir multae doctrinae atque etiam bellica virtute praeclarus.

— Madriti eadem die moritur Sigismundus Moret, publici coetus legibus in Hispania ferendis praeses, ac liberalis quae dicitur factionis princeps, iamque pluries gubernio praefectus. Gadibus natus erat an. MDCCCXXXVIII; iurisprudentiae doctor, multa opera historica atque civilis disciplinae reliquit.

— d. XXXI Neo-Eboraco nunciatur Steiner, Aegyptiorum antiquitatis doctor, magnam illam marmoream sphingem explorans, vacuam invenisse magnumque templum in ea Soli dicatum.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

P. Gauthiez. *Promenades parisiennes.* Croquis et Fantaisies. — Lutetiae Parisiorum edid. Bloud et Soc., ad forum Sancti Sulpitii, 7. (Ven. lib. 3,50).

P. Gillet. *L'educazione della virilità cristiana.* Traduzione dalla terza edizione francese. - Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 2,75).

L. Celier. *S. Carlo Borromeo (1538-1584).* — Indidem. Ven. lib. 2.

AENIGMATA

I.

Ornatos axes Hyperion mergit in undas:
Veste sub obscura splendida calco vias.
Sidera quando nitent, tenebrosos protero calles,
Quos iterum rutila cernet Apollo face.
Hinc mea splendorem circum nigra sphaera recludit;
Lux radios vibrat, quae micat alma sinu.
Candores nitidos calidas dum mutat in undas,
Tunc ego recluso pectore gigno diem.
Gigno diem gremio, vicibus quae subdita miris
Luce peregrina compita plura lavat
Dum vestit splendore vias, secedit ab illis,
Queis abiens profugo lumine saxa tegit.
Hoc autem (heu miserum!) caecis aenigma patebit:
Non opus est illi mente studere nova.
Decipitur tamen is noctem qui aenigma fatetur;
Nox etenim nescit pectore ferre diem.

A. Epiro.

II.

Masculus immineo pelago; si *femina* campis;
Neutrum sum fructus. Vox inimica Deo est.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS

Xysti V. P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. (Editionem renovarunt Desclée et Soc.).

Aenigmata an. XV, n. XI proposita his respondent:

(1) **Clavis**; (2) **Arar.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Iac. Costa, *Dumio.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Alx. Martinez, *Badaiocio.* — Rich. Muller, *Berolino.* — Lud. Goux, *Biturigis.* — Vinc. Starace; Alex. Pinturo, *Neapoli.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — F. Correa, *Emerita.* — Mart. Dunne; Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — A. Tonelli; Arch. Magliano, *Genua.* — I. Ciolli, *Papia.* — Eug. Dolmar; Leon. Feher, *Chicagine.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Raim. Silvan, *Londino.* — I. Ortiz, *Mordia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Io. Martius, *Philadelphia.* — Iac. Cordara, *Parentio.* — F. X. M., *Drepano.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — P. Prado, *Venetiis.* — Aug. Bonnin, *Aureliano.* — B. Ferraris; N. Bianchi, *Augusta Taurin.* — R. Ricci, *Florentia.* — Carm. Zliuezky, *Cracovia.*— Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — F. Wawer, *Marianapoli.* — Georg. Archambeault, *Quebveo.* — St. Lowinski, *Zerkòve.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Iac. Gomez, *Cassaraugusta.* — E. Burg, *Monach'o.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — Alois. Geyer, *Ratisbona.* — Claudius Lucensis. — Alois. Venti, *Bononia.* — Diomedes Falva, *Constantia.* — Ladisl. Thyssen, *Dresda.*

Sortitus est praemium:

ALFONSUS MARTINEZ

ad quem missum est opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE
LATINE CONVERSAE
A FRANCISCO XAVERIO REUSS.

NUMISMATUM COLLECTORIBUS MONITUM

Apud *Vocem Urbis* numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec *numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad *Doctorem Iosephum Fornari*, Commentarii *Vox Urbis* Moderatorem, *Romam*, (Via del Governo Vecchio, 96).

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae. — Officinae *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

5)

PUBLIUS.

Dies felicior tibi sit prae caeteris
Haec qua contendis divûm sub auxilio
Ad hostem perfidum debellandum fortiter.
Tuae nam copiae Romae fidissimae
Exoptant bellum, dabunt quae victoriam.
At, imperator, ore libero loquor,
Decet quod mihi senatori maxime.

IMPERATOR.

Libenter audiam, quid, Publi, dixeris.
Soles nam semper me consilio regere;
Et in Senatu, prudentiae meritis
Tuae loquentem saepe Patres audiunt.

PUBLIUS.

Novum tu, fortis imperator, praelium
Es adgressurus, dabunt quod dii prosperum,
Tuis nam signis militat victoria.
Iuvat sed externos quid hostes pellere,
Manent si multi civitatis viscera
Qui rodunt, tundunt, lancinant perfidi?

IMPERATOR.

Tuus quo tandem sermo tendit abditus?
Qui sunt, timescis traditores dicere?
Palam dic, iubeo, remotis nubibus!

PUBLIUS.

Heic Roma vivit, imperator strenue,
Tuis quam multis cumulas muneribus,
Diis invisa, quos contemnunt perfidi.
Est, inquam, secta turpis et vaferrima,
Tuam perniciem quae inquirit unice.
Eam debes prius gladio perdere,
Velis Deorum ne priveris numine.
Deos enim sanctos superba polluit,
Deos, qui Romam rettulere gentium
Dominam rerumque, affluentem divitiis,
Meamque gentem reddidere celebrem.
Quis est nam gratior gente Cornelia?
Viris est clara, celebris victoriis.
At, at, cum primum venit superstitio,
Cuius caput, Christus, damnatur Solymis,
En omnis orbis funditus dissolvitur.
Hoc est plectendum monstrum hominum! Cuspide
Suo qui venenum transmittit celere.
Vir esto fortis, audax, sume consilium
Diocletiani, hydram qui percussit acriter.
Tibi debemus dedicare statuam
Inscriptam: quidam maculabant foetidi
Terram, sed adfuit fortis Maxentius,
Eos qui gladio percussit strenue,
Et omnes gentes liberavit gemitu.

IMPERATOR.

Adest sed inclytus senator Scipio,
Cuius gens protulit Romae salutem.
Tuam placet nunc audire sententiam.
Quid in praesenti faciendum dixeris?

SCIPIO.

Solent Quirites grandibus temporibus
Manu, consilio tentare grandia.
Audivi nuper senatores inclytos
Urgere exemplis Te verbis et plurimis,
Ut cives plectas quosdam, qui consilium
Sequuntur improbum, bonum quod iudicant.
Tuus nam praecessor, dii quem sospitent,
Vexavit istos, persecutus acriter...
Ei quid ista profuit vexatio?
Ut ipsum crudum tyrannum crederent,
Ut illi nisu fortiori sisterent,
Et coram gentibus dicerentur martyres.
Hoc idem venerit, Maxenti, in posterum.
Prudenter esset iter adgredi novum.
Omnes et isti cives sunt, qui patriam
Colunt, feruntque semper usque ad sidera;
Imperium nunquam sunt adgressi hostiliter;
Quin suos cives ut fratres diligunt,
Amant Te, fortis imperator, insuper
Eos qui vexas saepiusque percutis...
Solvunt tributa citra querimoniam,
Quin imo multi qui magistrum colunt,
Merent in tuis copiis stipendia;
Et omnes strenui praestant obsequium.
Quid dicam? Lambunt illam laeti manum
Eos quae percutit; pugnant pro imperio
Etiamsi sciant morituros gladio.
Erunt qui tutius Maxentio subditi?
Eis da veniam, merebunt utique!
Eos, pol, libera a tuis custodiis!
Hoc idem nuper Constantinus aemulus.
Ei quot urbes se dederunt alacres,
Et adsunt, fortiter currunt quot milites!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Martio MCMXIII. Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PIO X PONT. MAX.

IN EIUS FESTUM NOMINALE S. IOSEPH A. MDCCCCXIII

Recentissima PII PP. X imago.
(Photographice espressit I. FELICI *eques - Romae).*

Festa lux, verno tepefacta sole,
ecce Iosephi rediit, monetque
me, vel incomptos, Decimo Piorum
edere versus.

Editos tu nunc, age, Vaticanam
defer ad Sedem, mea musa; valvas
pandet aeratas vigil hastiferque (1)
ianitor ultro.

Principis sacri bicolore Signum
candet et flavet foribus sub ipsis;
tu salutabis, pia vota fundens,
nobile Velum.

Hinc adi scalas, Damasique vastam
vise, quae magnis nitet a fenestris,
aream, pulchris hodie refertam
undique bigis.

Purpuratorum globus inde Patrum
exit et fertur (2) *superas ad aulas,*
adprecaturus Fidei Magistro
prospera quaeque.

Hos et affines, mea musa, ne tu
Praesules, cantrix petulans, sequare;
te fenestratâ decet in plateâ
sistere gressus.

Heic viris esto comes, arte cultis
musicâ, quorum litui tubaeque
hanc diem gaudent celebrare faustam
aere canoro.

Misceat vox se tua buccinarum
vocibus. Dices: « Tibi gratulatum,
Pontifex, veni, minimi pusilla
nuncia vatis.

« Laeta Iosephi Tibi lux in aevum
rideat longum! Procul omnis absit
morbus et languor; via nec dolori
suppetat ulla!

« Fletus arescat tuus ob sororem
nuper ereptam! loca deserendo
plena dumorum, ROSA nunc beatis
floret in Hortis.

« Pax cruentatis redeat serena
Bosphori campis! Oriensque Romam,
unde discessit, positâ rebelli
mente, revertat!

« Gallus, et Gallum male Lusitanus
aemulans, tandem sapiant utrique!
Discat Urbs, discant Itali sacrata
iura vereri!

« Ac tuae Romae, Petrus unde terris
imperat cunctis, homo ne praeesse
pergat Hebraeus! Crucis ille Christi
sentiat ictus!»

. . . . . .

Haec ubi iussu, mea musa, nostro
dixeris, Patrem rogitabis, ut te
meque, deducto Crucis in figuram
indice, signet;

signet et doctam resonare late
URBICAM VOCEM, pia quam latini
cura sermonis premit, et Petrinae
gloria Sedis.

FRANC. X. REUSS.

(1) Vox *hastifer* usurpatur in Inscriptione romana anni a Chr. n. CCXXXVI.

2) Nempe per machinam scansoriam.

Rerum index:

Pio X Pont. Max. in Eius festum nominale S. Ioseph.
Quanam de causa iuvenes in litteris ediscendis languescant.
De Syllabi PII PP. X propositione XXI.
De Leone XIII P. M. commentarius. Carpineti moratur. – Carmina varia.
De quibusdam ex Constantiniana aetate in humanitatem effectibus.
Gratae iuventutis memoriae...
Colloquia latina. Domus.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clariores.
Annales. Balkanicum discrimen. — Mexicanum civile bellum. — In Mauritania.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romam.

QUANAM DE CAUSA IUVENES

in litteris ediscendis languescant

Quaerenti mihi saepe numero cur magis magisque in dies lenti iuvenes in litteras incumbant, nulla quasi pulchri specie excitentur, nihil ardore percipiant, quin immo mollitie atque imbecillitate quadam torpescant, quod gravissimum est ac sane periculi plenum, id primum occurrit, nimis apud nos optimarum artium studia neglegi, nulla ope niti ut earum cultus augeatur, quin etiam illud in animo haberi ut litterarum gravitas ac vis, quae tam acuunt ingenium, fere sit contemptui utilitasque parvi aestimetur. Quod quantum iuvenibus instituendis damno sit, nemo est quin videat.

Attamen, si iste litterarum contemptus ac neglegentia unicuique nostri quam maxime displicet, si languescentia in dies studia triste praebent spectaculum, Italam gentem — proh pudor! — gravis haec quaestio non tangit, tamquam si pro certo habeat nullum vel parvum decus ex litteris proficisci, nihil eis patriae omnino opus esse, unam veramque gloriam in armis inque finibus proferendis consistere!...

Qui loquor, id expertus affirmo: cotidie enim video, utpote cum meum sit litteras graecas latinasque discipulis tradere, mecumque ipse queror, pertaesos iuvenes ad doctrinae studia se applicare, nullo animi motu scriptores veteres et praecipuos prae manibus volvere, vix ac fere per stimulos, ne dicam obiurgationes, veteris cultus et antiquorum institutorum aliquantulum intelligere. Neque obiciatur per nosmet ipsos stare ut parum in litteris iuvenes proficiant, quum mercedis in angustiis ac tot difficultatibus districti, parum attente nostro munere fungamur...

Quid hoc falsius maligniusve sit, nescio. Nos enim, prae ceteris omnibus qui officia atque munera exercentes, rei publicae inserviunt, intus alimus flammam, neque patiemur minime exstingui, quippe qui nostri muneris praestantiae ac dignitatis quam maxime conscii simus.

⁂

At redeo ad propositum. Dixi nuper nostris in scholis humanitatis studia a iuvenibus neglegi, nec me fefelli. Haeret enim, eorum animis infixa, vetus ac praeiudicata opinio, nihil ad vitae usus conferre, nihil mentis exercitationem iuvare, nihil emolumenti atque fructus antiquitatis studia afferre posse. Hinc torpor ille et quasi rigida segnities in eis ediscendis, hinc — iuvat in hoc argumento aliquantulum morari — illa satietas quae nostros iuvenes cotidie capit, tamquam si fastidiendus quidam odor vel perniciosus omnino halitus ex veterum optimorumque scriptorum lectione effluat. Quo enim abiit priscus ac flammeus ille ardor, quo nostri maiores in haec studia incumbebant? Nonne nostros avos videmus in versibus latinis recitandis inflammari? tot carmina tenaciter memoria custodire? Horatium prae ceteris extollere, Tacitianam vim in historia conscribenda magnis laudibus efferre? Quid vero maiorum ferventi studio nostra potest iuventus obicere? Eandemne animi inflammationem? eandemne reverentiam? cultum? religionem? Minime, ut mea fert sententia. Nam idem tenet discipulos fastidium in litteris ediscendis ac in quadam tabula picta contemplanda. Ut enim haec, etsi pulchre expressa, eorum animos non allicit, non pectora movet, non pulchritudinis excitat amorem, quum illi tantum adament quod luxuriose, prodigialiter et fucatis, si id dici potest, pigmentis depictum sit ideoque oculos delectet ac sensibus blandiatur, sic optimorum scriptorum concinnitas, dulcedo, pulchritudo sane admirabilis non eos tangit; quin immo, ut nescio quid molestum, offendit. Dixeris morosiores istos offendi eodem pacto quo Ramnes, de quibus loquitur Horatius:

Celsi praetereunt austera poemata Ramnes.
(Art. poet.)

Quid vero censent de illis qui totam aetatem in litteris edocendis agunt quique meritissimo sane munere funguntur? Librorum helluones appellant et eos qui tantum in litteris elaborantes, non bene utantur tempore, sed in ludicris atque nugis insumant, ut genus hominum a communi remotissimum, quod priscae aetati eiusque cultui ac linguae adhaerens et toto pectore subnixum, circum se vitae frementis stimulos invitamentaque minime sentiat.....

⁂

Neque id satis est: addunt enim huius generis disciplinam gravem sibi esse, quod velut intolerabile onus ac magnum quoddam impedimentum umeros opprimat fatigetque, et moleste obstet, ne quisque suas ingenii vires libere et, ut ita dicam, natura duce, evolvat. Quid ad rem si optimi Graecitatis ac Latinitatis auctores, optima quaeque tractantes, monumenta aere perenniora exegerint? Non illis egregia opera videntur, nihilque in se habere quod diligentiam exposcat; sed potius nugatorium quoddam ac leve, in quo tantum doctorum larvae, umbratilem fere vitam agentium, morari possint... Quid si insignis Homerus, egregia virorum facinora celebrando, optimum poëmatis epici exemplar tradiderit, quod et antiquitus merito laudibus exornatum est, nunc et ab iudicibus sane doctis adamatur putaturque studio dignissimum? Quid si Tyrtaeus in *Martia bella mares animos versibus exacuendo,* elegis et anapaestis virtutis hortamenta conscripserit, adeo ut sui milites, acriter in hostem pugnantes, laeti abirent victoria? Quid si Aeschylus docuerit *magnumque loqui nitique cothurno?* si Plato, divinus, sapientissimus, sanctissimus, Homerus philo-

sophorum, ut aiebat Panaetius, in maximis de philosophia quaestionibus inexstincta vestigia impresserit, adeoque in eis tractandis fuerit diligens ut *amplius quod desideres* nihil futurum sit? Quid si Cicero virtutem Demosthenis in foro aemulando, tot vires ac nervos suis orationibus inseruerit, tanta eas suavitate dicendi atque elegantia exornaverit, ut merito summus evaserit orator, hodieque nos non sine fremitu atque animi commotione eius scripta legamus? Si Vergilius, Horatius, ut hosce poëtas prae ceteris afferam, litterarum latinarum decus ultra fines patriae portenderint latinumque sermonem ditaverint? Nihil aliud quam ineptiae, nugae et hominum imperitorum rumusculi!...

Sic, incredibili quadam levitate, vetustum aedificium, cui construendo tot illustrium hominum mentes atque ingenia subvenerunt, diruitur; sic nullo, prope dixerim, conscientiae cruciatu, praecipua scriptorum antiquorum opera in contemptionem adducuntur!

***

Atqui quam uberes fructus ex antiquitatis studio proveniunt! O utinam esset mihi calor et vis Mureti ad hoc plene et luculenter significandum!

Nam clarissimus Galliae Aquitaniae scriptor, in duabus illis orationibus quas habuit Venetiis: « *De laudibus litterarum* » et « *De utilitate ac praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores* » ut par erat ostendit, in magno virorum consessu, quaenam in litteris inesset dignitas, quid emolumenti ex eis ediscendis perciperetur, quantum denique se fallerent qui, litterarum tractationem leve quiddam ac nugatorium existimantes, in id studiorum genus acerbe inveherentur. Eae enim orationes dignae sunt quae vel hodie in nostris scholis legantur ac fere mandentur memoriae: multa quidem ac certissima testimonia invenies, si quid tibi otii erit, cur vel poëtarum fabulae non levia quaedam et frugis expertia otiosorum hominum commenta sint, sed omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia sub illis velut involucris atque integumentis contineatur! « Non igitur — sinite ut unam hanc integram sententiam saltem afferam — quum poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quamdam virtutis atque doctrinae facimus; non in levibus minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus ». Audiant iuvenes ista perquam fide digna clarissimi scriptoris verba, huic auctoritati pareant praeceptaque diu animo teneant infixa.

Neque valet illis testibus uti qui iam inde a saeculis XVII et XVIII optimarum disciplinarum studium utilitatemque contemnere ac fere omnino negare ausi sunt.

Dicat Pascalius antiquos nos esse prae illis qui hoc nomine appellantur, quippe qui humanum genus iam aetate provectum constituentes, doctrina atque usu longe eis superiores evadamus, idcirco nobis palmam deferri oportere.

Dicat et Cartesius minime se posse intelligere cur boni viri esse debeat in latinas graecasque litteras potius quam in sermonem helveticum vel anglum ediscendum incumbere! Eorum sententias — neque sine aliqua reverentia adversus praestantissimos philosophos hoc sit dictum — facile tempus vel potius vivax illa virtus quae inde e litteris ipsis manat, redarguit refellitque.

At quid altius auctoritatem et exempla repetam? quid vetus afferam testimonium, quum vel apud nos non desint qui, litteris imbuti earumque vim, efficaciam, splendorem, decus, utilitatem, ut certam stabilemque sententiam sane confirmantes, in obtrectatores vehementer cooriantur ac summa ope studeant ut merita laus illis tribuatur? Quid dicam de libris, de commentariis, de omnibus denique scriptis quae in id unum intendunt? At, prae ceteris, in medium afferatur FRACCAROLII auctoritas qui, vir summo ingenio ac summa exquisitaque doctrina, quanam cognitione in penitiores litteras graecas inquisiverit et quantum de illis bene sit meritus, inter omnes doctos constat. Is enim, superiore anno, in commentario qui inscribitur « *Atene e Roma* », (1) his fere verbis utebatur (aggredior eius prosam doctam, elegantem, plerumque subtilissimis argutiis inspersam in latinum convertere; at quam longe ab ipsis scriptoris verbis disto!): « In litteris graecis et latinis nostra institutio tamquam in solidis fundamentis nitatur; rei publicae servitutem minori esse abiectioni quam mentis atque ingenii; quam alteram servitutem si cupiamus exuere, nullum aliud remedium dari posse nisi ut e doctae splendidaeque antiquitatis fonte copiose hauriamus... ».

***

Verum, si quid huius languoris mollitiaeque in litteris excolendis, quae non sine querimonia nuper dixi, ipsi discipulorum ingenio tribuendum est qui, plures ob causas a studiis distracti, parum libenter in id intendant quod ad libros pervolvendos atque mentem, velut in palaestra, exercendam cogat, ecquis dubitare poterit quin penitus radices malum immiserit eiusque origo altius repetenda sit? Nonne enim in annos doctae antiquitatis studium imminui ac refringi videmus? Nonne modo hic, modo illic aliquid eius dignitatis atque incrementi detrahitur? nonne palam fit, in omnibus iussis quae in singulos fere dies alia alia subsequuntur ac prope inter se pugnant, obstinatior voluntas omnem priscum thesaurum, omnem antiquam disciplinam paene e nostris scholis, ut quaedam vilia scruta,

(1) An. XV, n. 165-166, Florentiae.

eorum similia quae quondam praeco horatianus tunicato popello venditabat, depellendi?

Constitutum fuit, exempli gratia, usque ad annum superiorem, una cum optimis scriptoribus graecis vertendis atque litterarum monumentis ediscendis, ut discipulis breviter doctores explicarent quae graecorum institutorum quasi speciem adumbrare possent, quaeque ad vitam graiae gentis illustrandam, illius scilicet gentis quae monumenta mirae pulchritudinis edidit, graviores artes invenit, omnia denique promovit ex quibus hic noster cultus atque humanitas initium ducit, aliquid conferrent. Ex quo studio quantum delectationis utilitatisque proficiscatur, nemo est qui neget. Vel intra angustos fines inclusa, haec disciplina — vulgo *cultura greca* — magno est adiumento ac suos fructus edit. Quid vero paulo post fit? E scholis eicitur... Quod quantum nobis iuvenibusque ipsis displicuerit, inutile est dictu.

Cum ita se res habeant, quum in hoc velut iussorum conflictu agamur, ecquis in litteris progressus sperari potest? Poteritne schola, ea quae speramus, dare? allicienturne iuvenes ad litteras colendas summoque amore prosequendas, si ipsi primi vident cotidie non certis ac firmis legibus gubernari eas, haud multum illarum studium summis moderatoribus cordi esse, non quid sit eis propositum statui?

Oportet opportunis iussis litterisque passim missis ut iuvenes admoneantur suum esse quam maxime ad doctam antiquitatem se convertere, suum esse in illis doctrinae studiis exerceri, ex quibus tam splendida lux emanet, suum esse exemplaria graeca et latina versare, ut digni sint maiorum virtutibus externisque gentibus ostendant nunquam apud nos antiquitatis cultum exstinctum esse, nunquam fore ut exstinguatur. Hac ratione tantum iuvenes emendati rectam viam ingredi poterunt; his consiliis freti digni fient qui perfectissimum quidquam animo et cogitatione concipientes, ad effectum perducant.

Scribebam Beneventi, post. Id. Febr. a. MCMXIII.

M. Galdi.

DE SYLLABI PII PAPAE X
propositione XXI

Saeculo XIII Almaricus Benensis († 1204) fuit, qui tum Legem veterem tum Legem Novam imperfectas esse affirmabat. Professor Döllinger quoque, novam Spiritus Sancti effusionem futuram esse asseruit. Quidam denique inter « Protestantes » sentiebant, Ecclesiam Petrinam, idest catholicam, ecclesiamque Paulinam, idest « Protestanticam » imperfectas esse, progressuque temporis Novam Spiritus Sancti vel S. Ioannis Ecclesiam orituram esse. (1)

(1) Cf. Müller *Theol. Mor.* L. 1, 55, 45.

Novissime Modernistae, doctrinae « evolutionismi » faventes, circa Revelationis depositum, denegant ab initio nec in germine exstitisse dogmaticas affirmationes, quas temporum progressu Ecclesiae magisterium determinatis expressit formulis. Ab initio — inquiunt, (1) forma religionis quaedam, absque determinata forma et absque dogmate *(amorfa adommatica)* invaluit, quae in formam quamdam concretam postea lente evoluta est. Causae huiusmodi evolutionis diversae sunt; idest, vel necessitas communicandi collective, vel necessitas manifestandi fidelibus sub forma abstracta principia quibus activitas religiosa eorumdem dirigi oportuit, vel labor scriptorum christianorum, vel controversiae cum haereticis. Ideoque in Modernistarum sententia, divina revelatio, neque ab initio neque modo completa foret. Contra huiusmodi errorem sunt:

a) Damnatio Ecclesiae. — Est auctoritas Conc. Vaticani (Sess. IV c. 4 *de Rom. Pontif. infall. Magisterio* Denz. 1629): « Neque Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ». Est propositio Syllabi Pii P.P. X (21.ª): « Revelatio obiectum fidei catholicae constituens non fuit cum Apostolis completa ».

b) Auctoritas Scripturae. — Sint huiusmodi textus. Apud Matth. (XXVIII, 20) Christus loquitur Apostolis dicens eis: « Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis ». — Ioa. (XVI, 13): « Ille Spiritus veritatis, docebit vos omnes veritatem »; et postea (c. XVII, 20) Christus ait: « ... Rogo... et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum (Apostolorum) in me ». — Gal. (I, 9): « Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit ». Depositum revelationis igitur iam fixum et permanens in sua essentia apparet.

c) Motiva theologica. — Status mundi, — inquit Angelicus (2), — variari potest secundum diversitatem legis; et sic huic statui novae legis *nullus* alius status succedet. Successit enim status novae legis statui veteris legis, tamquam perfectior imperfectiori. Nullus autem status praesentis vitae potest esse perfectior quam status novae legis; nihil enim potest esse propinquius fini ultimo quam quod immediate in finem ultimum introducit; hoc autem facit lex nova; unde Apostolus dicit, (ad Hebr. X, 19): Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, accedamus. Unde non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae, quam status novae legis: quia tanto est unumquodque perfectius quanto est ultimo fini propinquius ».

Contra vero somniantes novam Spiritus Sancti effusionem Angelicus animadvertit: (3) « Non est exspectandum quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur, quam hactenus habita

(1) *Il Programma dei Modernisti*, p. 79.
(2) 1-2ae 106. a. 4.
(3) Ibidem.

fuerit, et maxime ab Apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt (*Rom.* VIII, 23): Nos ipsi primitias spiritus habentes». Praeterea, perfectione depositi revelationis denegata, Ecclesiae identitas simulque Ecclesiae infallibilitas perirent.

***

Neque audiendi sunt Modernistae, dum voce atque conceptu *progressus* abutuntur; alius est enim progressus ab Ecclesia adsertus, alius progressus Modernistarum. Progressus catholicus in veritatibus Ecclesiae a Vincentio Lerinensi defensus, 1° Est *quidam veritatis profectus:* «O Tractator, o Doctor pretiosas divi dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intellegatur, te exponente, illustrius quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova... Fas est enim ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur... Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem».

2° *In progressu hoc, nulla est permutatio veritatis.* «Profectus sit ille Fidei non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsa unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia... Nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur...»

3° *Progressus iste explicatur similitudine* ex augmento corporis humani desumpta. Corpora licet «annorum progressu, numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius eiusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna iuvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum: et si qua illa sunt quae aevi maturioris aetate pariuntur, iam in feminis ratione praeserta sunt; ut nihil novum postea proferatur in senibus quod non in pueris iam ante latitaverit. Unde non dubium est hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem». (1)

E contra Modernistarum progressus, non est profectus, sed *regressus*; non perfectio veritatis, sed veritatis *permutatio;* non veritatis in identitate conservatio, sed veritatis *corruptio!*

Reginaldus Fei O. P.

(1) *Common.*, I, c. 22, 23.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS [1]

IV. — Carpineti moratur. — Carmina varia.

Roma profectus, muneribus praemiisque onustus, paterna rura alacer petiit, ut ibi valetudinem suam curaret. Laboribus enim paene accisus, animum otio relaxare sperabat. Et ipse consentiebat immodicum fuisse nimiumque in studiis. Haud ita tamen solatium ex otio atque in aedibus paternis, quod hauriebat satis erat; namque moestitia animi laborabat, quod tamdiu mater, moerore confecta, in omnium luctu praerepta, haud amplius hilaritate vultus orisque pietate eum recrearet. Et frater quoque, morte antea interemptus, cum quo coniunctissime vixerat, animi angorem augebat. Atque adeo tot lamentabilibus casibus ita erat affectus, ut nunquam antea meminerit se tantum capere animo dolorem. Et ipse morbo implicitus magno in periculo versabatur.

Per idem fere tempus firma concepit mente carmen quod longo tamen intervallo in lucem edidit. Qui moestitiae sensus in ipso, quae verborum sententiarumque proprietas! Nemo est qui vel nunc tristissimas ex oculis lacrimas non eliciat! Tute ipse perlegens facile hanc meam sententiam adprobaveris. Ei est titulus:

DE VALETUDINE MEA.

Puber bis denos, Ioachim, vix crescis in annos;
morborum heu quanta vi miser obrueris!
Iuverit hos fando tristes memorare dolores,
Et vitae aerumnas dicere carminibus.
Nocte vigil, tarda componis membra quiete,
viribus effetis esca nec ulla levat.
Languentem stomachum; depresso lumine ocelli
caligant; ictum saepe dolore caput.
Mox gelida arentes misere depascitur artus
febris edax, mox et torrida discruciat.
Iam macies vultu adparet, iam pectus anhelum est;
deficis en toto corpore languidulus.
Quid tibi blandiris, longos quid conspicis annos?
Atropos horrendum mortis adurget iter.
Tunc ego: «Non trepida frangar formidine: mortem,
dum properat, fortis laetus et opperiar!
Non me labentis pertentant gaudia vitae,
aeternis inhians nil peritura moror.
Attingens patriam, felix erit advena, felix
si valet ad portum ducere nauta ratem!

Quid est nobis dulcius, quid hoc carmine suavius? Hoc ipse Catullus laudaret, nec sibi si quis ei adtribueret, spernendum esse putaverit.

Placent prae ceteris novissima verba, quae mortalium mentem ad sidera tollunt, dum inanes poetarum veterum sententiae nunquam in meliorem sensum nos rapiunt, neque divina quadam fiducia animos recreant.

(1) Cfr. num. sup.

E contra noster, caelestibus rebus refectus, adsurgens canit:

Aeternis inhians nil peritura moror!

Hic libenter ponam iisdemque laudibus meritisque dignum et illud carmen quod multo post exaravit.

Anno enim saeculi elapsi MDCCCLXIV aquam saluberrimi haustus Carpinetum adducendam curavit, et sic festivis versibus loquentem fontem introducit:

Leniter exiliens Pandulphi e colle superna
huc e nativis deferor unda iugis.
Nam qui romani Ioachimus Peccius ostri
primus natale hoc auxit honore solum,
per caecos terrae, plumbo ducente, meatus,
oblitam patriae me iubet ire viam.
Improvisa quidem, sed gratior advena vobis
ultro, municipes, candida, inempta fluo.
Huc ergo properate: adsum nam sacra saluti,
munditiae, vitaeque usibus et charisin.

Nihil autem dulcius et verius carmine quod de se ipso composuit an. MDCCCLXXV. Est vitae suae omnis pressius atque elegantissimum compendium.

Et hoc animi causa integrum referam, opportunis notis illustratum:

Quam flore in primo felix, quam laeta Lepinis
orta iugis, patrio sub lare, vita fuit! (1)
Altrix te puerum Vetulonia suscipit ulnis,
atque in Loyolea excolit aede pium. (2)
Mutia dein Romae tenuere palatia: doctis
florentem studiis Academia tenet. (3)
Tempore quo, meminisse iuvat, praedivite vena
Manera *et Patrum nobilis illa cohors*
mentem alit, et puro latices de fonte recludens,
de Sophiae atque Dei scita verenda docet. (4)
Romae sacra litas: Romae tibi iuris alumno
parta labore comas laurea condecorat.
Addit mox animos et vires Sala *secundas,*
princeps romano murice conspicuus;
auspice quo cursum moliris, mente volutans
usque tui tanti dicta diserta senis. (5)
Dulcis Parthenope, Beneventum dein tenet, aequa
ut lege Hirpinos imperioque regas.
Te gremio laeta excipiens Turrena salutat,
rectorem atque ducem vividus Umber habet. (6)
Sed maiora manent; en chrismatis auctus honore
Pontificis nutu Belgica regna petis,
atque tenes, adserturus sanctissima Petri,
Romanae et fidei credita iura tibi. (7)

(1) Carpinetum est oppidum in Volscis prope Signiam in sinu montium quos Lepinos vocant.

(2) An. 1818 cum Ioscpho fratre V.terbium mittitur, et sodalibus e S. I. instituendus traditur.

(3) Defuncta matre an. 1824, apud avunculum Romae diversatur in palatio Marchionum Muti, ac deinde in Academia Nobilium Ecclesiasticorum.

(4) Franciscus Manera S. I. vir ingenio et doctrina praestantissimus, aliique Patres clarissimi.

(5) Ioseph Antonius Sala Card. peculiari benevolentia adolescentem complectitur, et sapientibus monitis et consiliis plurimum iuvat.

(6) Laurea doctorali insignitus, post susceptum sacerdotium, a Gregorio XVI P. M. inter antistites Urbanos Pontificales adscisciur an. 1837, ac postea provinciarum Beneventi, et Perusiae gubernator constituitur.

(7) In sacro Consistorio, habito an. 1843 die 27 Ian., archiepiscopus Damiatensis eligitur, et Apostolicae Sedis Nuntius ad Belgas mittitur.

Redditus at patriae, brumali e littore iussus
Ausoniae laetas et remeare plagas;
Umbros en iterum fines, urbemque revisis
quam tibi divino flamine sponsat amor. (1)
Iure sacro imperitas ter denos amplius annos
et pleno saturas ubere Pastor oves. (2)
Romano incedis Princeps spectandus in ostro, (3)
Belgarumque equitum torquis honore nites. (4)
Te pia turba, Deo pubes devota, sacerdos
certant obsequiis demeruisse suis.
Verum quid fluxos memoras, quid prodis honores?
Una hominum virtus ditat et una beat.
Scilicet hanc unam, aevo iam labente, sequaris,
ad superos totum quae tibi pandat iter!
Aeterna donec compostus pace quiescas,
sidereae ingressus regna beata domus.
Ah! miserans adsit Deus eventusque secundet:
aspiret votis Virgo benigna tuis.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

(1) Perusia a *turribus*, quibus muniebatur, dicta est *Turrena*.

(2) An. 1845 a Gregorio XVI. P. M., in sacro Consistorio die 19 Ian. habito, ad sedem Perusinam provehitur.

(3) An. 1853, in sacro Consistorio habito die 19 Dec. a Pio IX P. M. Presbyter Cardinalis renunciatur titulo S. Chrysogoni.

(4) Belgica legatione perfunctus, a Leopoldo I Belgarum rege inter equites torquatos Ordinis Leopoldiani adlectus est.

DE QUIBUSDAM EX COSTANTINIANA AETATE

IN HUMANITATEM EFFECTIBUS

Humanae vicissitudines, quae populorum regimen nationumque vitam perturbant ac mutant, legibus semper bonisque artibus ac monumentis profunda relinquunt vestigia. Haec enim, iuxta civilem populi praevalentis cultum, aut incrementum accipiunt, aut deprimuntur; plerumque tamen parum, si quid est, suo robore desciscunt.

Victoris laudes gemitusque victi haud raro celebrant musae ac posteris memoriam tradunt: gloriosa enim imperatorum gesta ingenii venam excitant poetis; monumenta denique et ipsa novis maximisque eventibus afflantur, atque humana instituta eorumque cum relligione congruentiam commemorant.

Multiplex hoc argumentum qui velit circa Constantini tempora, et quae proxime sequuta sunt, evolvere, post scilicet relatam ad Saxa Rubra de tyranno Maxentio victoriam, complurium voluminum materiam habebit conscribendam. Nulla fortasse alia aetas est, quae grandiora populis pepererit bona quam Constantiniana illa; ac procul dubio ad civilem cultum hominisque prosperitatem quam maxime contulit.

Verum enimvero haud de hostibus imperii, sed de Romanis legionibus profligatis Constantinus triumphavit; quapropter Maxentii debellatio et occisio, veluti spurci crudelisque tyranni caedes, posterorum quidem memoriae tradentur, at nihil de fratricidiis praeliis memorabitur.

Leges, contra, omneque aliud civile institutum provehetur, ac brevi tempore ad talem celsitudinem pervenient, ad quam assequendam, secundum ordinarium eventuum cursum saecula non sufficerent. Tanti autem pro humaninate emolumenti quaenam fuit caussa? Plurima huic dari possunt quaestioni responsa, quae nihilominus ad unum reducentur; nempe Christianae religioni eadem atque ethnico deorum plurimorum cultui iura facta sunt, seu quod Christiana imbui sapientia, Christique fidem libere profiteri quisque potuerit. In Christiana enim doctrina, quasi semen reconditum, illa iacebat lex, quae optime hominis rationi congueret sive in se, sive ut civitatis familiaeve membrum homo spectetur; quod quidem semen, ut radices mitteret fructusque produceret nihil, nisi aptam sibi conditionem, requirebat.

Quum Romae Christiani factionis veluti corpus haberentur, haud a ceteris, iuxta populi opinionem, distinguebatur sectis, quibus Urbs, Caesarum temporibus, scatebat. Quapropter, etsi non pauci ad Christum attrahi possent, vel inter magistratus, id tamen parum novae doctrinae propagationi moribusque ethnicae societatis proderat; sed fidelium tantum numerum persecutionibus imminutum abundanter restaurabat.

Ut vero evangelica sapientia leges afflaret, ac suprema veluti iustitiae norma in re publica haberetur; summam tam civilem quam relligiosam potestatem, seu ipsos supremos legumlatores Christi fidem, eamque ethnico cultui aequatam, amplecti oportebat. Sic enim, non solum leges ad Christianam doctrinam exemplatae condi possent, sed et populus ad illas recipiendas observandasque paratus inveniretur; res vero haud secus ageretur ac si ethnici cultus nova praecepta in natione afferrentur.

Deo igitur provido debetur, quod Constantinus Magnus paganae relligionis pontificatu maximo esset insignitus, neque eiusmodi potestatem, Christianus licet effectus, deponeret; ita enim neque ethnicis (saltem aperte) invisus, et Christianis protector patronusque exstitit, ac tales emanare potuit leges, ut vel hodie sapientissimae reputentur, in quibus vel nostra habeant praecipua instituta civilia fundamentum.

Ad artem vero quod attinet, Constantiniana aetas felicissima dicenda; non solum quia quidquid iam vigebat novo resplenduit decore, verum etian. quia novi artis modi adinventi sunt, quibus altissima ac prorsus inauditae magnitudinis ac pulchritudinis templa erigerentur. Quod utique nova quoque exigebat Ecclesiae facta libertatis lex, praesertim Romae et in occidentalibus provinciis, ubi templa ecclesiae domesticae vocabantur, propterea quod in ipsis patriciorum Christianorum domibus erant constituta; proindeque nec satis tuta ac libera exstarent, et, magis in dies fidelium numero crescente, angusta nimis evaderent.

Ars praeconstantiniana necessario funeraria apparet, quum publica monumenta, praeter sepulcra, haud possent aedificari, quae Christianas cogitationes exhiberent. Istas vero apud sepulcra expressas easdem fuisse quae in vetustissimis funerariis precibus inveniuntur, explorata res est. (1) Videlicet ipsae preces, quoties cadaver aliquod loculo componeretur, per cryptas resonantes, artifices veluti afflabant, qui, in depingendis sepulcrorum parietibus, easdem biblicas historias precibus commemoratas coloribus repraesentabant.

Pace Ecclesiae per Constantini ac Licinii Mediolanense edictum concessa, eaedem cogitationes in sepulcris, etiam sub dio, vel in basilicarum atriis constitutis, apparent; sed nova haud pauca effinguntur tempora sua Ecclesiaeque novas conditiones redolentia, nempe Ecclesiae triumphi; quaedam autem novae cogitationes apertius proferuntur, inter quae Petri super ceteros apostolos praecellentia, eiusdem cum Christo Domino similitudo, (2) Christi gloria divinaque maiestas, eminent.

Quod si pro sepulcris talia elaborantur, quid fiet in templis ubique ac libere, electa materia abundantibus, suppeditatis auxiliis, aedificatis, necnon luce meridiana aut innumerabilibus lampadarum flammulis collustratis?

Primum quidem Romanae artis formae praecipue in sacris aedificiis erigendis adoptabuntur; in maiores tamen dimensiones evolutae. Hinc in maximis templorum absidibus decorandis, Christiani artifices novum quid efficient, quum nullibi unquam tam latae superficies opere musivo, tesseris auratis ac vitreis coruscante contectae apparuerint. Cuius quidem rei exemplum pulcherrimum Romae, apud ecclesiam S. Pudentianae, videre est, in quo, pone Christi aliorumque personarum plurium imagines, urbs quaedam deprehenditur arte exquisita musivo depicta; quam alii Hierosolymae, alii ipsius Urbis delineationem putarunt.

Sed ipsae architecturae lineae paullatim mutantur, praesertim in orientalibus regionibus, novaque huius artis problemata resolvuntur. Iam paullo ante Mediolanense edictum (312) aliquid novi in arte construendi inductum fuerat, ut inter ruinas Diocletiani Palatii apud Spalatum cernere fas est. At ipsa orientalis architecturae elementa cum Romanis elementis commixta templis construendis adhibita, tantum ecclesiis contulerunt artis decoris, eorumque compositio ita proprior templorum factus est stilus, ut nemo hodie architectus praecipua quae nobis manent eius stili exemplaria sciret imitari.

Huius novi stili, quem Byzantinum vocant, omnium pulcherrimum monumentum est Constantinopolitanum templum S. Sophiae, quod Deus concedat ut ad Christianum cultum quamprimum et ad pristinum decorem restituatur.

Xystus Scaglia O. C. R.

(1) Cf. opus meum: *Notiones archaeol. Christ.*. Vol. II, pars 2.
(2) Cf. Vox Urbis, mense Septembr. MCMX-Febr. MCMXI.

GRATAE IUVENTUTIS MEMORIAE... (1)

Est iter in pulcram nemoroso tramite Villam (2)
Frondibus obductum lauri, quae sole cadente
Purpureo ra.orum umbracula lumine inaurat.
Per faciles callis flexus via ducit ad amplam
Planitiem, cuius latera undique consita laetis
Arboribus curvo praetexit plurima gyro
Sylva, levem tenebris suadens aprica quietem.
Hinc atque hinc molli candentia marmore signa
Obtinuere locum foliis vel condita densis.
Hic nymphe sedet ad sacrum succincta Dianae
Forte datura haustas illimi e flumine lymphas
Armigerae manibus divae; innixusque capel'â
Pan Deus Arcadiae cera coniungere plures
Instituit calamos, septem discrimina vocum
His imitans: contra, pratorum gaudet aperto
Lumine Amor Matris geminas ad laeta columbas
Pabula pastor agens; venas inflatus Iaccho
In tereti saxo securae oblivia vitae
Carpebat somnum Faunus; delapsa iacebant
Serta procul capiti aeterno intertexta amarantho
Nympharum manibus, nec earum cura madenti
Vinoso somnis: haec illic copia prostat
Marmoris, hisque fere similes habet area formas.
Fons sonat in medio nitidis argenteus undis
Multiplici lapsu, varioque volumine aquarum
Colludens: viridi e topho media emicat alte
Unda fugax, pluresque ingenti aequata cylindro
Procurrens trahit adverso sub sole colores.
At raptim salientis aquae cum murmure leni
Excipiunt latices subiecto concava in alveo
Marmora; et irriguas circum violaria lymphas
Halantesque bibunt herbae: nam quotquot odori
Vere sub extremo septis nascuntur in hortis
Purpurei flores, apibus gratissima dona,
Tellurem late foliis gemmantibus ornant.
Areolae rident permulsae gramine olenti
Concluduntque sinu foecundum dulcibus auris
Veris opus: quales pellucida flumina propter
Eurotae tenero gignuntur cespite myrti.
Orbis in extremo, domus alta cacumine cultuque
Assurgit, sacraeque ministrat commoda pubi,
Quae studiis lassata, Autumni tempore, sive
Qua vetus ostentat pulcherrima rura salubri
E clivo deducta Urbem unde et prospicit aequor
Oppidulum, (3) *laetis fallens sermonibus horas*
Otia agit secura fruens vitalibus auris;
Sive suburbanam laeto tendit pede Villam.
Post, ubi mens recreata simul viresque receptae,
In ludum iuvat ire. Valentes atterit annos
Quisquis pampinea requiescens lentus in umbra
Ver agit aeternum: sibi sic Romana iuventus
Indoluit quondam patrium attenuasse vigorem.
Huc ubi deveni, festiva luce frementes
Laetitia iuvenes mihi se ostendere galero
Protecti, in multos at se diffindit hiatus
Fastigatus apex. Talos subrustica ad imos
Illudit vestis, pannoque intexta nigranti.
Haec illis chlamys: at manibus nodosa gerebant
Robora, queis pastor si forte cubare colubrum
Viderit admordentem oneraret fortia membra.
Liminaque ingressus fulvo laqueata metallo,
Vidi alios inter sese certare paratos
Cantibus, aeque illis numerosa remurmurat Echo.
Dulcisonum socius tangebat labilis errans
Pollice ebur quadrulis textum, scitusque canoras
Explorare notas, digitis modo acuta ferire,
Moxque graves reddens sonitus vocale premebat
Dextera ebur, rapideque etiam sub pollice tactae
Exiguo obstrepuere sono quadrulaeque, fidesque.
Vel levis impellens, querulos modo dulce ciebat
Tinnitus, pedibusque intensas ordine chordas
Ad numeros cautus certos tenditque remittitque.
Omnia quae molli quoniam moderamine aguntur
Delectare meos poterant non fallere sensus:
Nam placidum murmur, veluti cum Aurora fugatis
Sideribus roseo vix primum effulsit Olympo,
Turba avium in sylvis nascentia lumina solis
Provocat arguto cantu; hinc nemus obstrepit omne
Inclamantque cavae valles, montesque supini.
Nec tamen (in tacitis quamvis admurmuret arvis
Aligerum cantus) mulcet non gratior aures.
Atqui ita non agitant sollemnia festa profani
Dum rapidus choreae vortex (1) *se circinat auris*
Saltantesque gravat: dum tympana pulsa sonorem
Aere cient raucum, laxis dum immissus habenis
Perque choros agitur furor et convivia laeta,
Ebrietasque animos in coecas concitat iras.
Praeses sancte, tuis inerat sed risus ephebis
Ingenuusque pudor, mens candida in ore nitebat,
In gestu virtutibus aucta modestia miris.
Felices, quibus impendis curam atque labores,
Felices nimium pueri, qui pace fruuntur,
Lege sacerdotum certi se iungere quondam
Posse Deo, cuius nunc mollia iussa sequuntur.
Emissus stygiis latebris fremat invidus hostis,
Augeat et caedes; nunquam Vos turbine raptos

(1) Clarissimus ille vir, qui *Armorum socii* carmen, duobus abhinc mensibus ad nos misit, qua est in nos benignitate altero hoc *Vocis Urbis* paginas voluit decorare. Sint illi debitae grates; sint et gratulationes; carmen enim hoc etiam, sexdecim vix annos natus ille composuit!...

(2) Villa, de qua loquitur poeta, Romae sita erat ad clivum Esquilium, et subversa est ut ferriviae stationi locum cederet.

(3) Hoc est Tusculum; Vulgo *Frascati*.

(1) Vulgo *Valtzer*.

Involvent turpes curae, atque illapsa cupiao
Impia bella Deo, sacrisque indicere sceptris.
Quare oculis egomet, Praeses, cum talia vidi,
Conceptam dudum magis exarsisse medullis
Persensi flammam, nimirum adsciscier almo
Coetu, quem facili sapiens moderaris habena.
Hoc erat in votis; nec enim ut traducere laetus
Romanis autumni frigora mixtus ephebis
Ipse velim, Thermae qua procubuere vetustae.
Sed tantum ingenuos ut possim inducere mores
Atque hac pace frui, caelo quae labitur alto,
O iuvenes, quorum sine labe est vita peracta,
Quique Deum posthac castae velamine frugis
Obductum, fors thuricremam apponetis ad aram.
O quis me rapit? In caelum feror arduus altum,
Contemplorque Deum: turpes abscedite curae.
Casta placent Superis; pura cum veste sacerdos
Iam videor Christum, dum verba potentia dico,
Stellantis caeli regnis excire volentem.
Flecte genu: Deus ecce, Deus! Curvamini et omnes...
Quod mea mens inhiat divino percita ab oestro,
Dux optate, dabis; Tibi nunc mea credita vota,
Namque meis plene Tibi fas occurrere votis.

NICARINUS.

COLLOQUIA LATINA

Domus. (1)

IOANNES. — Est tibi notitia cum insulario amplae atque elegantis huius domus?

LEOPOLDUS. — In primis, et est asseclae patris mei admodum propinquus.

I. — Rogemus eum, ut nobis eam omnem patefaciat; nam ferunt nihil fieri posse amoenius, nec delectabilius.

L. — Pulsemus fores tintinnabulo ne irrumpamus inexspectati. At, at!

VITRUVIUS. — Quis istic?

L. — Ego sum.

V. — O salve multum, dulcissime adolescens! Unde tu?

L. — E ludo.

V. — Qua igitur gratia huc?

L. — Sodalis hic meus et ego vehementer cupimus hasce aedes visere.

V. — Nunquam spectastis?

L. — Ego non totas; hic earum nihil.

V. — Ingredimini. Heus, Marce, affer mihi claves ostiorum! — Primum hoc est vestibulum; patet semper interdiu absque ianitore, quod nec intra domum est, nec tamen extra: noctu clauditur. Contemplamini portam magnificam, valvas e robore, munitas aere; utrumque limen, et infimum et supremum, ex marmore alabastrite... Sequitur ostium atrii, quod atriensis servus custodit. Tum atrium spatiosum ad deambulandum, antiquis vasibus et amphoris, ut videtis, ornatum. Nunc vero non magnas scalas, quae huc in publicum ferunt, ascendamus, sed istas cochlides, secretiore ambitu, servis destinatas: rectiore via ad superiorem domum nos adducent.

I. — Numne scansoria cellula hîc est, in qua scilicet per electridem aut aliquam virtutem aliam aedium fastigia capiantur?

V. — Mechanicae officinae commissa est, sed nondum perfecta.

I. — Tum equidem rectissima ac citissima via ibitur; imo etiam sine labore!.. Atqui hic ascensus, quem persequimur, difficilis admodum praebetur.

L. — Sed tamen, Deo adiuvante, per gradus hos ex marmore basalte, ni fallor, incolumes ad primam contignationem pervenimus.

V. — Haec habitatio est domini. Coenaculum superius hospitale est, non quod herus meus faciat coenacularium; sed paratum est hospitibus, amicis; ornatum, semper instructum et vacuum, nisi quum adsint hospites. Hoc est triclinium.

I. — Quae fenestrae! Quam scite depicta specularia! Qui colores, quam vividi! Quae coassatio! Quae tabulae! Quae signa! Cuiusnam haec sunt?

V. — Hoc Mutii Scaevolae...

I. — Tanta arte effictum, ut non certe dici possit Mutus etiamsi Mutius. Quid mutiat?

L. — Id profecto: «Non incendet me hic ignis, quoniam alius maior ardet me intus».

V. — Simulacrum, quod sequitur, est Helenae...

I. — Ex lemmate coniicitur: «Utinam fuissem semper talis; minus nocuissem». At quid signat coecus ille seniculus recalvaster, indice ad mulierem verso?

L. — Homerus nonne est?

V. — Est; Helenae dicens: «Quae male tu fecisti, ego bene cantavi».

I. — Inspice, Leopolde, lacunar quanta magnificentia deauratum!

L. — Quo spectant fenestrae?

V. — Hae in hortos; illae in cavaedium.

I. — Quid sibi vult tabula illa, in cavaedii pariete nobis opposita tam varie delineata?

L. — Nonne sciothericum est?

V. — Id ipsum. — Adeamus nunc cubiculum et conclave

L. — Pulcrum certo huiusmodi cubiculum cum pavimento contabulato tapetibus hinc, storeis inde tecto. Quae imago super lecto? Plagula est enim fere omnino occulta, ut discernere possim.

V. — Beatae Virginis cum Christo puero, quam Botticellius olim Florentiae effinxit.

(1) Ex latinis colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES passim retractavit hodiernisque moribus accommodavit. I. F.

I. — Num herus tuus trusatili arcula utitur? Inter supellectiles eam non video.

V. — Armarium istud, speculo per longitudinem fere omnino coopertum, in vicem eius posuit. Bifariam dividitur, pro vestiario scilicet ac linteario. Prope est penularium, in quo vestes cotidiani usus suspendantur.

L. — Lychnus ille pensilis electricam lucem praefert, an non?

O. — Ille, ac lucernae omnes, quae in insula sunt.

I. — Quid scriptum est in limine superiore huius ostii?

V. — «Recipe te in portum tranquillitatis affectuum».

I. — Quid in interiore poste forium?

V. — «Ne induxeris in portum tempestatem».

I. — Egregie dicta.

V. — Ah! conclavis huius clavem abduxit dominus.

L. — Nummariane capsa in eo asservatur?

V. — Vacua tamen, quando herus procul abest.

I. — Undenam odor hic acutus?

V. — A proximo balneo, ubi mattiacae pilae et vascula odoramentorum asservantur.

I. — O bellum gurgustium cum laterculis hisce alba maltha illinitis; cum urnario ex marmore, malluvio ex Iaponica argilla!

V. — Diaphragma illud abscondit lavacrum et hydrothecam cum sua machina ad calefaciendam aquam.

I. — Nonne etiam balneos pensiles?

V. — Imo eas recentissime conceptas. — At pergamus in alterum aedium membrum, quod est hibernum. Videtis omnia obscuriora et magis tecta.

L. — Punicanos lectos ac sedes ex holoserico villoso...

I. — Dossualia pro hypocaustis...

L. — Dicunt hypocausta bonae valetudini obnoxia.

V. — Non tamen quum fumus per optima aestuaria evadat.

I. — Quae est illa camera tam bene fornicata?

V. — Sacrarium, seu sacellum: ibi agitur res divina.

L. — Turriculae illae, et pyramides, et pilae, et indices ventorum, omnia qua venustate, quam admirabili arte!

V. — Descendamus. — Haec est culina...

I. — Cuius machinae haustrum illud?

V. — Organi pneumatici ex supposita cisterna. — Hoc est promptuarium; haec cella vinaria.

L. — Quot lagenae!... Salivam, hercle, movent!

V. — Sequitur cella penuaria, in qua mire infestamur rapacitate furum.

L. — Qua tandem est huc furibus ingressus? Omnia video probe clausa et fenestras cum ferreis cancellis.

V. — Per rimulas et foramina.

L. — Mures ergo sunt et mustelae, quae vobis penum diripiunt.

V. — Illud est posticum domus, firmatum plerumque duabus seris, affixa et pensili.

I. — Cur fenestrae hae non habent cancellos?

V. — Quoniam raro aperiuntur; spectant enim ad angustum angiportum, ut cernitis, et obscurum. Raro quisquam hic assidet aut profert caput; ideo et clathrare eas statuit herus meus.

I. — Quibus clathris?

V. — Fortasse ligneis; nondum est certum; interea repagulum hoc sufficit.

L. — Quam amplae columnae et porticus plena maiestatis! Vide ut Atlantes illi et Caryatides speciem praeferunt enitentium, ut fulcianta edificium, ne ruat, quum nihil agant. Tales multi sunt, qui magna videntur praestare, quum otiosi et segnes vivant, fruentes alienis laboribus. — Sed quaenam est domus illa inferior huic adiuncta, tam male materiata et ruinosa?

V. — Est vetus aedificium, quod, quia ducebat rimas, et vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram a fundamentis erigere. Illa nunc nidulatio est avium et habitatio murium, furum scilicet eorum, quos dixi. Sed brevi eam demoliemur.

L. — Sint gratiae tibi quod tam humanum ducem te nobis praebuisti.

I. — Et meas habe.

V. — Absit inutilis verborum honos. Salvete.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Rituum.

De iudiciali ordine servando in causis Servorum Dei procedentibus per viam casus excepti.

In huiusmodi Causis per decretum *Cum in agendis* d. XI mens Novembr. MCMXII vetus disciplina instaurata est prouti sequitur:

I. — Abrogato penitus quovis alio iudiciali ordine, ante omnia, more solito, perquirantur diligenterque recognoscantur scripta Servi Dei: tum confecto ab Ordinario processu super fama sanctitatis vitae, virtutum (vel martyrii) et miraculorum, quo respondeatur quaestionibus: «An in loco sit constans et communis fama et persuasio de sancta Servi Dei in terris conversatione (vel de eius martyrio et martyrii causa), necnon de miraculis ad eius intercessionem patratis: an ibidem de praesenti vigeat ipsius S. D. cultus et quibus

obsequiis S. D. honoretur», eoque ad S. Congregationem transmisso et ad normam iuris aperto, proponatur in congregatione ordinaria dubium: «*An signanda sit Commissio introductionis*» exquisito in scriptis voto trium consultorum, quorum sententiam S. Rituum Congregationis Secretarius in ipsa congregatione ordinaria referet.

Signata Commissione, expediantur litterae remissoriales ad viros ab ipsa S. C. electos, ut, ad tramitem iuris, processus apostolicus instruatur super casu excepto et sententia feratur. Processu vero ad sacram Congregationem transmisso et aperto, atque comparata a causae patrono positione cum animadversionibus promotoris S. Fidei et responsionibus ipsius patroni, in ordinaria congregatione proponatur dubium: «An confirmanda sit sententia iudicis delegati».

II. — Processus probare debet tum cultus initium, tum eius iugem continuationem usque ad sententiam delegati iudicis.

III. — Documenta historica manu scripta, autographa tamen et impressa, cultus antiquitatem eiusque iugem continuationem comprobantia, transmittantur ad sacram Congregationem, ut a viris peritis examinentur: in casu vero quo ad S. C. transmitti nequeant, a peritis S. C. recognosci debent ubi asservantur.

IV. — Si sententia super casu excepto favorabilis fuerit et a Summo Pontifice adprobata, expediantur litterae remissoriales ad processum super virtutibus vel super martyrio eiusque causa, iuxta diversitatem causarum. Quo item ad S. C. transmisso et aperto, eiusque validitate adprobata, in tribus Congregationibus, nempe antepraeparatoria, praeparatoria et generali, proponatur dubium super virtutibus vel super martyrio eiusque causa, prout fit in causis procedentibus per viam non cultus.

V. — Post editum Decretum, si Ssmo. placuerit, de heroicitate virtutum vel de martyrio, et de cultu immemorabili, Servus Dei dicitur aequipollenter beatificatus, et tunc tantum locus fit Officio et Missae, quae concedi non possint nisi iis Servis Dei, qui beatificationis vel formalis vel aequipollentis, uti vccant, honore decorati sint.

VI. — Occasione confirmationis cultus, iis quorum interest, primo anno a confirmato cultu, inchoando a die editi Decreti, in ecclesia in qua adservatur Servi Dei corpus, vel ipse Servus Dei peculiari veneratione colitur, triduana sacra solemniter celebrare liceat.

VII. — In progressu ad canonizationem omnia pertractentur, ut in causis Servorum Dei procedentibus per viam non cultus: requiruntur vero quatuor miracula post indultam venerationem patrata.

Decretum de Causis Servorum Dei procedentibus per viam casus excepti, quarum discussio, edito Decreto d. XI *mens. Nov.* MCMXII, *suspensa fuit de mandato Sanctissimi.*

Edito Decreto *Cum in agendis* die XI Novembris superioris anni, quo sanctissimus Dominus noster Pius Papa X iudicialem ordinem sancivit servandum in Causis Servorum Dei procedentibus per viam Casus excepti, quum Sanctitas Sua mandasset, ut suspensae manerent Causae omnes eius generis quae apud sacrorum Rituum Congregationem agi coeperant, non exclusa Causa Servi Dei Isnardi ex Ordine Praedicatorum, Beati nuncupati, donec ipsa Sanctitas Sua eminentissimo Cardinali eidem Congregationi Praefecto, vel eiusdem Congregationis Secretario, mentem suam aperiret: quumque interea nonnulli Postulatores per S. Rituum Congnis. Secretarium supplicibus votis ab ipso sanctissimo Domino nostro quaesissent, an sibi liceret prosequi Causas ante memoratum Decretum inchoatas, easque ad finem perducere veteri procedendi ordine servato; Sanctitas Sua negativum dedit responsum.

Ex speciali vero gratia concedendum esse duxit, ut resumi possint illae Causae quae, quamvis tractatae iam fuerint apud sacrorum Rituum Congregationem, nondum tamen ad exitum pervenerunt per approbationem vel confirmationnm Sanctitatis Suae; et illae praeterea quarum positiones typis impressae traditae fuerunt Promotori Fidei ante promulgationem Decreti memorati, iuxta elenchum ab ipso Promotore confectum et sacrae Rituum Congregationis Secretario exhibitum; quae omnes ita pertractandae erunt, ut quadam indulgentia et moderatione adhibita, eiusdem Decreti substantia omnino servetur, hoc tamen pacto, ut:

1. Non procedatur ad ulteriora, nisi peractis, more solito, perquisitione et revisione scriptorum, si quae sint.

Si post revisionem scripta approbata fuerint, in Congatione Ordinaria dicutiatur Dubium, nisi discussum iam fuerit, «An sententia lata ab Ordinario super Casu excepto confirmanda sit». Cuius Dubii favorabilis resolutio erit, vel «Confirmandam esse sententiam, ita ut ad ulteriora procedi possit», vel «Sufficienter constare de Casu excepto, ut ad ulteriora procedi possit», prout res tulerit.

3. Secretarius favorabilem Congregationis resolutionem, ut supra, Sanctissimo referat cum rationum momentis, in compendium redactis, quibus suffragatores innixi sunt; quam Pontifex, si ei visum fuerit, auctoritate Sua confirmabit, iuxta ea quae Ipse constituit in Decreto *Cum in agendis*. Declarat autem Sanctitas Sua vim huius confirmationis, prout ex eodem Decreto eruitur, non eam esse ut censeatur Pontifex illico permittere cultum Servi Dei, sed tantum facultatem facere ut ad ulteriora procedatur: quum enim agatur de antiquissimis Causis, eadem Sanctitas Sua non intendit cultum approbare, nisi iudicialiter constiterit de fundamento rationabili cultus, nempe de virtutibus Servorum Dei.

4. Si Sanctissimus hanc confirmationem addiderit, mandetur Ordinario, onerata eius conscientia, ut sacrorum Rituum Congregationi significet, an eo loci vigeat fama de sanctitate vitae, virtutibus et miraculis

Servi Dei, et quae opera virtutum praecipua a fidelibus, ex traditione, Servo Dei tribuantur; vel an fama sit de martyrio eiusque causa et signis. Postulator autem syllogem virtutum ipsius Servi Dei cum instrumentis et documentis historicis illius virtutes probantibus tradat Promotori Fidei, qui pro rei veritate relationem faciat; eaque typis impressa eminentissimis PP. Cardinalibus et Praelatis Officialibus distribuatur. Si eminentissimi Cardinales in Congregatione Ordinaria, audito voto Praelatorum Officialium, decernendum censuerint, constare de virtutibus Servi Dei in gradu heroico, eorum resolutio Sanctissimo referatur, ut videat utrum cultus Servo Dei praestitus, sit confirmandus necne.

5. In ceteris omnibus Causis huius generis Decretum diei 11 novembris 1912 ut supra, religiose servetur. (D. XXXI mens. Ianuarii MCMXIII).

Declaratio circa Rubricas tit. X, *num. 2 et 5 de Missis votivis et «de requie».*

In nova Rubrica Constitutioni Pianae *Divino afflatu* adiecta tit. X, num. 2 et 5, «prohibentur Missae votivae privatae seu lectae pro defunctis, in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II. Rogationum, in vigiliis, et in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae; in Quadragesima vero permittuntur Missae privatae defunctorum tantum prima die cuiuscumque hebdomadae libera in kalendario ecclesiae in qua Sacrum celebratur.

Nunc vero ad dirimendas quaestiones nonnullas S. Rituum Congregationi propositas circa applicationem praefatae Rubricae quibusdam Missis votivis privilegiatis tum in Ecclesia universali, tum certis in locis per Indultum apostolicae Sedis concessis, firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes seu in cantu respicientibus, quoad Missas privatas lectas, ea quae sequuntur decreta sunt atque declarata:

I. — Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I et II classis, seu etiam II classis tantum; et privilegium Missae votivae Ss. Cordis Iesu in prima feria VI cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam rubricam exclusis.

II. — Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel communitatibus quocumque modo et titulo concessum, ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et Octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum; ut dictae Missae votivae lectae prohibitae sint in omnibus feriis in praefata rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias orationes. Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu commode haberi nequeat.

III. — Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis.

IV. — Privilegium Missae pro defunctis lectae aliquibus locis vel Ordinibus concessum ita ut bis vel ter in hebdomada celebrari possit etiamsi occurrat aliquod duplex maius vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra. Quapropter in huiusmodi feriis vel vigiliis Missae lectae pro defunctis semper prohibitae sunt, exceptis Missis in die obitus vel pro die obitus, in ecclesiis ubi celebratur funus alicuius defuncti cum Missa in cantu; item excepta unica Missa quae pro defuncto paupere celebrari potest iuxta decretum d. IX mens. Maii MDCCCLXXXXIX, n. 4024; item Missis quae in sepulcretis celebrantur, ad normam decreti d. XIX mens. Maii MDCCCLXXXXVI, num. 3903; item exceptis Missis lectis in prima die libera uniuscuiusque hebdomadae in Quadragesima iuxta novas rubricas. Ex indulgentia vero sanctae Sedis habentur adhuc valida, donec expirent, Rescripta quinquennalia, aliquibus dioecesibus et provinciis religiosis exteris nuper concessa, celebrandi bis in hebdomada Missas lectas de Requie in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

(D. VIII mens. Februarii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificii Seminarii Pii moderatores et alumni; De Leyen, Princeps, eiusque uxor; Liechtenstein, Princeps fo mina; Andrassy, Comites; Georgius De Gumppenberg, Marchio; Iosephus Della Torre, Comes, populariis unionis inter Italiae catholicos Praeses nuper renunciatus: Aloysius De la Grange, Dynasta; De Langle, Marchionissa; De Cossè, Comitissa; Du Chastel, Comes; Firminus Calbeton y Blanchòn, Hispanici regni senator, atque legatus extraordinarius pro sua civitate nunc ad Pontificem missus; Aloysius Lancellotti, Princeps Urbanus; Camillus Desmaisières, Vicecomes; De Pimodan, Comitissa; Thomas Antici Mattei, Princeps Urbanus; De Radziwill, Princeps; Eugenius De Biver, Comes; Ludovicus De Pastor, eques torquatus, eiusque uxor; Ludovicus Chigi Princeps Urbanus; Bernardus Pichardo, eques torquatus, Dominicianae civitatis legatus ad nuncium Pontifici ferendum de novi rei publicae praesidis, illmi. ac revmi. viri Adulphi Alexandri Nouel, electione; De Croij, Princeps, eiusque uxor; Thomas Balbi, Comes; Genuensis ci

vitatis legatio, ob denegatum ab Italico gubernio electo archiepiscopo officii sui exercitium, sollemniter apud Pontificem interpellans.

Pontificiae electiones.

Illmus. ac revmus. dnus. Franciscus Ragonesi, archiepiscopus tit. Myren., Nuntius Apostolicus Madritum mittitur.

— R. p. Iosephus Lemius ex Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae, S. Congregationis Indicis Consultor creatur.

Ad idem officium apud S. Congregationem Studiorum r. p. Henricus de Floch e Congregatione Spiritus Sancti, et apud S. Congregationem de disciplina Sacramentorum r. p. Thomas Pégues ex Ordine Praedicatorum deputantur.

Vita functi viri clariores.

Die IV mens. Februarii MCMXIII Vindobonae obit Purpuratus Pater **Franciscus Xaverius Nagl,** illius civitatis archiepiscopus, ipsa in urbe natus d. XXVI mens. Novembris MDCCCLV; episcopus Tergestin. et Iustinopolitan. electus d. IX mens. Iunii MCMII; ad metropolitanam Vindobonensem promotus mense Augusto MCMXI; in Saerum Senatum cooptatus d. XXVII mens. Novembris eiusdem anni; vir praeclaris tum religiosis tum civilibus virtutibus refulgens.

ANNALES

Balkanicum discrimen.

Tonuit reapse, uti praevidebamus, bellicorum tormentorum iterum fragor tertia die superioris mensis Februarii; quorum effectus non aperte satis innotuerunt, militaribus exterarum nationum legatis, itemque diurnorum scriptoribus prohibitione a bellantibus facta, ne ulterius exercitus sequerentur.

Dum itaque omnes putant hostilia apud Ciatalgiam acriter renovari, dumque de die in diem Adrianopolis urbis deditionem exspectant, proelia ex Thracica Chersoneso nunciantur magna vi utrinque acta, non eo tamen successu, qui asperam hanc diuturnamque quaestionem dirimere tandem valeret. Quinimo huiusmodi veluti *stasis* et spem aliquam excitavit, Europaearum nationum officia non omnino interrupta fuisse; eamque eventus confirmare videntur, siquidem quum scribimus pro certo affertur, utramque partem se aequo magnarum Europaearum, quae vulgo dicuntur, nationum animo commissuram pro certis atque definitivis pactionibus de pace constituendis. — O utinam auspicia addicta fuerint!

***

Mexicanum civile bellum.

Latinae Americae populi in quadam quiete vivere iam aliquo tempore videbantur, quum ex improviso atrox civile bellum in Mexicana republica exarsit, a factiosis hominibus qui Felicem Diaz tamquam ducem sequuntur, submotum, contra Madero praesidem. Initio rebellis partis fautores numero inferiores apparebant, ita ut facile vinci possent; verum Huerta et Blanquez imperatoribus per proditionem ad inimicos transmigratis, conversae sunt res, ac primum praesidis frater per fraudem est occisus, deinde ipse Madero et Juarez, alter a praeside, interempti. Rerum status, valde implicitus, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae interventum ne provocet?

***

In Mauritania.

Iuxta foedus Hispaniam inter atque Galliam initum, Hispania Tetuan occupavit, quae urbs caput erit Hispanicae orbis in Mauritano imperio. Ibidem Alfen imperator sedem ponet, copiarum omnium iamnunc praefectus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

legibus ferendis

In **Anglia** lex de rationibus imperii ab ecclesia in Vallia separandis, quae a populi legatis fuerat approbata, apud Senatum reiecta est.

In **Belgica** de militari re innovanda rogatio legis prima vice rata habita.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** summa imperii pro Praeside ad sex annos dilata; prohibitum tamen ne sine annorum sex intervallo idem Praeses iterum eligi possit.

In **Gallia** rationes expensarum pro re navali in disceptationem vocatae.

In **Germania** publici coetus legati qui catholicas rationes protuentur obtinuere, ut lex qua Patres e Societate Iesu a civitate arcebantur, aboleretur.

In **Hungaria** Zichy, Comes, publicae institutionis administer, a munere abdicavit, in eiusque locum suffectus Bela Iankowic.

In **Iaponia** novum administrorum collegium constitutum, praeside Yamamoto.

In **Italia** novae rationes circa ritum apponendi poenas constitutae.

In **Russia** descriptae formae de civitatis defensione, de bellicis tormentis augendis, de militari portu ad Reval constituendo, apud publicum coetum lege confirmatae. In Senatu autem rogatio legis exclusa de patrocinio apud tribunalia mulieribus concedendo.

PER ORBEM

Die III mens. Februarii MCMXIII, Neapoli, ob aucta urbis vectigalia, opificum omnium ab operibus desertio fit, tumultusque excitantur, quos per vim reprimere oportet.

— d. IV sylvae Australis regionis Victoriae immani incendio late absumuntur.

— d. V inter ferriviae stationes Elisabeth - Stadt atque Mediasch curruum series vapore actorum in alteram occurrit, quae, petrolei dolia vehens, facile incenditur. Viatores tres vulnerantur; ceteri, inter quos Eitel Fridericus, Borussiae princeps, incolumes fauste omnes evadunt.

— d. VIII flammae, qua de causa exortae ignoratur, Boghazkechen Tophane, Constantinopolitanum vicum, ligneis domibus frequentem, fere omnino destruunt.

— d. IX atrae procellae Angliae septentrionales provincias late pessumdant.

— d. X ex nova Zelandia nunciatur Scott, antarcticae expeditionis dux, polum mense Ianuario superioris anni MCMXII attigisse; quum vero rediret, nivali turbine oppressus, cum comitibus aliquot miseram mortem inter glacies occubuisse.

— d. XII Romae placide quiescit in Domino Rosa Sarto, Pii X P. M. soror, Riese, in oppido Tarvisinae dioecesis, orta d. XII mens. Ianuarii MDCCCXLI.

— d. XVI aviatoriae artis internationalis publica exhibitio coram Anglorum rege Londini inauguratur.

— d. XVI Sultan-Ahmed, Byzantinus vicus, et ipse ignis praeda fit.

— d. XVII, Lutetiae Parisiorum, Raymundus Poincaré, novus Gallicae reipublicae praeses ad septennium renunciatus, in imperii possessionem sollemniter immittitur.

— d. XIX Troyki, Petropolitanum templum a Petro illo Magno conditum, quod merito antiquitatis museum appellari poterat, malo fato comburitur.

Incendium alterum Kando ex oppido ad Tokium nunciatur, unde tria millia aedium ac trecentae exustae feruntur.

— d. XXIII Berezovski vulcanus media in Kamtchaka peninsula positus, multo abhinc tempore quiescens, excitari iterum videtur cineresque copiose evomit.

— d. XXV Daniae rex ac regina Berolinum perveniunt Germanicam imperialem domum visitaturi.

— d. XXVI novae ex Antarctici poli explorationis victimae lugentur: Ninnis, Anglicus centurio, et Mertz, Helveticus doctor.

— d. XXVII Romae vita fungitur Angelus De Gubernatis, vir multarum litterarum cognitione clarus. Augustae Taurinorum natus erat d. VII mens. Aprilis MDCCCXL.

— d. XXVIII Las Palmas insula terrae motu concutitur, nulla tamen hominum iactura.

AENIGMATA

I.

Occiduis peterem Eoas regionibus oras,
Quo placet ibo; viae haud fessa labore premar.
Hinc minor aut maior numeratur massa metalli,
Si brevis aut longius sit labor ille viae.
Sic ego vicatim gestantis debile corpus
Missa traho, noceat ne manus ulla mihi,
Vaginis non arma gero, sed stemmata monstro,
Atque styli nivea cyclade claudo notas.
Vos idem simul ardor habet me optatis adesse;
Hinc cupide vestros calco recepta lares.
Aeris pressa notis venio; laceratis at illis,
Reclusam tantum lumina vestra vident.
Demite velamen primum, quod cinxerat artus,
Si placet in patulas lumina ferre genas.
Dum placet obtutus detectae immittere fronti,
Frons mea non vili, visa, pudore rubet.

A. EPIRO.

II.

Vin tu, me a cauda, vin, rostro me legex: longo
Est eadem semper bestia, nomen idem.

I. WABNER.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

EUPLIUS
Actio dramatica I. B. FRANCESIA
in tres actus distributa.

Aenigmata an. XV, n. XII proposita his respondent:

I (vulgo REBUS): Neque intus neque foris.
II. Is-is.

Ea rite soluta miserunt:

Athan. Hepp, *Sancto Leone in Florida*. — Petrus Tergestinus. — Diomedes Falva, *Constantia*. — B. Ferraris, *Augusta Taurin.*. — Iac. Costa, *Dumio*. — Ant. Masia, *Tarragona*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — I. Cioli, *Papia*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — St. Lowinski, *Zerkòv*. — Alois. Geyer, *Ratisbona*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Rich. Broudel, *Brugis*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum*. — Raim. Silvan, *Londino*. — Eug. Dolmar, *Chicagine*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — I. Ortiz, *Mordia*. — Io. Martins, *Philadelphia*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Claudius Lucensis. — Nic. Endrigi, *Salisburgo*. — Alf. Martinez, *Badaiocio*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Alb. Perrand, *Lutetia Parisiorum*. — Arch. Magliano, *Genua*. — F. X. M., *Drepano*. — F. Correa *Emerita*. — Alb. Kain, *Dublino*. — P. Prado, *Venetiis*. — Carm. Zlinczky, *Cracovia*.

Sortitus est praemium:

IGNATIUS CIOLLI

ad quem missum est opus, cui titulus:

MANUTII PAULI EPISTOLAE SELECTAE
(Edid. M. Fickeelsherer).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Ex officina *Societatis Editricis Romanae*.

AD ROMAM

6)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

Iuvabit ipsum persequi consilium...
Sic, imperator, vinces adversarios,
Tenebis Urbem tuis sub stipendiis,
Italiam totam vocabis denuo.

PUBLIUS.

Meum licebit si consilium promere,
Cave, imperator, cave ab hac sententia!
Super christianos irruant nunc fulmina,
Sibi quae semper adprecantur pessimi.
Et adsunt multi nostris in custodiis
Damnandi capitis propitiae victimae.
Sic omnes discant sibi quod profuerit
Christum sequi, Deum quem folles autumant.
At verberamus inanes umbreculas
Et paucos admodum fructus colligimus.
Dicam: profundae si radices remanent,
Vel ad radices nos secemus arboris.
Radix est ille qui vocatur Melchias,
Radix est omnium senator Scipio,
Solet consiliis suis et perfidis
Novarum subter qui virtutum tegmine,
Suos trahit cives ad malum turpiter.
Hi sunt in primis plectendi maxime,
Rapi sin vultis ad ruinam breviter.

IMPERATOR.

Placet tuum sequi, Publi, consilium.
Mittantur milites...

PUBLIUS.

Nec palam: clanculum.

IMPERATOR.

Eos inquiram subito! Nam in primis placet
Hos iudicare cives, postea ad praelium.
« Bonus nam venit Constantinus aemulus » (1)
Suum qui forsitan renovabit Deum!
Sciat sed ipse, ceteri cives sciant,
Suis favent partibus arte turpissima,
Adhuc regnare Romae nunc Maxentium,
Solet qui lites gladio dirimere,
Suosque varios hostes deperdere...
Et illos primum dicunt quos discipulos
Iesu quem falso ponunt inter numina
Quod ipse in caelis iners gaudet otium,
Sui laborant dum magnis angoribus?
Ego hos plectam, caedam, perdam citissime,
Ut ipsi candidas feramus hostias.
Sic ille primus adpellatus Melchias
Qui Christianorum princeps est et caput.

CHRISTIANI CIVES *(submissa voce)*.

1. Audistin?
2. Audivi!
3. Christianis horrida
Ruit procella, tollit quae multissimos
In agro florent teneri qui calami.
1. Iuvat sed in primis monere socios
Agant prudenter!
2. Abdant se, sint in tenebris
In istis magnis fidei periculis.

SCENA VII.

MELCHIAS *cum aliquot civibus, et* DICTI.

CHRISTIANI CIVES.

1. Adest!
2. Quis?
3. Ipse!
4. Quisnam?
1. Ipse nam Pontifex!
2. Cur ita, Pater, curris in periculum?

MELCHIAS.

Novi meas oves vexari pessime
Vocari ad bestias, lancinari gladiis,
Trudi in custodiam, tradi ad supplicium:
Stabit quis abditus remotus praeliis?
Mali quid egimus, quidve peccavimus?
Licebit vobis profanare thalamos,
Supremum divûm sic venerando Iovem!
Furtis adorare turpem Mercurium;
Superbos esse, fraternas lites serere,
Occulte fratrum sanguinem profundere,
Vos esse sacrum divinumque creditis,
Et hos vos dicitis laude dignissimos,
Deos vos esse, tura mereri creditis,..
En, imperator, omnes, et satellites
Meum si vultis avidius sanguinem,
Sinite istos abire directe liberos.

IMPERATOR.

Quis est hic audax? qui vocaris?

MELCHIAS.

Melchias!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

(1) *Ironice.*

Ann. XVI. ROMAE, Mense Aprili MCMXIII. Num. IV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

XVII ineunte saeculo a Christi Ecclesia in libertatem vindicata.
Constantini ac Licinii Augustorum edictum de Christi Ecclesiae libertate.
De Cruce Christi triumphante. Carmen saeculare.
De Bello.
Ex Batavia. De certamine poetico Hoenfftiano anni MCMXII.
Fridericus Ozanam.
De pilari ludo, qui vulgo appellatur « Golf ».
Acta Pontificia. SSmi. Dni. Nostri Pii PP. X Litterae Apostolicae, quibus, in memoriam pacis a Constantino Magno Imperatore Christi Ecclesiae datae, Universale Jubilaeum indicitur.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione S. Officii (Sect. de Indulgentiis). — Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clariores.
Annales. Balkanicum discrimen.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Sociis et lectoribus monitum.
Appendix: Ad Romam.

XVII INEUNTE SAECULO
A CHRISTI ECCLESIA
PER CONSTANTINI MAGNI EDICTUM
IN LIBERTATEM VINDICATA

CONSTANTINE EXSULTA, EXSULTET MAXIMA ROMA
NON TELIS, GLADIIS, TE DOMUISSE DUCEM,
PECTORE QUI TUMIDUS FATALE INDICERE BELLUM
IN COETUM EXARSIT, CHRISTIADÛMQUE FIDEM;
SED VIRTUTE CRUCIS, QUAE VISA EST FULGIDA CAELO,
ATQUE TUAS ACIES PRAESIDIO TEGERE.
NON AQUILAE SIGNUM IAM NUNC PONATUR IN HASTIS,
SED CRUCIS IN CLYPEIS SPLENDEAT EFFIGIES.
EN DELUBRA CADUNT, EN TEMPLA AUGUSTA PATESCUNT;
IMPUNE EST LICITUM SACRIFICARE DEO!
UNDE TIBI PLAUDENS INDICIT ROMA TRIUMPHUM;
CHRISTIADAE PLAUDENT TEMPUS IN OMNE TIBI.
ANNE MIHI EST MENTIS LUSUS?... CRUX ALMA VIDETUR,
QUAE EUXINUM PELAGUS PROSPICIT, ATQUE ASIAE
FINES, LITUSQUE APRICUM BYSANTII ET ARCES,
AGMINA DUM THRACUM TERRITA DIFFUGIUNT...
AUSPICIUM FELIX! CRUCIS O VENERABILE SIGNUM,
UT ROMAE *VETERI,* FULGEAT USQUE *NOVAE.*

Albintemilii, Id. Februariis, MCMXIII.

CALLISTUS AMALBERTI.

CONSTANTINI AC LICINII AUGUSTORUM EDICTUM DE CHRISTI ECCLESIAE LIBERTATE

MEDIOLANI DAT. PRIMO VERE CCCXIII.

Iamdudum quidem, cum adverteremus non esse cohibendam religionis libertatem, sed uniuscuiusque arbitrio ac voluntati permittendum ut ex animi sui sententia rebus divinis operam daret, sanximus ut tum ceteri omnes tum Christiani, sectae ac religionis suae fidem atque observantiam retinerent. Sed quoniam in eo rescripto quo haec facultas illis concessa fuerat, multae ac diversae sectae diserte ac nominatim additae videbantur, quidam eorum ob hanc fortasse causam paulo post ab huiusmodi observantia destiterunt. Quamobrem cum nos, Constantinus ac Licinius Augusti, felicibus auspiciis Mediolanum venissemus, et quaecumque ad commodum utilitatemque reipublicae pertinebant, sollicite inquireremus; inter cetera quae universis multifariam profutura iudicavimus, seu potius prae reliquis omnibus haec constituenda esse censuimus, quibus divini numinis cultus ac veneratio contineretur: hoc est, ut Christianis et reliquis omnibus libera facultas a nobis tribuatur quamcumque voluerint religionem consectandi: quo scilicet quidquid illud est divinum ac caeleste numen, nobis et universis qui sub imperio nostro degunt, propitium esse possit. Hanc igitur nostram voluntatem salubri et rectissimo consilio promulgavimus, ut nemini prorsus Christianam observantiam ac religionem sequendi aut eligendi licentia denegetur. Sed unicuique liceat ad eam religionem quam sibi conducere censuerit, animum applicare; quo divinum numen propensum erga nos studium ac benignitatem in omnibus possit ostendere. Porro consentaneum fuit ut haec nobis ita placere rescriberemus, quo sublatis penitus omnibus sectis quae in priore nostra de Christianis epistola ad tuam devotionem missa continebantur, cum illa quae prorsus sinistra et a nostra mansuetudine aliena esse videbantur, omnino removeantur: tum ut in posterum quicumque Christianam religionem observandam sibi esse statuerunt, eam libere et constanter absque ulla molestia et impedimento retineant. Quae quidem idcirco tuae solertiae indicanda censuimus, ut liberam et absolutam licentiam religionis suae colendae Christianis concessam a nobis esse cognoscas. Quod quoniam a nobis simpliciter et absolute illis concessum est, simul etiam aliis observantiam et cultum suum sectari volentibus, id concessum esse tua devotio intelligit. Quod profecto temporum nostrorum tranquillitati convenire perspicuum est; ut unicuique liberum sit quamcumque voluerit colendi numinis rationem eligere atque observare. Atque id a nobis eo factum est, ut ne cui divino cultui atque honori quidquam a nobis dectractum esse videretur. Hoc autem amplius in gratiam Christianorum decernimus: ut loca ipsorum in quibus antehac convenire consueverant, de quibus in literis prius ad devotionem tuam datis alia erat forma superiori tempore constituta, si qui aut a fisco nostro aut ab alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis Christianis absque ulla pecunia et sine repetitione ulla superadiecti pretii, incunctanter ac sine ulla ambage restituant: et si qui eadem loca dono acceperint, ut ea protinus Christianis reddant. Quod si qui ea loca emerunt aut donata acceperunt, aliquid a nostra clementia petere velint; ii Praefectum qui in illa provincia ius dicit, adeant; ut a nostra serenitate ratio ipsorum habeatur. Quae quidem omnia protinus sine ulla dilatione corpori Christianorum restitui tua cura ac diligentia oportebit. Et quoniam iidem Christiani non solum ea loca in quibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, quae non privatim ad singulos ipsorum, sed ad ius corporis pertinerent; haec omnia post legem a nobis memoratam absque ulla dubitatione iisdem Christianis, hoc est cuilibet corpori et conventiculo ipsorum restitui iubebis; supradicta scilicet ratione servata, ut qui ea loca absque redhibitione pretii, sicut dictum est, restituerint, indemnitatem suam a nostra benignitate exspectent. Atque in his omnibus supradicto corpori Christianorum operam tuam atque industriam quoad fieri poterit praestare debebis; ut mandatum citissime perficiatur, quo in hoc etiam communi et publicae tranquillitati a nostra clementia consulatur. Hac enim ratione, sicuti iam diximus, Dei erga nos cura ac benevolentia, quam in multis iam negotiis experti sumus, firma ac stabilis perpetuo permanebit. Porro ut huius legis ac beneficentiae nostrae sententia ad omnium notitiam perferri possit, has literas nostras ubique proponi, et ad cunctorum cognitionem pervenire conveniet: ne benignitatis nostrae constitutio quemquam omnino latere possit.

(Ex Eusebio. — *Hist. Eccl. lib. X cap. V*).

DE CRUCE CHRISTI TRIUMPHANTE

CARMEN SAECULARE (1)

Crux domuit orbem, non ferro, sed ligno.
(S. Aug. in Ps. LIV.)

Arbor infelix! vetus unde Serpens
sibilos fudit generique nostro
virus afflavit, tua iactitare
mitte venena.

Alteram, quae nos nece liberaret,
Arborem sevit Reparator orbis,
hancque fatalem voluit nefasto
esse Draconi.

Cuius in dirum caput haec reperte,
lapsa de caelis, tonuere dicta:
« Vae tibi, reptans pecus, hospes olim
aliger aethrae!

« Fraude vicisti; veteri sed Hevae
Heva succedet nova, quae novellum
in tuas clades, Hominem Deumque,
gignet Adamum. (2)

« Nec geret Victor sua bella, ferro
dimicans; ligno tibi colla franget;
franget armatus Cruce; Crux salutem
afferet aegris. »

O Crucem Christi, Satanae pavendam!
O piam nobis! quibus et medelam
praebet et vires, et ab hoste tutam
porrigit umbram.

Quis tuam digne canat, Arbor alma,
vim salutarem? Tua quis per omnes
dicat aetates benefacta, plena
prodigiorum?

Aspidum morsu pereunt Hebraei;
quos tamen sanat, trabe fultus alta,
aeneus Serpens, morituri imago
pendula Christi. (3)

Aridas rursum perit inter oras
Israel. Flentes radiata Mosis
Virga solatur, Crucis efficaci
lumine tacta;

quae, simul rupem ferit, inde largos
elicit fontes; (4) *iterumque salsas*
mersa sub lymphas, veterem saporem
arcet amarum. (5)

Surge nunc, divo rutilans cruore,
Golgothae vertex! Crucis et potentem
fare virtutem, tua qua recussa est
saxea moles.

Mira narrabis: Moriente Iesu,
sol opacatur; nigrat aura, Morsque
mortuos reddit, monumenta iussos
linquere fracta;

intremit tellus; mare fervet; hiscit
sanctius Templi penetrale; culpas
flet suas Latro; flet et ipse, tunso
pectore, Miles. (6)

Iamque per gentes viget universas
lex triumphatrix Crucis: haec inermes
martyres firmat, gladios et ignem
spernere doctos;

firmat Andream, cruce gloriantem; (7)
roborat Petrum sociumque Paulum;
armat Agnetem timidique sexus
agmina longa.

Arx erat Romae, Capitolium qua
eminet, vasti velut umbilicus
orbis, auratum Iovis unde signum
fulmina vibrat.

Heic, metus expers, tua collocasti
castra, Maxenti: legione multa
septus, et fausto bovis immolati
omine fisus.

Filium rides Helenae, cruentam
qui tibi cladem, sibimet triumphum
praecinit certum, Crucis explicato
caelite signo. (8)

Curris ad pugnam, Iove fretus; infit
densa telorum volitare grando;
mox sonant enses, truciorque saevit
cominus ira.

Milvium sentis trepidare pontem,
quem graves calcant pedites, equorum
quem premunt turmae; rubet a profuso
sanguine Tibris.

(1) Crucis salutiferae triumphi opportune celebrantur hoc an. MCCCCXIII, revoluto nempe saeculo XVI, ex quo Constantinus Magnus Christiano cultui plenam dedit libertatem, postquam Romae ad pontem Milvium, explicato Labari vexillo, Cruce et monogrammate Christi insigni, Maxentium tyrannum devicerat.

(2) *Gen.* III, 4.

(3) *Num.* XXI, 9. — Cfr. EVANG. IOAN. III, 14.

(4) *Num.* XX, 11.

(5) *Exod.* XV, 25.

(6) Evangelistae passim.

(7) Andreas Apostolus, visa cruce cui affigendus erat, in haec flammantia verba erupit: « O bona Crux... diu desiderata, sollicite amata... accipe me et redde me Magistro meo ». *(Offic. diei* XXX *Nov.)*

(8) Nemo ignorat, quae Eusebius Caesariensis (in sua *Vita Constantini*, c. XXXVIII, etc.) refert de radiante in caelis Cruce, quam imperator sub horis meridianis vidisse se testatus est, cum hac inscriptione: « In hoc vince ». Quam ad formam Labarum conficiendum esse iussit.

Heu tibi! cui flos cecidit cohortum;
terga verterunt reliqui; fugamque
ipse molitus, fluvii tumentis
praeda perîsti.

Crux io victrix! nec habenda posthac
poena servilis; (1) *sed honore praestans*
stemma, quo regum, decorata gemmis,
sceptra nitebunt.

En tibi surgunt, Helena iubente,
templa turritis speciosa tectis,
unde sublimis tua (dux viarum)
emicat hasta. (2)

Aedibus sacris operitur ultro
occidens tellus oriensque; cunctas
una sed vincit tua Golgothaei
verticis Ara.

Omnis huc orbis, pietate tractus,
confluit: Paulam sequitur Quiritem
Dalmatûm Doctor; (3) *peregrina monstrat*
Silvia calles. (4)

Huc volat, Persis domitis, triumphans
Bosphori princeps, humerisque gaudet
te suis, mundi pretium redempti,
ferre receptam. (5)

Advolat, terror trucis Islamitae
sub Crucis signo Godefridus, (6) *et qui*
a LEONINO meruit vocari
CORDE Britannus. (7)

Mitis accurrit Ludovicus, ipsis
hostibus carus; (8) *Superûmque flagrans*
igne Franciscus, vigil ad Sionis
l'mina custos. (9)

Huc et adspirat pia mens Columbi,
ferre qui legem Crucis irrepertas
ardet in terras, Solymamque regi
reddere Christo. (10)

Pergit huc aetas properare nostra;
quaeque vectores pia fert carina,
instruit proram Cruce, Davidisque
personat hymnis. (11)

Grande vexillum Crucis! ut bicornem
saepe tu Lunam Mahumetis, utque
mille sub formis inimica quaevis
signa fugasti:

sic novos hostes preme, christiana
stirpe qui nati, vetus exuerunt
nomen, ac in te iaciunt, furentes
irrita tela.

Conteres ictu miseros supremo,
qua die, fulgens Labarum, praeibis
Iudici Christo: pavor impiorum,
gaudia iustis. (12)

FRANC. XAV. REUSS.

(1) Constantinus M. legem tulit; ne deinceps Crux in suppliciis sontium adhiberetur.
(2) Unum ex his templis fuit Sessorianum in Urbe, quod vulgo appellatur a Cruce Hierosolymitana.
(3) Paula, nobilis matrona Romana, pietatis causa, Bethlehemum secessit, ubi a. CCCCIV sancte obiit. Ibidem diu vixit et vita excessit eius Magister et Ecclesiae Doctor S. Hieronymus, natione Dalmata.
(4) Silvia, monialis Aquitana, sub finem saec. IV celeberrimam suam peregit et conscripsit «Peregrinationem ad Loca Sancta,» unde ei agnomen «Peregrina».
(5) Heraclius, imperator Byzantinus, cum Persas devicisset raptamque ab eis Crucem Christi recuperasset, sacrum Lignum a. DCXIX suis humeris in templum Golgothaeum reportavit.
(6) Godefridus, dux Bullionen., sub fin. saec. XI.
(7) Richardus a Corde Leonis, rex Angliae, saec. XII.
(8) S. Ludovicus IX, rex Galliae, saec. XIII.
(9) Eodem saec., S. Franciscus Assisinas haud veritus est Sultanum adire, a quo clementer est exceptus. Ex eo tempore, Sodalibus Franciscanis custodia obtigit Locorum Sanctorum in Palaestina.
(10) Christophoro Columbo in votis erat, opes Novi Orbis in recuperandam Terram Sanctam impendere.
(11) Singulis annis, nec semel, huiusmodi naves iter sacrum suscipiunt.
(12) MATTH. XXIV, 30.

DE BELLO

Optime Tullius in suo *De Officiis:* «In republica maxime conservanda sunt iura belli. Nam quum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, quumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore». Hoc est scilicet: disceptare de iure suo per rationes utrinque propositas, proprium est hominis, qua «animalis rationalis»; disceptare autem per violentiam tantum, est proprium hominis ut «animalis» simpliciter, quidquid ceterum effutiant in contrarium nonnulli falsi nominis philosophi, vel etiam homines rei militari unice addicti, seu quasi ad unum determinati. Isti, inquam, etsi quandoque sese ut ceteris cultiores iactitent, barbarorum ferocissimi tamen remanent, qui iustitiae, veritati, iuramentis valedicunt, ubi de appetitu satiando agitur, asserentes, absque pudore ullo, vim praestare iuri, seu violentiae soli iura aliqua competere.

Secus se doctrina christiana habet.

Bellum est congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios, in quo differt a duello quod est congressio eadem unius contra unum.

Quae congressio fit sive iniuriam inferendam propulsandi causa, sive illatam vindicandi: unde bellum vel defensivum vel offensivum ex duplici capite audit.

In quo advertendum est bellum quodcumque etiam iustum, etsi ad bonum tendat, scilicet pacem, seu ordinem restituendum, nonnullaque indirecte bona ex eodem habeantur, ut, puta, animorum fortitudo, constantia, aliaque huiusmodi; atrocia tamen mala secum inferre, nempe homicidia, ruinas, odia, miserias innumeras, morum barbariem, insolentias triumphantium

ineptias plaudentium, conscientiae perversionem, aliaque huiusmodi sexcenta.

De hisce Vergilius (*Georg.* lib. I):

Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,
Tam multae scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, squallent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: saevit toto mars impius orbe,
Ut cum carceribus sese effudere quadrigae
Addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Ita eum Marone illi omnes qui inter clamores triumphales, eosdemque plerumque iniustos, audiunt et planetus matrum, et miserias familiarum, et gentis inedia periturae.

Horum malorum causa nonnulli, et veteres et nostrae aetatis homines, bellum quodcumque iniustum volunt atque diris devovent.

Id oppido certum est, bellum propter se susceptum aut declaratum, vel etiam superbiae, praedae, aut odii causa, sceleris damnandum esse. Neque male in carcerem detrudendi forent, aut fune plectendi, qua publici malefactores, omnes quotquot effutiunt bellum esse humanae naturae per se consonum et utile, quum tamen non sit nisi belluarum naturae conforme. Ubi nempe hominem definis «animal rationale» esse, significas ipsum ex indole et natura propria rationi, conscientiae, aequitati, honori cedere; ubi autem cedere vis soli violentiae, eum facis «animal irrationale».

Id e contra certum est, societatem non minus quam individuum hominem appetere natura et debito pacem, quae sit «tranquillitas ordinis», quaque procuretur unitas voluntatum individualium in eumdem finem conspirantium; idque esse bonum commune. Itaque pax appetenda est tum domi, tum in bello, neque bellum indicendum est nisi ut pax, seu tranquillitas ordinis vel in tuto ponatur, vel laesa vindicetur et instauretur.

Hinc, rursus, ubi laesa fuere societatis iura, iudice Terentio: «Omnia prius experiri verbis quam armis sapientem decet».

Laudandi eximie sunt propterea homines illi, qui vel tribunal inter nationes instituere tentarunt, vel procurant ut populorum Rectores colloquia de iuribus suis habeant, priusquam ad armorum sortem recurratur. Hi sane sunt de genere humano benemerentes proclamandi; et quidem eo solemnius, quo huiusmodi colloquia vel tribunalis decisa magis ad iustitiam accedent quam arma et armorum fortuna, quum pateat ex logica et historia victoriam vel eladem non esse plerumque iuxta dictamina iustitiae, sed e contra iniustitiam novam priori additam, atque «grande latrocinium», ut ait Augustinus, novis facinoribus auctum.

Evanuit utique illa superstitio qua vulgus opinabatur «duella iudiciaria» non resolvi nisi iuste, eo quod scilicet omnis victoria pro iure staret; sed vero vehementius aetate hac nostra ea saevit de bello ipso, quasi non nisi iusti vincerent, iniusti vincerentur. Haec est barbaries iurisque naturalis solemnissima offensio.

Attamen negandum nullatenus est, ubi graviter bonum societatis laeditur, vel in periculum adducitur, nec potest rationibus restitutio obtineri, vel salvatio haberi, tunc, quasi inter duo mala minus eligendo, ad arma recurri posse; in quo discrimine bellum quasi pars iustitiae vindicativae evadit.

Quod egregie, more suo, explanat Angelicus: «Ad hoc quod aliquod bellum sit iustum, tria requiruntur:

«Prima quidem auctoritas principis, cuius mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest ius suum in iudicio superiori prosequi. Similiter etiam quia convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Quum autem cura reipublicae commissa sit principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis vel regni, seu provinciae sibi subditae tueri. Et sicut licite defendunt eam materiali gladio, contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt, secundum illud Apostoli ad *Rom.* 13: — Non sine causa gladium portat; minister enim Dei est, vindex in ira ei qui male agit, — ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus. Unde et principibus dicitur in *Ps.* 81: Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.— Unde Augustinus dicit *Contra Faustum,* lib. 23, cap. 3: Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc posuit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit.

«Secundo requiritur causa iusta, ut scilicet illi qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur. Unde Augustinus dicit in libro 83, *Super Iosue,* (qu. 10) iusta bella ea diffiniri quae uleiscuntur iniurias, si gens vel civitas plectenda est, quae vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam oblatum est.

Tertio requiritur ut sit intentio bellantium recta; qua scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Unde Augustinus in libro *De verbis Domini:* Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non sunt quae non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, et boni subleventur. — Potest autem contingere ut si sit legitima auctoritas indicentis bellum, et causa iusta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Augustinus, in libro *Contra Faustum,* cap. 74: Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus et implacabilis animus, feritas debellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, haec sunt quae in bellis iure culpantur. (2 2.ae q. 40, a. 1)».

Id quod dixit sanctus Doctor, nempe bellum ab auctoritate suprema indicendum esse, intellige de utroque bello, offensivo scilicet et defensivo, cum hac tamen

differentia, illud non nisi auctoritate praedicta indici posse; circa istud autem, in casu invasionis repentinae, ab omnibus, praesumpta potestatis supremae licentia, resisti posse, atque vim vi repelli.

Causa autem iusta est imprimis causa gravis, v. gr. iniuria gravis illata, recuperatio provinciae aut alicuius gravis debiti, auxilium hosti iniusto delatum, violatio pacti gravis, denegatio tributi iusti, etc. Si quis autem iniuriam levem in se et in circumstantiis passus per bellum castigare tentaret, ille sane contra honestatem pariter ageret.

Causa iterum iusta erit, quum damnum illatum non possit aliter quam per bellum reparari: unde nemo potest bellum indicere nisi prius ratione rem accommodare frustra tentaverit.

Id ceterum nota, bellum etsi in se non possit esse utrinque iustum, esse posse tamen iustum ab utraque parte in opinione, propter bonam fidem utrinque habitam.

Causa iusta demum erit, quae tum certa tum certo gravis sit: ubi autem, iuxta optimatium aestimationem, dubia agnoscatur, bellum, quod est malum adeo grave, non potest indici, nisi adversarius compensationem pro rata dubii offerre noluerit.

Sed vero, proh dolor! haec civitatis christianae principia inter Christianos dimittuntur, nec legitur de ullo principe, excepto uno sancto rege Franciae Ludovico IX, qui conscientiae examen de hisce instituerit.

Adverte, populos et principes qui armis suis unice fidunt, armis demum quandoque cessuros; tutius autem stare qui principiis iustitiae et honestatis nituntur. Id statuerat Tullius: «Armis Italia non potest vinci, nec Graecia disciplinis. (*Rhetor.* lib. IV)». Quod si erravit de Italia armis nunquam vincenda; recte dixit de Graecia in disciplinis invincibili.

Id meminerint aetatis huius nostrae homines, qui dum simul praeesse ceteris cupiunt, non nisi armis suis, more barbarorum, fidunt; illos grandiores atque illustriores perpetuo fore populos, qui saniores rectioresque rationis normas in suo aliorumque tuendo iure observaverint, praedicaverint, in praxim deduxerint.

Ceteri autem non nisi vel intellectu, vel moribus infimi apud historiam habebuntur.

I. I. B.

EX BATAVIA.

De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXII.

Accepimus, et libenter edimus:

Die x huius mens. Martii in conventu Ordinis litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicae relatum est de XXXVIII carminibus, quae Amstelodamum missa erant ut de praemio Hoeufftiano anni MCMXII certarent. Horum aureo numismate dignum iudicatum est carmen inscriptum *Amaryllis*, cuius auctor apparuit *Raphaël Carrozzari* Mediolanensis. Praeterea prelo dabuntur septem carmina praestantissima, si poetae ante Kalendas Iunias veniam dederint scidulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Vox patriae, Aëriae voces, Duo insontes, Alma quies, Titanicae interitus, Alumnus Virgilii, In funere Ioannis Pascoli.*

Amstelodami, d. XI m. Martii MCMXIII.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab Actis.

Scimus praelaudati carminis, cui titulus *Duo insontes*, auctorem esse socium nostrum clarissimum Franciscum Sofia Alessio; cui igitur gratulamur ex animo. V. U.

FRIDERICUS OZANAM

Clarissimi huius viri, qui de bonis litteris, de historia, de philosophia, praesertim vero de religione et christiana caritate eximie meritus est, agitur hoc anno, per universum fere orbem, saecularis natalium commemoratio. Ortus enim est anno MDCCCXIII Mediolani, ubi et aetatem infantilem transegit. Quum tamen pater eius, qui medicum exercebat artem, Lugdunum demigrasset, ibidem Fridericus puer et adolescens litteris est institutus. Sexdecim annos natus, tabellioni se discipulum tradidit; quo eodem tempore, multam dedit operam variis linguis addiscendis, nempe italicae, anglicae, germanicae, immo etiam hebraicae. Identidem scripta quoque edebat, evulgata sive in Commentariis periodicis, sive in libellis separatis; cuiusmodi est eius opusculum: *Réflexions sur la doctrine de Saint-Simon.*

Annum agens decimum nonum, Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi studia iuridica ulterius prosequeretur gradusque academicos acquireret. Et re quidem vera, elapso quadriennio, iurium doctor, novumque post biennium, doctor bonarum litterarum renuntiatus est; summopere laudatus ob duplicem thesim, quarum altera, latine scripta, agebat *De frequenti, apud veteres poetas, heroum ad inferos descensu;* altera hunc praeferebat titulum: *Dante et la philosophie catholique au 13e siècle:* quod postremum argumentum auctor deinde, copiosius tractatum, in iustum volumen ampliavit.

Mox Lugdunum reversus, in illa Academia ius commercii docuit. Quum tamen anno MDCCCXL vacasset in Academia litteraria Parisiensi cathedra «professoris aggregati», Fridericus, indicto certamine, princeps inter aemulos declaratus, munus illud obtinuit; nec multo post, defuncto in Academia Sorbonensi doctore titulari litterarum exterarum, in eius locum cooptari meruit: primus quidem a quatuor decenniis, qui in ea studiorum universitate palam se magistrum catholicum prodere non vereretur.

Neque id mirum fuit in nostro, utpote qui a prima aetate innocentissime vixisset fidemque catholicam nun-

quam occultasset: adeo ut, etiamtum discipulus, magistros, qui veritates christianas aut Romanam Ecclesiam offenderent, confutare non dubitaret, sive verbis coram prolatis, sive scriptis in docentium cathedra repositis. Praelectiones autem suas summo studio praeparabat, praemissa etiam domi oratione ad Deum, sapientiae fontem.

Anno MDCCCXLVIII, exorta seditione, qua Ludovicus Philippus rex e throno est deiectus atque omnia sunt perturbata, civem se fortem Fridericus exhibuit, auctorque fuit Archiepiscopo ut pacifer inter bellantes progrederetur. Restituta pace, ad praelectiones suas rediit; quas tamen anno MDCCCLII praetermittere coactus est, ob valetudinem tot laboribus labefactatam.

Neque aquae salutares, quas adivit inter Pyrenaeos montes, neque caelum Italicum depellere morbum potuerunt. Pisis, ubi aliquamdiu constitit, testamentum suum scripsit, mense Aprili a. MDCCCLIII; Massiliae vero, morientium sacramentis pie susceptis, spiritum Deo reddidit, die VIII Septembris eiusdem anni. Corpus eius Parisios delatum, quiescit prope studiosam illam pubem, quam tantopere dilexerat, accensis eorum animis non minus optimae cuiusque doctrinae studio, quam christianarum virtutum aemulatione.

Ozanamii opera omnia, amicorum manu collecta, primum typis excusa sunt Parisiis a. MDCCCLV, octo voluminibus comprehensa; ac decennio post, auctiora prodierunt, in volumina undecim distributa; quorum plura in alias etiam linguas conversa sunt.

Horum praecipua numerantur: *La civilisation au 5e siècle. — Les Germains avant le christianisme. — Les poètes franciscains en Italie au 13e siècle. — Documents inédits pour servir à l'histoire littéraire de l'Italie. — Etudes germaniques pour servir à l'histoire des Francs*, etc. In his scriptis omnibus, insigni eruditione abundantibus styloque puro et eleganti exaratis, totus est auctor ut demonstret, quam efficaciter, per saeculorum decursus, Ecclesia catholica in recte formandis expoliendisque populorum moribus, in fovendis artibus bonisque litteris et doctrinis elaborare non destiterit, adeoque de civilitate humani generis meritissima sit.

Omnium tamen laudum, quae Ozanamii nomini inhaerent, haec potissima est, quod admirabilem instituit societatem, sub vulgato nomine *Conferentiarum S. Vincentii a Paulo* latissime propagatam. Adscitis enim sibi sociis aliquot, qui eosdem atque ipse sensus fovebant, apostolatui verbi et calami addere voluit apostolatum caritatis, quo nihil efficacius est, ad mentes etiam rebelles Christo lucrandas. Humilia fuerunt huius instituti exordia, uti fieri solet in omni re Deo placita. Paulatim tamen auctus est sociorum numerus, aucta pauperum multitudo, quibus subsidia tribuerentur. Parisiorum finibus egressa, benemerita haec Societas divulgata est in reliquas Galliae urbes; moxque in alias, non solum Europae, sed orbis universi regiones est dilatata: adeo ut in praesenti fere octo millia stationum complectatur, et singulis annis in egenos eroget libellarum circiter centies quinquagies centena millia (15.000,000). Quae res eo mirabilior est, quod collectae stipes generatim non a ditissimis hominibus proveniunt, sed plerumque ab iis qui arcta, aut certe non tam ampla, fortuna utuntur: quod indicio est, non humana, sed divina providentia hasce *Conferentias* ortas esse atque inniti.

Aequum igitur erat, ut tanti viri, qui in conditione laicali existens, tam eximia sanctitatis exempla praebuit, brevis saltem commemoratio et in hoc nostro fieret Commentario.

R. F.

DE PILARI LUDO

QUI VULGO APPELLATUR "GOLF„

Qui olim pollicitus sum de pilarum ludo « Golf » vulgo nuncupato me in Voce Urbis scripturum, de argumenti difficultate semper memor, nunc tandem, insufficienter licet, hoc fungi officio aggredior,

Perantiquus apud Scotos est hic ludus; nec desunt qui eum apud Scotos ortum esse omnino negent, quorum sententia quodammodo firmatur tabulis in continenti repertis, quae hunc aut huiusmodi ludum exhibent. Asserunt quidam eum originem traxisse e Batavia, cuius terrae configuratio esse aptissima ad eum gerendum videtur. (1) Nihilominus quum Batavi eius obliti essent, Scoti eum sedule colebant et rursus in Bataviam induxerunt, ut in plerasque Europae et Americae partes, ubi Scoti « peregrini more suo » vitam forte degunt.

Nominis ipsius « Golf » aliorumque verborum ad eum pertinentium derivatio est incerta, ne dicam ignota. Modo autem nec eius historiam nec verborum derivationem investigo; id unum adnotans « Golf », nihil aliud quam « clavam » fortasse significare; aut potius « clavem »; in similitudinem scilicet « aduncae clavis » illius ad trochum agendum adhibitae; de qua Horatius (*Carm.* 3, 24, 57), Propertius (3, 14, 16) et Ovidius (*Art. amat.* 3, 383). Verbum fortasse utrumque e radice communi promanavit.

Pro ludo hoc, qui sub dio semper gerendus est, nos habere oportet pilam duram clavulasque, quarum illa, ex galbano indico partim facta, magnitudine ovi gallinae — modo circularis — colore est alba, quo facilius in herba conspiciatur; hae baculorum conversorum persimiles sunt, quorum capita ex ligno, aere, ferro ad pilam variis conditionibus locisque feriendam perite confecta sunt.

Elementa quidem seu principia ludi satis pervia sunt intellectui. Consistunt enim in pila agenda e carceribus ad metam quamdam signo notatam, ubi est cyathus terrae insertus, quemque in cyathum clavularum ictibus pila agenda est.

(1) Hae tabulae decimi quinti saeculi ad finem referuntur. Antiquissima mentio huius ludi in Scotia anno MCCCCLVII occurrit.

Duobus ex lusoribus, quorum uterque suam ipsius pilam sequitur, qui ictibus paucissimis hoc perficit, victoriam a prima cursus parte reportat. Sed cursus insuete unam tantum metam habet: vulgo plures, vel ad duodeviginti, quum campus offeratur idoneus.



DESCRIPTIO CAMPI AD «GOLF» LUDUM AGENDUM. (Nⁱ 1, 2, 3, 4..... 18 metas indicant, seu cyathorum loca; alii, scilicet 250....300, etc. intervalla inter metas, Anglicis virgis, vulgo YARDS computata. — Ad tertiam supra decimam metam efficiendi huius campi, pilae cursus cursum intercidit metae decimae, quod vero imitandum non est.).

Itaque meta prima fit locus carceribus secundis, unde ad alteram progrediatur. Sic prorsus itur ad maxime longinquam, sicque retrorsum, devio paulo itinere, usque ad ultimam, quae prope primos omnium carceres stat. Qui ad plurimas metas seu cyathos victor evaserit, praemium feret.

Hunc ludum, hercle, non multum difficilem esse dixeris: sed mature nimis, quia qualis sit loci natura, per quem pila agi oporteat, nondum cognovisti. Loci enim omnium optimi sunt tractus terrae arenaceae et aridae praeter oras maritimas iacentes, quales in Scotia habemus apud Sancti Andreae urbem et Tain et Dornoch; quamvis in regionibus interioribus etiam cursus bonos fieri posse satis constet. Praeter oras maritimas autem, terra inculta longiores tractus offert ad cursus ludi faciendos, quorum ad quinque millia passuum plus minus quidam pertinent. Tumulis etiam abundant arenae vento cumulatae, in quibus gramina brevia cristulae iuncorum, genistae spinosae parce florent. Cuniculi etiam et cavernae ex arena hic et illic dehiscunt. Rivulus praeterea amoenus et satis profundus fortasse per terram transfluit. Hic est cursus; haec pericula. Haud dubium quin medio in cursu sint spatia aperta et aequa, quo lusor quisque artis peritus tentat, ut pila iaceat quam optime possit. Atqui si in rivulum, si in cavernam incidat, eheu! dicendum est: «Facilis descensus.....».

Sed remeare gradum! Nam gradus est remeandus, nec permittitur carceres inter et metas manu ut tangatur pila, nisi perraro ac poena semper soluta; quia lex decrevit eam semper esse feriendam, ferendam nunquam.

Itaque, si certamen non times, in arenam descendamus. Pilam habes et clavulas. Itemque ego. Hae variis formis et «callidis iuncturis» scienter sunt constructae, quaedam ad pilam longe, quaedam in altum abigendam, ut occasio capiatur aut res adversae evincantur. Hi pueri qui adsunt asseclae nostri pcras clavularum portabunt.

Imprimis, manipulo arenae humidae e cistella extracto, quae in hanc rem praestat carceribus, parvulum facio tumulum, pyramidis forma, cui pilam impono.

De Alexandro Magno dicitur: «Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis»; logica ratione pyramidula meo orbiculo sufficiet.

Magni autem momenti in hoc ludo est ictus primus. Longissima igitur clavula utor, quae «propulsatoria» vocatur. Hanc, ad summum, sinistra teneo manu leviter, firmiter dextra paulo inferius posita, et tali modo «in statione manus et membra pugnae paravi», ut quum pilam petiverim, nec late nec in terra currat, nec in altum nimis ascendat, sed volatu humiliori longum iter conficiat. Tramite quidem noto «sit oculus ad orbem» est consilium sapientum.

Clavulam ergo, capite eius aequo pone pilam habito, paulisper vacillo, ut pedes meos esse firmos omniaque libera et aequa sentiam; («pilam alloqui» id vulgo dicitur); eamque extollo adeo ut manus prope humerum dextrum sint. Exinde tota curo vi ut descendat quasi circulum, cuius in peripheria punctum sit media pila velociter mihi describendum; eoque confecto, manus in humero sinistro, clavula in tergo ni-

FERNIE, lusorum «Golf» in Scotia princeps an. 1911, «pilam alloquens».

tuntur. Hoc fieri debet ita ut corpus et membra positionem assumant elegantem et clavigeri huiusmodi peculiarem. Sed «oculos sit ad pilam»...

En ! longe pervolans transit rivulum aliaque pericula, donec tandem loco aperto et plano incolumis quiescit.

— Bene iacet, certe ! Tu-ne nunc tentabis, amice mi ? Nonne semel saltem pilam propellere audeas ? Audio

FERNIE pilam propulsurus.

te dicentem tironem esse ; timere ne risum asseclarum et adsistentium moveas ; alias privatim te prius in hoc ludo exercere velle, quam manus publico cursui committere.

Recte quidem. Sequaris igitur mecum pilam, quam in parva terrae depressione invenimus. Sed ne memoria decidat : « Noli me tangere manu » legem esse. Ferream hic clavulam propulsatoria rigidiorem e pera deligo, et genibus meis paulo flexis, circulari modo iterum pilam percutere conor. Ah ! eam vere expuli, caespite e terra fosso ; quod cynicum risum tollit asseclarum.

— Num putas - inquiunt - Scotiam iam satis a priscis gigantibus effossam, ut tu nunc talem cicatricem facias ?

Nobis vero qui sale et facetiis, neque iis asperis, minime indignamur, immo laeto animo perferimus, respondere iuvat : « Adiuva me, sis, hunc caespitem reponere, ne ad instar sit Horatii parmulae « non bene relicta ».

Caespite tandem reposito et represso, pilam nunc invenimus ad imam herbae cristulam prope longam cavernam arenaceam. Hîc vero non bene iacet. Locus apertus quidem haud procul est ; sed si pilam vehementer percusserim, locum apertum praeteribit ; sin secus, in cavernam incidet.

Clavulam itaque breviorem — (« spatulam » vocant) — capio. Per quam, ictu dato, pila cavernam revera transivit,..... sed in clivo marginis paulatim mansit tremula ; tandem deorsum in cavernam praepostere ruit.....

Nescio, lector carissime, an claviger ipse sis. Sin minus, fabulam de Sisypho saltem audivisti, in Tartaris nequitias expiantis saxum volvendo ad summum montem ; quod simul ac fastigium attigit, praeceps ad imum redit. Sic de illo fabulantur : atqui claviger imperitus iste Sisypho comparandus, cui, iuxta ludi leges, non numerantur ictus !

Si tamen solamen aliquod inde repetere volueris, cogita huiusmodi poenam, non aliter ac te et Sisyphum illum, ipsos quoque reges nostrae aetatis mulctari posse.

Rex enim Britannorum, eiusque administri, tam res gerentes quam emeriti, sunt clavigeri, qui cavernas non semper vitare sciunt. Quid ? Nonne senes etiam octogenarios et feminas adolescentes pilam in cursu sequi solitas videmus, qui ambulationem sub dio corporisque lene exercitium valetudini suae plurimum conferre affirmant ? Sed « Golf » ludus iuvenes bonos mores quoque docet ; quamvis enim certantes *golfinis* iocis frequentioribus gaudeant, nemo nisi stultus, cito vitandus, malis utitur verbis. Esse iustum erga adversarios,

FERNIE post ictum pilae datum.

vicissitudines fortunae risusque asseclarum aequo animo tolerare, nec nimis rebus secundis efferri : haec monet ludus ; haec clavigero discenda omnino.

Edderton in Scotia.

DONALDUS MACRAE.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. Dni. Nostrii Pii PP. X Litterae Apostolicae, quibus, in memoriam pacis a Constantino Magno Imperatore Christi Ecclesiae datae, Universale Iubilaeum indicitur.

PIUS PP. X.

Universis Christifidelibus has Nostras litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem.

Magni faustique eventus commemoratio, quo sedecim abhinc saeculis pax tandem Ecclesiae concessa fuit, dum omnes catholicas gentes summa afficit laetitia, eisque pietatis opera suadet, Nos movet imprimis ad caelestium munerum thesauros aperiendos, ut ex huiusmodi solemnitate lecti uberesque fructus in Domino percipiantur. Par enim est, idemque peropportunum videtur, Edictum a Constantino Magno Imperatore Mediolani promulgatum concelebrare, quod prope secutum est victoriam contra Maxentium, glorioso Crucis vexillo partam, et saevis in Christianos vexationibus finem faciens, illos in eam libertatem vindicavit, cuius pretium divini Redemptoris et Martyrum sanguis fuit. Tum demum militans Ecclesia primum ex iis triumphis egit, qui qualibet eius aetate omnigenas insectationes perpetuo subsequuntur, atque ex eo die potiora semper in humani generis societatem contulit beneficia. Nam homines superstitioso idolorum cultu paulatim relicto, tum legibus, tum moribus institutisque christianam vitae rationem magis ac magis amplexi sunt, atque ita factum est, ut iustitia simul et caritas in terris florerent. Consentaneum igitur esse ducimus, hac felici occasione, qua tam egregium factum recolitur, Deum, Virginem Eius Genitricem et reliquos Caelites, Apostolos praesertim, etiam atque etiam adprecari, ut populi universi decus et honorem Ecclesiae instaurantes, ad tantae matris gremium confugiant, errores, quibus inconsulti fidei inimici eius claritati tenebras obducere nituntur, pro viribus depellant, Romanum Pontificem summa observantia colant, in catholica denique religione omnium rerum praesidium et columen fidenti animo intueantur. Tum sperare licebit, homines oculis ad Crucem denuo fixis, in hoc salutari signo et Christiani nominis osores, et effraenatas cordis cupiditates omnino devicturos. Verum quo humiles preces, in catholico orbe hac saeculari sollemnitate adhibendae, spirituali fidelium bono satius cumulentur, eas Plenaria Indulgentia in forma Iubilaei locupletandas censuimus, omnes Ecclesiae filios vehementer hortantes, ut Nostris suas quoque supplicationes pietatisque officia coniungant, et hac eis oblata Iubilaei gratia in animorum emolumentum pariter atque in religionis utilitatem quam maxime fruantur. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi solvendique potestate, quae Nobis licet immerentibus divinitus data fuit, atque auditis etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Inquisitoribus Generalibus, praesentium tenore omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus vel in hac alma Urbe Nostra degentibus, vel advenientibus ad eam, qui hoc vertente anno a Dominica in Albis, ex qua saecularia sollemnia in Ecclesiae pacis memoriam incipient, usque ad festivitatem Deiparae Virginis ab Immaculata Conceptione inclusive, Basilicas S. Ioannis in Laterano, S. Petri Principis Apostolorum ac S. Pauli extra muros bis singulas adeant, et ibi aliquandiu pro Ecclesiae catholicae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro haeresum extirpatione, et omnium errantium conversione, pro Christianorum Principum concordia et totius fidelium populi pace et unitate secundum mentem Nostram preces ad Deum effundant, ac semel intra huiusmodi temporis spatium, admissis rite expiatis, caelesti convivio se reficiant, atque insuper eleemosynam pro sua quisque facultate vel in egenos, vel, si malint, ad pias caussas erogent, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam ad instar Iubilaei generalis concedimus et impertimus. Iis vero, qui ad Urbem convenire nequeant, Plenariam eandem largimur Indulgentiam, dummodo sui loci templum vel templa, ab Ordinario semel tantum designanda, pari temporis intervallo, omnino sexies visitent, et alia pietatis opera, quae superius diximus, integre perficiant. Veniam praeterea facimus, ut haec Plenaria Indulgentia etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat. Concedimus autem, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, operibus suprascriptis peractis, et visitata sexies ecclesia cathedrali vel maiori aut parochiali loci eorum domicilii seu stationis, eandem Indulgentiam consequi licite queant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque sive laicis, sive ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, in carcere vel in captivitate exsistentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quovis impedimento detentis, qui memorata opera, vel aliqua ex iis praestare nequeant, ut illa Confessarius in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eam nondum admissi fuerint, concedimus item atque indulgemus. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus tum laicis, tum ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem facimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemlibet presbyterum Confessarium saecularem seu regularem ex actu approbatis, et hac facultate fas sit uti etiam monialibus, novitiis, aliisque mulieribus intra claustra degentibus, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus. Talis Confessarius eosdem vel easdem intra dictum

temporis spatium ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes animo praesens Iubilaeum consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis, seu Sedi Apostolicae etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis, et si de haeresi agatur, abiuratis prius et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (exceptis semper castitatis, religionis et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in sacris Ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum, et ad superiorum assecutionem dumtaxat contracta, dispensare possit ac valeat. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occulta aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV decessore Nostro, quae incipit «Sacramentum Poenitentiae» neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede vel aliquo Praelato seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum, iudicio Confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Iubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt. — Quapropter in virtute sanctae obedientiae praesentium tenore districte praecipimus, atque mandamus omnibus Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel, ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut quum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa per suas ecclesias ac dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, vel publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, ecclesiam seu ecclesias visitandas, ut supra, designent. — Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio vel specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; nec non regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressos, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut denique praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII Martii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno X.

De speciali mandato Ssmi.

L. † S.

R. Card. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione S. Officii. *(Sect. de Indulgentiis).*

Dubia circa Missas tricenarias Gregorianas et altaria item Gregoriana.

I. — Utrum sit necessarium quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione? — *Resp.* Affirmative, prout in decisis a S. Congregatione Indulgentiarum, d. XIV mens. Ianuarii MDCCCLXXXIX.

II. — Utrum in casu satisfaciat sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die Natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur? — *Resp.* Negative.

III. — Utrum idem sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam trigenariam? — *Resp.* Affirmative.

IV. — Utrum quis satisfaciat obligationi earundi trigenarium Gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem? — *Resp.* Negative.

V. — Utrum diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de requie a rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus trigenarii Gregoriani satisfaciendum? — *Resp.* Negative; poterit tamen laudabiliter legi, pietatis gratia erga defunctum, diebus quibus licet et decet.

VI. — Utrum altare S. Gregorii in Monte Coelio de Urbe sit vere ac proprie privilegiatum? — *Resp.* Affirmative, iuxta Reseriptum ex audientia SS. d. XVIII mens. Februarii MDCCLII.

VII. — Quaenam requirantur conditiones ad obtinendum privilegium Altaris Gregoriani «ad instar»? — *Resp.* Deinceps Altaria Gregoriana non esse concedenda.

VIII. — Utrum concedatur privilegium personale Altaris Gregoriani «ad instar»? — *Resp.* Negative.

IX. — Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan iam factis? — *Resp.* Habeantur ut merae concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati.

(Ex deer. d. XI mens. Decembris MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

Decretum circa Monialium et Sororum confessiones.

I. — Unicuique religiosae communitati tum Monialium tum Sororum, regulariter, unus dumtaxat detur Confessarius ordinarius: nisi ob magnum ipsarum numerum, vel aliam iustam causam, alterum vel plures dari oporteat.

II. — Confessarius ordinarius, regulariter, non ultra triennium in hoc munere permaneat. Episcopus tamen seu Ordinarius eum ad secundum, immo etiam ad tertium triennium confirmare poterit:

a) si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat; vel,

b) si maior Religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem Confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

III. — Pluries in anno, unicuique religiosae communitati detur Confessarius extraordinarius, ad quem omnes Religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant.

IV. — Unicuique domui religiosae aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos Religiosae in casibus particularibus, confessionis peragendae causa, facile vocare queant.

V. — Si qua Religiosa, ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem Confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus; qui tamen invigilabit ne ex hac concessione abusus irrepant: quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate.

VI. — Si Religiosarum domus Ordinario loci subiecta sit, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si vero Superiori regulari, hic Confessarios Ordinario loci praesentet, cuius est iisdem audiendi confessiones potestatem concedere.

VII. — Ad munus Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, sive specialis, deputari possunt sacerdotes, tum e Clero saeculari tum, de Superiorum licentia, e Clero regulari, dummodo tamen nullam habeant in easdem Religiosas in foro externo potestatem.

VIII. — Hi Confessarii, qui annos quadraginta expleverint oportet, morum integritate et prudentia emineant; at Ordinarius, iusta de causa, et onerata eius conscientia, ad hoc munus eligere poterit sacerdotes, qui nondum ea aetate sint, modo memoratis animi laudibus excellant.

IX. — Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, et, praeter casus in articulo 2 recensitos, rursus eligi ut ordinarius, in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius immediate ut ordinarius eligi potest.

X. — Confessarii omnes sive Monialium sive Sororum, caveant ne interno vel externo communitatis regimini sese immisceant.

XI. — Si qua Religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli Antistitae liceat, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre: quod si ita se gesserit, a proprio Ordinario moneatur; si iterum id ipsum peccaverit, ab eodem deponatur, audita tamen prius sacra Congregatione de Religiosis.

XII. — Omnes Religiosae de sociarum confessionibus nullo modo inter se colloquantur, neve eas sorores carpere audeant, quae apud alium, quam deputatum, confessionem peragant; secus ab Antistite vel ab Ordinario puniantur.

XIII. — Confessarii speciales, ad monasterium, seu domum religiosam vocati, si intelligant Religiosas nulla iusta causa vel necessitatis vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur praeterea omnes Religiosae, ut facultate sibi concessa specialem petendi Confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis sepositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

XIV. — Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu adprobatum. Antistita neque id prohibere, neque de ea re inquirere potest, ne indireete quidem; Religiosaeque nihil Antistitae suae referre tenentur.

XV. — Monialcs omnes aut Religiosae, quum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet Saeerdotem ad confessiones exeipiendas adprobatum arcesscre possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri.

XVI. — Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis, votorum cum solemnium, tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communitatibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi Instituta sint tantum dioeecsana. Obligat etiam eommunitates, quae in Praelati regularis iurisdietione sunt; qui nisi fidelem observantiam huius Deereti eurct, Episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

XVII. — Hoc Decretum Regulis et Constitutionibus uniuscuiusque religiosae familiae addendum erit, et publiee legendum lingua vulgari in Capitulo omnium Religiosarum, semel in anno.

(D. III mens. Februarii MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia de ceremoniis quibusdam servandis coram Augustissimo Sacramento, adsistente vel celebrante Episcopo.

I. — In solemni benedictione eum sanetissimo Eucharistiae Sacramento, quando episcopus assistit cappa indutus, et ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thuriferare SSmum. Sacramentum? — *Resp.* Affirmative, iuxta decretum n. 3035 Briocen., 21 Iulii 1855, ad 1.

II. — Si praedicta benedietio solcmnis detur post vesperas pontificales, presbyter assistens throno, debet genuflectere a dextris episeopi in infimo gradu altaris, eique ministrare incensum ae demum porrigere ostensorium pro benedietione impertienda? — *Resp.* Presbyter assistens aecedit ad episeopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem; mox loeum cedat diacono assistenti qui deinde ostensorium episcopo est porrecturus.

III. — Si aliquando contingat, ut episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito absque mitra? — *Resp.* Affirmative in casu: sed iuxta morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium et congruenter menti Cacremonialis Episcoporum, lib. I, e. 12, num. 8 et 9, episeopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram sanctissimo Sacramento publiee exposito.

(Ex decr. d. VIII mens. Februarii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Maximilianus Brenner doctor, Collegii Teutonici ad S. Mariae de Anima in Urbe rector nuper cooptatus; Vincentius Misuraca, a Secretis Apostolicae Legationis Washingtoniensis electus; De Caraman, Comes, eiusque uxor; Dessewffy, Comitissa; Lomer Gouin, doctor, Quebecensis civitatis administer primus; Friderica Isenburg, Princeps foemina; Florinda De Liedekerke, Comitissa; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, Pontificiae nobilium stipatorum cohorti praefectus, ascriptivorum militum agmen coram adducens; De Sanmarzano, Comitissa; Bentivoglio De Aragona, Marchio; Nani-Mocenico, Comes, eiusque uxor; Gonzales, Marchio; Paty du Clam, Tribunus militum.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit; scilicet: Cathedrali ecclesiae Novae Segobiae praefecit r. p. d. Petrum Iosephum Hurth, hactenus episcopum tit. Milopotamensem; tit. eccl. episc. Thasensi sacerdotem Emericum Bjelit, vicarium castrensem et canonicum eccl. cath. Magnovaradiensis ritus latini in Hungaria; cathedr. eccl. de Aguas Calientes r. p. d. Ignatium Valdaspino y Diaz, hactenus episcopum de Sonora; cath. eccl. Elphinensi sac. Bernardum Coyne, parochum loci vulgo Boyle et canonicum theologum Elphinensem; cath. eccl. Carolinopolitanae sac. Henricum O' Leary, parochum loci vulgo Bathurst in dioecesi Chatamensi; cath. eccl. Kearneyensi sac. Iacobum Albertum Duffy, rectorem ecclesiae cathedr. Cheyennensis et cancellarium episcopalis curiae eiusdem dioecesis; cathedr. eccl. Ebroicensi r. p. d. Ludovicum Ioannem Déchelette, hactenus episeopum tit. Hierapolitanum; tit. eccl. episc. Miletopolitanae sac. Alexium Charost, eanonicum eccl. metropolitanae Rhedonensis, ibique vicarium generalem, quem constituit auxiliarem revmi. archiepiscopi Cameracensis pro vicariatu generali Insulensi, recens constituto; cath. eccl. Piahunensi sac. Quintinum Rodrigues de Oliveira e Silva, presbyterum dioec. Fortalexiensis, ibidem parochum loci vulgo Orato.

Brevi autem apostolico r. d. Stephanus Larue, e Societate Missionariorum ad Afros nominatus est episcopus tit. Thuburbitanus et Vicarius Apostolicus novi vicariatus de Banguelo in Africa centrali.

— R. p. d. Dominicus Mannaioli, episc. tit. Pomarien.; r. d. Ioannes Prior, S. Romanae Rotae Auditor; r. d. Ubaldus Mannucci et r. p. Ildebrandus Hopfl O. S. B. in collegium Consultorum S. Congnis. Indieis adsciscuntur.

— R. p. d. Ioannes Oberti, episcopus Salutiarum, inter episcopos Pontificio solio adstantes adnumeratur.

— R. d. Vincentius Misuraca a secretis dicitur Apostolicae Legationis apud Civitates Foederatas Americae Septentrionalis.

— Purpuratus Pater Dominicus Ferrata, praefectus S. Congnis. Sacramentorum, qui XXIV Coetui Eucharistieo praeficiat, Melitae proxime habendo, deputatur, tamquam Pontificis Legatus.

Vita functi viri clariores.

Die XXII mens. Martii MCMXIII, Romae diutino morbo confectus placide quiescit in Domino Purpuratus Pater

Petrus Respighi, Cardinalis in Urbe Vicarius, vir pientissimus ac virtuti simillimus. Bononiae natus erat d. XXII mens. Septembris MDCCCXLIII; episc. Guastallen. creatus ann. MDCCCXCI; ad Metropolitanam Ferrariensem promotus ann. MDCCCXCVII; in Sacrum Senatum cooptatus an. MDCCCXCIX, annoque post Urbis Vicarius electus.

ANNALES

Balkanicum discrimen.

Alius iam pertransiit mensis, quum tamen illa pax, quae tam imminens videbatur, concludi nequiverit. Etenim cetera Europae gubernia, quae in eam tam bona voluntate conspirant, superioribus eventibus edocta, non prius Turcicae novae de sua intercessione rogationi assenserunt, quam hinc Turcarum administri inde Balkanici socii, non tantum rei definitionem omnem se ipsis tradere ultro profiterentur, sed suas cuiusque rationabiles in casu exspectationes exponerent. Quum vero Balkanicum foedus declarasset, se conflictus resolutionem magnarum Europae civitatum studio libenter committere, dummodo tamen nonnullae condiciones servarentur, quae non certe, et Turcico imperio, et ipsis magnis Europae civitatibus acceptabiles erant, responsum redigi oportuit, foederatis populis suadens, ut ab exaggeratis praetensionibus desisterent, praesertim de belli indemnitate, de finibus Bulgariae ad Midiam ac Rodosto producendis; de Scodra Montisnigri regno, de Aegei insulis Graeciae addicendis. Quin etiam, de Scodrae obsidione, tum Montisnigri tum Serbiae rex moniti sunt de suorum conatuum inutilitate, quum iam uno animo Scodrae possessio Albaniae civitati decreta fuerit. Quum denique Montisnigri gubernium huiusmodi monita spernere apparuerit atque in suo proposito instare, ipsis monitis additae minae.

Rebus ita sese volventibus, transegit inutiliter tempus, armorum furor minime remissus est, et Adrianopolis urbs tandem in deditionem concessit. Hic revera fuit totius belli hucusque acti militaris item ac politicus eventus maximus; quamquam nunc influxum valde sensibilem circa discriminis solutionem allaturus non erit: nemo enim dubitabat, quin illius urbis possessio Bulgaris concedenda foret; neque est credendum Serbos, qui suam operam in Adrianopolis obsidionem, nec eam levem, contulerunt, postulata sua hodie aucturos, quum quaestio omnis in id iampridem reducta fuerit, ut de una aut altera finium via trans Adrianopolim consensus haberetur.

Speramus fore ut in proximo numero pacem, tandiu tamque impense a cultis omnibus humanisque hominibus invocatam, enunciari tandem nobis liceat!

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** regali oratione nova sessio inaugurata, confirmataeque optimae Angliae cum ceteris populis rationes tum a rege ipso, tum deinceps ab Asquith et Churchill administris.

In **Gallia** quum senatus comitiorum reformationi a gubernio proposita suffragium negasset, Briand eiusque collegae ab officio se abdicarunt; novumque administrorum collegium suffectum, praeside Barthou.

In **Graecia** novus rex Constantinus coram populi legatis iuramentum fidelitatis regni legibus emisit.

In **Helvetia** conventio de Gothardo monte agitatur, legis rogationi, ab administris propositae, legatis natione Gallis acriter refragantibus.

In **Hungaria** lex de iure suffragii reformando tandem approbata.

In **Italia** disceptationes rationum accepti et expensi occasionem praebuerunt civilium et exterarum rerum administris firma proposita sua declarandi, magno legatorum plausu accepta.

PER ORBEM

Die II mens. Martii MCMXIII New-Castle ad urbem vaporitraha in curruum seriem electride actorum Tynemouth profectam vehementer occurrit: viatores quatuor supra triginta gravibus vulneribus afficiuntur.

— d. IV Bircucae, Tripolitaniae in oppido, thermarum Romanarum reliquiae insignes reperiuntur.

— d. V Woodrowius Wilson, novus in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis rei publicae praeses, in imperii possessionem Washingtonii immittitur.

— d. VI Petropoli in urbe capite, atque per Russicum Imperium omne, centenaria tertia dies, ex quo Romanoff genus summam obtinuit in Russia potestatem, sollemniter peragitur.

Ad Heligoland sinus decussans navis Germanica, cui nomen *York* per noctis tenebras navem quandam torpedinibus iaciendis offendit atque submergit. Classiarii centuriones quatuor, militesque sexaginta sex misere pereunt.

— d. VIII Baltimorensi in portu dynamitis pulveris acervi fortuito incenduntur, ingentiaque damna longe lateque circum perferunt.

— d. XII Guajimquilapa, Guatemalensis urbs, ingenti terrae motu pessumdatur.

— d. XIV Provencal, Luisianae civitatis urbs, turbine subvertitur.

— d. XVI Lawson, Australiensis doctor, austrinarum regionum explorator, terram a se nuper repertam, ad centesimum primum longitudinis gradum productam atque a Georgio V rege nuncupatam, in Angliae dictionem redigit.

— d. XVII Georgius I, Graecorum rex, dum in urbe Thessalonica, recens suae ditioni armis subiecta, tranquille deambulat, ab insano quodam Alexandro Schinas, homine socialistarum factioni addicto, manuballistulae ictu nefarie interimitur. Strenuus comploratusque vir, Gulielmus nomine, e Danorum regia stirpe natus erat Copenaghen d. XXIV mens. Decembris MDCCCXLV; ac d. XV mens. Octobris MDCCCLXVII uxorem duxerat Olgam Constantinowna Romanow-Holstein-Gottorp, Magnam Imperialis Russicae stirpis Ducissam, a qua liberos sex accepit. Quinquagesimum nunc regni annum agebat, a nationali Graecorum coetu, iuxta conventionem d. V mens. Iunii MDCCCLXIII Londini a Gallia, Anglia et Russia firmatam, ipsi oblati, quod magna cum omnium laude tenuit. Ei succedit Constantinus filius, natu maximus, Spartae Dux, Athenis ortus d. II mens. Augusti MDCCCLXVIII.

— d. XXI atrae procellae in nordica America, atque praecipue in Mississipi fluminis valle furunt, maxima tum rerum tum hominum ruina.

— d. XXII Bonilla, Honduras reipublicae praeses, Washingtonii obit.

— d. XXVI ex Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis regione Ohio nunciant, victimarum numerum ex saevientibus tempestatibus millia quinque illic superasse. Ad ruinam augendam inundationes sequuntur.

— d. XXIX Schleiz, in castro ad Gera, supremum obit diem Henricus XIV, Reuss Germanici principatus dominus, Coburgi natus d. XXVIII mens. Maii MDCCCXXXII.

— d. XXX Spetiae in sinu, adstante Italorum rege et regina, loricata nova Italicae classis navis, cui ab «Andrea Doria» nomen, in mare immittitur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Christophori M. Assumma, Ecclesiae Metrop. Rheg. Can. Decani, *Carmina*. — Edidit Antoninus Assumma frater; curavit Can. Franciscus Quattrone. — Rhegii Iulii, ex off. Francisci Morello, MCMXIII. (Ven. lib. 2,50).

I. B. Menghini. *Echo Liturgica* seu Decreta SS. Rituum Congregationis anno 1912 vulgata cum rerum indice ac notulis. — Romae edid. Desclée et Soc., MCMXIII (Ven. lib. 0,60).

Ordo Divini Officii recitandi Missaeque celebrandae iuxta novum kalendarium Cleri Romani, additis-variationibus pro kalend. Eccles. Universalis pro anno MCMXIV. — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Card. A. Capecelatro. *Le virtù cristiane*. Editio altera. — Indidem. (Ven. lib. 3).

A. Eymieu. *Il governo di sè stesso*. Saggio di psicologia pratica. Unica traduzione italiana approvata dall'autore sulla XXI edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 3,25).

A. Steedmann. *Piccola vita di Gesù per i fanciulli*. Traduzione dall'inglese di Maria Adelaide Colombo. — Indidem. (Ven. lib. 2).

AENIGMATA

I. (vulgo REBUS)

FlixE corulat IuRra

II.

Pellor et eiicior Ionas ut in aequora missus;
Saeva procellosi me tegit unda maris.
Me, quasi naufragio pereuntem, concutit aequor;
Tutor ego lignum, dum furit unda freti.
Distinctus longusque meo de vertice pendet
Multiplici textus stamine funis, aquis.
Est tenuata meos species quae contegit artus,
Quos tu Tyrrhenae Virginis ossa putes.
Hoc modo littoreis celatur corpus arenis;
In sabulis, strato corpore, pace fruor.
Nunc artus ego pigra meos compono sub umbris
Arboris expertis fructibus atque comis.
Spes hominum vitae nostro de stamine pendet;
Anxia, concusso stamine, corda rego.
Sollicitos animos atrox dum cura remordet,
Illorum torto consulo fune malis.

A. Epiro.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. XVI, n. I proposita his respondent:

I) Contus; Cous.
II) Ignis.

Ea rite soluta miserunt:

I. Ciolli, *Papia*. — Petrus Tergestinus. — Ladisl. Thyssen, *Dresda*. — Iac. Costa, *Dumio*. — I. Ortiz, *Moretia*. — E. Burg, *Monacchio*. — Alb. Kain, *Dublino*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio* — F. Wawer, *Marianopoli*. — Dionedes Falva, *Constantia*. — Ioc. Cordara, *Perentio*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — Raim. Silvan, *Laudino*. — Rich. Bondel, *Brugis*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — A. Tonelli, *Genua*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — F. X. M., *Drepano*. — P. Prado, *Venetiis*. — Carm. Zlinczky, *Cracovia*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, *Neapoli*. — Ad. Kozlowski, *Patricovia*.

Sortitus est praemium:

PAULUS PRADO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine vertit IOANNES BATTANI).

SOCIS ET LECTORIBUS MONITUM

Kalendis Aprilibus MCMXIII Societatis Editricis Romanae Urbana Sedes translata est in

VIA DEL TRITONE, 46.

Huc igitur exinde conferatur quidquid VOCIS URBIS administrationem respiciet; quae vero ad redactionem spectant, mittenda semper erunt ad Moderatoris domicilium, VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae. — Ex officina *Societatis Editricis Romanae*.

AD ROMAM

7)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

IMPERATOR.

Es ille Christum qui sequuntur eaput?

MELCHIAS.

Sum equidem! Merito glorior prae ceteris!
Sciat simul Roma et imperator resciat
Fateri certo Christi me discipulum,
Imo omnium supremum esse Pontificem!
Non erubescam, fatebor libentius,
Pro quo paratus me mori in posterum.
Civis romanus sum: quid est antiquitus
« Fortiaque adversis opponere pectora rebus »?
Nos autem Christi eives qui vocabimur
Suae inhaerentes divae sapientiae,
Superbe habemus, surgit si necessitas
Fortia pro ipso pati et mori in vinculis.

IMPERATOR.

Tu qui sie iactas Christi te discipulum,
Qui nominaris?

MELCHIAS.

Iam dixi antea: Nominor
Ego Melchias!

IMPERATOR.

Nomen proditoris Melchias!
Te nempe audivi praedicari saepius.
Es ille vafer, celeber flagitiis,
Sua qui deeepit multos astutia?

MELCHIAS.

Egon vafer? Meos qui eives deeipio?
Deus sit ipse verbis testimonium.
Loquar Romanis primum nunc in publico,
Loquar, meus qui mos est, apertissime.
Nihil peeeavimus, Vetat relligio!
Nullum putamus qui violandum torum,
Nos prohibemur qui convicia dicere,
Et inimicis qui vel ipsis pareimus,
Egenis opem large nos perfundimus,
Furta damnamus, exeeramus turpia!
Sumus tuis plexi, Maxenti, legibus,
Sumus nos eives tibi exeerabiles...
Ubi est aequalitas laudanda eivibus?
Pro te, qui semper inseeutus miseros,
Tuis preeamur Christum pro negotiis!

IMPERATOR.

Et hoc in bello?

MELCHIAS.

Adhue sic nos tu iudicas?
Pro te preeamur, regnes in iustitia,
Tuisque dones late paeem eivibus!

IMPERATOR (*ironice*).

Novae sed litterae te accusant perfide!

MELCHIAS.

Meae nunc litterae quas scripsi? Nescio!

IMPERATOR.

Opem voeasti Constantini...

MELCHIAS.

Perperam!
Mali me aeeusant!

IMPERATOR.

Dabo post sententiam!
Eum post reditum servari iubeo.
Eris diis nostris victima puleherrima.
Deorum spiritum irruisse sentio,
Qui nos ad arma portat... ad vietoriam!
Vos, saeerdotes, interpretes caelestium,
Deorum mentes aperite auguriis,
Eos plaeate vietimis egregiis.
Obferte in primis plurimas plaeabiles
Ex ehristianorum eruore infantium.
Enim reseitis his plaeari maxime!
Dux hostiarum, morte sit turpissima,
Hie qui voeatur ehristianorum Pontifex.
Ad arma, milites! Novum sit eantieum,
Certum Deorum quod nobis det auxilium!

MILITES (*proficiscentes canunt*):

« Sol qui fuisti patribus
Seeurus aster gloriae
Nobis refulge gratior,
Hostes repelle in tenebras ».

IMPERATOR *procedit, et ipsum sequuntur milites. Media in scena manet* MELCHIAS *inter aliquot milites. — Tunc undique in scenam proripiunt* CIVES, *christiani et infideles, quibus maxime admirantibus alloquitur*

MELCHIAS.

Deus dedisti maris Thiberiadis
Olim qui paeem seeuram fluetibus,
Tuae quietem tandem dona Eeclesiae,
Quae tam laborat, suffert isto tempore;
Velis si vietimam, libenter immolor!

CHRISTIANI.

(*submissa voce, ad sidera oculos levantes dicunt*):

Spes omnis est in Christo nostra posita!
Iesu, qui fulges inelytus,
Aeeende nostros spiritus,
Paeem da maestis fratribus,
Et solve nos de vineulis.....

EXPLICIT ACTUS PRIMUS.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Maio MCMXIII. Num. V.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Utrum S. Thomas Graecam linguam calluerit.
De Leone XIII P. M. Commentarius.
Selecta ex bibliothecis et archivis. De actione oratoria.
Horae subsecivae. Iuliani Apostatae mors. — Florum cultura.
Constantiniana monumenta. De Urbana basilica S. Ioannis in Laterano.
Colloquia latina. Silentium et attentio.
Acta Pontificia. SSmi. Dni. Nostri Pii PP. X litterae in forma « Brevis », quibus Purpuratus Pater ad sollemnem commemorationem Antonii Friderici Ozanam Lutetiae Parisiorum habendam, tamquam Pontificius Legatus mittitur.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Concilii. — Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione S. Officii (Sect. de Indulgentiis). — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. De recenti morbo SSmi. D. N. Pii PP. X. — Coram SSmo. admissiones. — Peregrinorum adventus in Urbem. — Pontificiae electiones.
Annales. Balkanicum discrimen. — Italorum in Lybia progressus.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Ex Batavia. De certamine poetico Hoeufftiano in an. MCMXIV indicto.
Aenigmata.
Sociis et lectoribus monitum.
Appendix: Ad Romam.

Utrum S. Thomas graecam linguam calluerit

Sub huiusmodi titulo anno MDCLXVII, P. B. Guyard dissertationem in lucem edidit, quae veluti parva fuit scintilla, ex qua, et propter quam, successivis saeculis usque ad nos, circa vexatam quaestionem plura scripta prodiere. (1) Mens quorumdam fuit, S. Thomam Aquinatem graecam non calluisse linguam; dum alii e contra Angelicum graecae linguae peritum fuisse asseruerunt. Siquidem, Aquinas ipse testatur, - inquit Roselli, (2) - se vidisse libros de substantiis separatis nondum in latinum versos. Meminit praeterea libri Procli Platonici, quem dicit « in Graeco inveniri ». Ait item, se interdum ex Homiliis Chrysostomi sensum accepisse, dimisisse verba, eo quod translatio esset vitiosa. Quid? si eius Commentaria in Aristotelem conferantur cum antiqua versione, qua Thomas usus est, invenietur profecto, ipsum magis intendisse ad textum graecum, quam ad versionem illam, eamque saepissime vel explicasse, vel emendasse. Nonne et Italiae cultus conditiones sententiae huic favere videntur? Baconus enim ad linguarum, praesertim graecae studium adhortans, scribit: « Nec multum esset pro tanta utilitate ire in Italiam in qua clerus et populus sunt *pure graeci* in multis locis; et episcopi et archiepiscopi et divites et seniores possent ibi mittere pro libris et pro uno vel pluribus qui scirent *graecum* sicut Dominus Robertus S. Episcopus Lincolniensis solebat facere ». (3)

*
* *

Certe Sancto Thomae Aquinati, aliqualem linguae graecae peritiam esse tribuendam, ex eiusdem scriptis apparet. Invenimus enim Angelicum graecum adhibuisse textum hisce ducti motivis:

a) Saepe ad graecae dictionis differentiam sese appellat, ut dum in *Summa* de habitibus: « Et ideo non dicit quod sanitas difficile mobilis simpliciter sit habitus, sed quod est ut habitus, sicut *in Graeco* habetur ». Et in *Summa c. Gentes,* contra Averroëm scribit: « Non sicut praedictus Averroës fingit, sub dubitatione hoc proferens, ut patet ex exemplaribus Graecis ». (1)

b) Affirmat Aristotelis tractatum *De Memoria et Reminiscentia* penes *graecos* esse partem alterius tractatus eiusdem Aristotelis, *De Sensu et Sensato:* « Ille tractatus (*De Memoria et Reminiscentia*) est pars istius libri (*De Sensu et Sensato*) secundum *Graecos* ». (2)

c) Ad graecam denominationem libri Aristotelis *De Caelo et Mundo* sese appellat; dum in Commentariis de *Anima* se non iam versionem, sed graecum textum secutum fuisse fatetur: « Haec tria in hoc libro aguntur, qui apud *Graecos* intitulatur de *Caelo* »; « Hic incipit liber tertius apud Graecos. Et satis rationabiliter. Ex hinc enim Aristoteles ad inquirendum de intellectu accedit ». (3)

d) Versum Homeri ab Aristotele non integre relatum, complet: « Sciendum est autem, quod hunc versum Homeri Aristoteles non totum posuit, sed solum principium. Unde nec in *Graeco* nec in Arabico plus habetur quam hic. Talis enim intellectus est, ut sic intelligatur hoc dictum, sicut consuevimus inducentes aliquem versum alicuius auctoris tantum ponere principium, si versus sit notus. Sed quia hic versus Homeri non erat notus apud latinos, Boetius totum posuit ». (4)

e) Vocabulorum graecae linguae saepe tradit signi-

(1) Cf. DE RUBEIS, *De gestis et scriptis* etc. *S. Thomae*, Diss. XXX, c. 4. — TALAMO - *L'Aristotelismo della Scolastica* c. IX. — L. SCHÜTZ *Der heil. Thomas von Aquin*, etc.; *Jahrbuch*, etc. 1895, VIII p. 271, 1896 X, p. 408.
(2) *Summa Philos.*, vol. 1, q. 1, a. VIII n. 100.
(3) TALAMO, l. c.

(1) 1-2.ae 50, 1, ad 2.; c. *G.* l. 2. c. 61.
(2) *De Sensu et Sensato* l. nn. lect. 2.
(3) *In Proemio de Caelo et Mundo.* Quatuor vicibus scribit « Intitulatur de Caelo, intitulari de Caelo, intitulatur de Caelo, nominatur totus liber de Caelo ».
(4) *De Anima*, lect, 4.

ficationem, uti, de aliis locis tacendo, dum scribit: « Agit de alia passione, quae vocatur nemesis, idest reprehensio, quae est medietas invidiae et epicacotharchiae, tharcus enim dicitur gaudens, cacos malum, epi super; ac si dicatur gaudium de malo. Nemesiticus enim, idest reprehensor, tristatur... Sed ille qui dicitur epicacotharcas, tantum deficit a tristando, ut etiam gaudeat de malis, qui in sua malitia prosperantur ». (1) — « Physis, quod apud graecos naturam significat, si pro generatione viventium accipiatur, habet primum ypsilon productum; si vero pro principio, sicut communiter utimur, habet primum ypsilon breve ». (2) — « Plato in Timaeo secundum linguam Graecam dixit, illomenum esse eum, qui per omnem ordinatum polum; hoc autem quod dicitur illomenum, si in graeco scribatur per iota, significat alligationem; si vero scribatur per diphthongum, significat prohibitionem ». (3) — « Apud Graecos hoc nomen *ethos* dupliciter sumitur: et secundum quod importat diuturnitatem quamdam, dicitur febris ethica; secundum autem quod importat morem secundo modo acceptum, dicitur scientia ethica, quam nos moralem dicimus ». (4) — « Per hoc autem excluditur opinio Stoicorum qui secundum ordinem causarum intransgressibilem, quem Graeci *eimarmenen* vocabant, omnia ex necessitate dicebant provenire ». (5)

Denique ipsemet Angelicus contra Averroistarum « impudentiam » scribit (6): « Quia quibusdam in hac materia verba Latinorum non sapiunt, sed Peripateticorum (Graecorum) verba sectari se dicunt, quorum libros in hac materia nunquam viderunt, nisi Aristotelem, qui fuit Sectae Aristotelicae institutor; ostendemus positionem praedictam eius verbis et sententiae repugnare omnino ». Affert postea plurimos Aristotelis textus, eiusque mentem aperit, verbaque animadversione addit: « Huiusmodi quaestiones certissime colligi potest Aristotelem solvisse in his libris quos patet eum scripsisse de substantiis separatis, ex his quae dicit in principio XII (Libri) Metaphysicae; quos etiam libros vidimus num. 14, licet nondum translatos in lingua nostra ». (7)

***

Non concessa igitur Doctori Angelico graecae linguae completa atque perfecta cognitione, quomodo eiusdem aliqualis cognitio explicatur? Ad huiusmodi factum historicum recurrendum est.

Saeculo XIII, philosophiae Peripateticae, scriptorumque Aristotelis studium, praesertim Lutetiae Parisiorum maxime crevit. Quum vero Averroistae plurimi, Philosophi mentem contra fidei veritates interpretarentur, Romana Ecclesia iuste recteque insurrexit. Ad omne periculum praecavendum, Urbanus IV, Fratrem Guillelmum de Moerbeke, Ordinis Praedicatorum atque Fratrem Thomam de Aquino Romam vocavit, et dum primus, qui linguam solide callebat graecam, novas Aristotelis scriptorum versiones parabat, alius, idest Angelicus, nova eorumdem operum Commentaria scribebat. « Frater Wilhelmus Brabantinus, legimus, (1) Corinthiensis, transtulit omnes libros naturalis et moralis philosophie de greco in latinum ad instantiam fratris Thome. Item transtulit libros Procli et quedam alia ». Versiones istae, quamvis a Bacone passione motus « omnino erroneae et vitandae » vocatae fuerint, recentiorum tamen Criticorum iudicio, « textui litterali Aristotelis scrupulose conformes, imo, fideliores nonnullis versionibus modernis inveniuntur ». (2) Guillelmus et Thomas ab anno MCCLXI, usque ad annum MCCLXIX in Curia Romana simul laboraverunt. Nil mirum propterea, si Angelicus, a Confratre suo Guillelmo, linguae graecae peritissimo, notiones illas communes, cognitionemque aliqualem graeci idiomatis acquisiverit.

Neque moveamur, dum de seipso Thomas aliique affirmant, « libros de Substantiis separatis graece scriptos, vidisse, evolvisse, interpretasse ».

Haec enim omnia, peritorum ope facta, eique tribui palam est. Neque moveamur rursus, dum quidam ex antiquis affirmant Angelicum linguam calluisse graecam. Nonne et hodie multis linguarum peritia tribuitur, et tamen nobis apertum est, eos, vel solum alphabetum cognoscere, vel nonnisi superficie tenus linguas callere? Nolite Pici Mirandulani oblivisci. Scimus, ei viginti duarum linguarum peritiam tributam fuisse; ex facto tamen apparet, multarum linguarum nonnisi alphabetum cognovisse, neque italicam linguam perfecte calluisse, ita ut carmina Laurentii Magnifici pluris quam Alighierii faceret; imo legimus hebraicam linguam tam leviter cognovisse, ut Iudaeus quidam sexaginta falsos codices ei vendere potuerit. (3)

Verum, cum Roselli nostro concludimus: (4) Si permittamus Thomam vel prorsus ignorasse Graecam linguam, uti de se fatetur S. Gregorius Magnus, vel graece mediocriter fuisse doctum, ut de se scribit S. Augustinus; non modo nihil eius detrahitur laudi, sed magna fit accessio. Neque satis mirari possumus S. Thomae Aquinatis, qui Aristotelem talium interpretationum subsidio unico legerat, acumen, et industriam; quum saepe Aristotelem verius, aut saltem verisimilius, quam Graeci nonnulli interpretatus fuisse cognoscatur.

REGINALDUS FEI O. P.

(1) *Ethicorum*, l. 2, lect. 9.
(2) *Metaphys.*, l. 5, lect. 5.
(3) *De Caelo et Mundo*, l. 2, lect. 21.
(4) *3 Sent.* d. 23, q. 1, a. 4, q. 3, Sol. 2.
(5) *S. c. Gentes*, l. 3. c. 73.
(6) *De Unitate Intellectus*, opus. XV, (Ed, Rom, XVI).
(7) Ibidem.

(1) Cf. MANDONNET, *Siger de Brabant* LV; DENIFLE, *Archiv.* II, 226-27.
(2) A. VAÇANT, *La Controverse et le Contemporain.* année 1888. p. 456; *Les versions latines de la Morale à Nicomaque antérieures au XVIme siècle.*
(3) VILLARI, *Storia di Gerolamo Savonarola*, vol. I, l. 1, c. V.
(4) L. c.

Priusquam promittas delibera, et cum promiseris, facias.
SENEC., *De moribus.*

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS [1]

Ad stilum quod attinet, ab illis immortalibus magistris usurpatum, hoc in primis adnotem, Ioannem Perrone, illustriorum sodalium vestigiis insistentem, qui in acroasibus suis, quas ad alumnos haberent, nativo passim candore nitebant, et singulari quadam suavitate laudabantur, Tulliani stili virtutes tam feliciter esse consecutum, ut ipsa rerum divinarum dignitas aliquo splendore decorari videretur. Nam multiplicis doctrinae varietate cum Ambrosio, tum Hieronymo atque Augustino identidem comparabatur.

Quibus rebus frequentiores in dies erant sacrarum doctrinarum alumni, qui iussu atque consilio tot magistrorum, abundantius fructus referebant. Prae ceteris inter omnes, qui ingenio pollebant et virtutibus, Peccius eminebat, cuius prudentiam studiumque religionis iamdiu omnes optime noverunt. Hic enim exquisita magistrorum sapientia allectus, eodem quo parentes honore, eorum memoriam prosequebantur, eisque ita erat devinctus, ut quoad posset, ab eorum disciplina nunquam discederet. His igitur ingenii et doctrinarum praesidiis egregie ad sapientiam instructus, tantum habuit noster commendationis, ut in hisce quoque studiis princeps teneretur.

Attamen haec ei quoque laus est tribuenda, quod, dum animum divinis cogitationibus exerceret, et totus esset in arripienda Christi doctrina, haud iacturam temporis facere videretur, quod in stilo exercendo insumpsisset.

Quo factum est, ut eius quoque disputationes, quas identidem ex temporum more apud condiscipulos habebat, latini sermonis elegantia laudarentur, et summa omnium voluptate auribus reciperentur. Sic christianam doctrinam ab adversariorum incriminationibus acerrime tueri parabat, atque vel ab illa aetate apparuit, ut labentibus annis e summa sapientiae sede, vindex veteris disciplinae, optimorum studiorum sospitator atque in sacris concionibus caelesti prope eloquio disertus et pugnax.

Hinc merito sub anni finem, in certamine publice habendo, Peccius eligitur atque magnis laudibus extollitur. Tute ipse, candide lector, si lubet, tuis usurpare oculis poteris documentum quod honoris causa in medium referam.

« Vincentius Pecci de selectis quaestionibus ex tractatu *De Indulgentiis*, nec non *De Sacramentis Extremae unctionis atque Ordinis*, in Aula Collegii maxima, publice disputavit, facta omnibus obiiciendi facultate, in praesentia praesulum aliorumque insignium. In qua disputatione idem adolescens tale ingenii sui specimen praebuit, ut *ad altiora* proludere visus sit ».

(1) Cfr. sup. num. III.

Haec in indice Ephebei maximi Romani legi possunt. Sed paullo maiora nos manent, neque omnino silentio praetercunda. Namque in volumine quod *Annuario* inscribitur, quodque singula iuvenum nomina refert qui praemio donati sunt et laude, haec leguntur: « Inter Theologiae academicos Vincentius Pecci strenue certavit de Indulgentiis in Aula Maxima, coram doctoribus collegii aliisque viris doctrina spectatissimis. Quum vero in hac publica exercitatione, academico more peracta, industrius adolescens non parvam ingenii vim, et diligentiam impenderit, placuit eius nomen, honoris causa, hic recenseri ».

Hactenus Vincentii nomine vocari, in matris memoriam atque obsequium passus, Ioachim in posterum adpellari iubetur.

Hoc unum restat, ut homo fortunandis hominibus natus civiumque praesidio, universo quoque iure civili atque sacro, ad sacculi rationes solliciter exacto, rite instiueretur. Quare, quamquam multis iam muneribus decorabatur, ratus aptius Deo posse in posterum inservire in publica dignitate, quum esset annorum quatuor et viginti, sacrae Academiae nomen dedit. Atque adeo sub doctissimorum hominum disciplina ita est omnis scientiae aditus adgressus, ut tandem populorum felicitati, nobilibus studiis institutus, admodum prospiceret. Is erat autem in eo doctrinae amor, ut omnium consilia negligeret qui eum hortabantur, ut a studiis aliquantisper abstineret, et ruri versatus, valetudinem recuperandam curaret. Verum in Deo unice fretus, totus se ad nova studia conferre statuit. Et in hac palaestra, summa cum dignitate in omnium exemplum eluxit. Recentiora populorum eloquia arripere, eorum mores inventaque cum veteribus Romanis componere, leges ad labentis aetatis ingenium exactas, ad provehendam civium humanitatem, omnes curas animi et cogitationes adferre.

Hinc factum est ut eius oratio ad doctores habita *de doctrinis adiudicandis*, omnium suffragiis, et prae ceteris cudi digna publice haberetur, praemiisque propositis maxime honestaretur. Eius igitur nomen laudibus longe iam lateque extollitur, eique omnia bona in aevum universa civitas auspicatur.

Quumque magnam spem omnibus adferret, fore, ut proxime munia publica adgressus, res romanas, superiorum temporum malis fractas, aliquando erigeret atque recrearet, indica lues urbem invadit et immensam civium stragem edit. Tunc praeter omnium opinionem Ioachinus noster, sui securus, animae pro populo prodigus, aegros invisere postulat eisque inservire. Quod autem munus nondum sacerdos optime perfecit. Infirmos enim adspectu, alloquio scienter confirmat, omnique ratione praesentem laborantibus opem abundanter adfert.

Hactenus de studiis; nunc ad ordines suscipiendos venio. Fere curis omnibus solutus, vel inter litterarum studia semper operam virtutibus navavit animique in-

tegritatem humana despicientis adsidue exhibuit. Hoc unum optabat, illuc summo opere tendebat, ut aliquando sacerdotio initiatus sacris muneribus fungeretur.

Tandem primo die exorientis anni millesimi octingentesimi septimi et trigesimi sacerdotio auctus est, in aede S. Andreae ad Quirinalem, suffragante Odescalchio Cardinali, qui mox, omnibus honoribus ablegatis, inter tirones Societatis Iesu adnumerari obtinuit, quodque caput est, in obsequium candidissimi eiusdemque sanctissimi Stanislai Kostkae, cuius virtutes optime mordicusque erat prosecutus.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

DE ACTIONE ORATORIA

Ad amicum Cenetensem.

Fateris, nihil esse vitiosius in Oratore, praesertim sacro, quam motum vocis et corporis arte quaesitum: et tamen, quae sint artis praecepta, cognoscere cupis; meque non litteris modo tuis, sed etiam amicorum auctoritate urges, ut de re hac aliquid scribam. Non artem, opinor, sed siquid est in arte nimium, reprehendis. Constitueram Quinctiliani Institutiones ad te mittere: et sane misissem, nisi paullo esses ad iram pronior, quam oporteat. Quid enim? Putasne me, aut nostrum quempiam posse meliora? Sed quando falli vis, falllamus officiose.

Oratoria Actio dividi solet in *Pronunciationem*, et *Gestum*. Ad illam quod attinet, etsi vocis bonitas non est in nobis, ut ait Cicero; tractatio tamen atque usus in nobis est. Quapropter in sua illa, qua pollet unusquisque, vocis facultate bonus Orator videri poterit, si magna in primis cura animadvertat, ne praepropera quotidiani sermonis festinatione verba mutilet. Fere enim familiaris locutionis vitia ad actiones quoque publicas afferuntur; et solent blaterones, cum dicunt e rostris, ut ut aliqua in parte naturam conando vincant et consuetudinem, extrema saltem periodorum deglutire. Ita porro distincte pronunciabimus, ne tamen diutius in verbis immorantes singulis, hiulcam faciamus orationem, aut memoria laborare videamur, aut syllabas numerare. Quamquam vitium hoc non est ita commune, ut primum illud: quod ut tollatur, nulla me quidem re adiuvari magis expertus sum, quam clara expressaque litterae caninae pronunciatione. Fit enim hac adhibita unius litterae recte efferendae diligentia, ut omnes bene pronuncientur. Imo si cui balba quaedam haesit minusque aperta aliquorum verborum pronunciatio, quae pro consuetudine vetustissima tolli non posse videatur, *R*, sibi dumtaxat, si quod est in verbis illis, valde proponat spiritu linguaque premendum; brevique sentiet, in aliis quoque litteris efferendis nectendisque se mirifice expeditum.

Cum perspicue pronunciare poteris, illud deinde cura quam diligentissime, ut vocis varietate rerum, de quibus dicis, varietatem consequaris. Nihil enim aeque audientes enecat, atque unus ille, constans, et perpetuus quasi cantus adolescentis e schola. Vitium tamen hoc, quod in foro et in curia ferri non potest, Oratori sacro interdum condonatur reverentia quadam rerum, de quibus dicit, si cetera sit gravis et facundus. Addo etiam illud, ipsam variandi curam hoc in genere, si nimia sit, et loci oblita videatur, magis offendere, quam *monotonian*. Ceterum vocis variandae leges longe plurimas et pulcherrimas habes a Quinctiliano: quibus addere qui velit aliquid, praesertim ad fori consuetudinem, nugas agat. Ego inde pauca ducam pro modo Epistolae, quae non nimis enucleata existimabo. Sit igitur vox laetis in rebus exponendis ipsa quoque quodammodo hilaris, plena, explicata, et suaviter fluens: in contentionibus audax, elata, et nervis omnibus intenta: atrox in ira, aspera, densa, et respirationibus crebra: paullo in invidia creanda lentior et subobscura: in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando lenis et submissa: in suadendo, monendo, pollicitando, consolando gravis: in metu et verecundia contracta: in miseratione aegre faucibus exiens, flexa, reducta, impedita; in aggressionibus fusa, secura, incitata: in expositione teres, quasique media inter gravem sonum et acutum; ad summam, attollatur concitatis affectionibus, compositisque descendat; et pro rerum natura, loci, temporis, et personarum, elata modo sit, modo demissa. Nolim tamen religiose nimium omnes animi motus imitemur. Nam et exultare clamose, et muliebres lamentationes edere histrionum more, oratoriam dedecet gravitatem. Illud vero tibi certum decretumque sit, ut initio magnae Orationis voce utaris demissiore; ne cum paullatim crescere debeat pro ipsa contentionis natura, supra vires augeatur, et quod consequitur, in asperum quemdam sonum degeneret, gallorum clamori persimilem. Praeterquamquod modesta illa vocis tenuitas, qua dicere incipimus, idonea est ad significandum timorem, quem debet Orator reverentia quadam concionis initio profiteri; modo ne quid sit ex abrupto alicui exprobrandum, quale illud Ciceronis in Catilinam: *Quousque tandem*, etc. Esset enim praeter artis leges, praeterque rationem, tale quippiam timide proferre. Universe cavendum, ne tussi nimiaque excreatione, quem Graeci *ptyelismon* vocant, intercidatur oratio; ne spiritus per nares emittatur; ne vox subsultet inaequalibus spatiis, quasique claudicet; ne rudis sit, dura, pinguis, rusticana; sed quam maxime fieri potest, clare, suaviter et urbane flectatur, sonumque efficiat sine molestia aequabilem. Si vis autem pronunciationem et

gestum ipsum egregie moderari, oportet paratus accedas ; remque totam, de qua dicis, firmissime teneas. Nam si quid ex tempore, vel animo non satis firmo aggredieris publice ad dicendum, ita eris totus memoriae diffidentia metuque occupatus, ita in qualibet periodo proferenda simul de futura sollicitus eris, nihil ut de actione possis cogitare. Sed hactenus de *Pronunciatione:* venio nunc ad partem alteram, quae *Gestu* continetur.

Gestus nomine totius corporis habitum, figuram, motumque intelligo : cuius ea summa lex est, ut vel ex hoc ipso rerum dicendarum species aliqua statim offeratur. Vestium et capillorum primum habenda ratio: illudque maxime curandum, ne nimia negligentia a civili cultu abhorrere videamur, concionemque contemnere ; neve cura putidiuscula in mollitiei suspicionem incidamus. Coma vestibusque decore compositis, de fronte, oculis, manibus, pedibusque cogitare debes. Recta enim horum membrorum conformatio et motus dicentem mirifice adiuvat ; magisque capit auditores, quam ipsa propemodum oratio. Frons itaque celsa et explicata laetitiae index est, demissa obsequii vel doloris, caperata indignationis, dura contumaciae, aversa despectus et irrisionis. Celsam porro cum dico, nolim putes Palaemonas mihi probari. Nam ita attollere frontem, ut in tergum inclinetur, nunquam decet ; quemadmodum nec ita demittere, ut sinum prope tangat : illud impudentis hominis est ac superbi, hoc timidi et vecordis.. Oculi, ex quibus maxime dicentis animus eiusque affectiones eminent, in sublime elati arrogantem hominem atque imperiosum ostendunt, demissi humilem et orantem, aversi negantem ac despicientem : nictando malitiam significant, lacrymando dolorem, connivendo simulationem : clausis optime describes cogitabundos, valde apertis attentos, incensis minitantes : nihil denique in oratione tam varium est, quod vario oculorum motu Orator consequi non possit, unde qui audiunt, maxime pendent ; dicendaque intelligunt, antequam dicantur.

Manus, quibus secundum linguam nihil est vocalius, tantam vim addunt actioni, ut sine earum adiumento plane frigeat. Sinistra non bene sola gestum agit, sed inservire dexterae debet. Sive tamen sola, sive alteri accommodata moveatur, intra humeros semper est continenda. Quod si Oratori aversanti aliquid necesse sit manus ambas in laevam partem valde propellere, tum vero humerus ipse et caput illuc protendatur. Dexterae motus a sinistra parte incipiat, et secutus verborum sensum desinat loco suo. In ea componenda multum operae collocavit Quinctilianus ; et superstitiose adeo digitis singulis leges imposuit, ut neque in scena hoc tempore tantam diligentiam requiramus. Minus sane peccat, qui intra familiaris sermonis usum manus continet, quam qui nimia quadam gesticulatione digitis micat, et ad verba singula modum aliquem accommodat. Modus ubique servandus ; et pro rei propositae ratione videndum, quid deceat. Quaedam enim sunt, quae multiplicem gestum celeremque postulant, quaedam tardum, quaedam etiam nullum. Praesertim vero initio dicendi ab omni gestu abstinere oportet ; ita tamen ut ad secundam periodum manus paullatim excitentur ; quarum deinde motus incalescente oratione percrebrescet. In rebus magnis et laetis manus extendi solent, in parvis et tristibus contrahi : lentiores promittunt, citatae hortantur et urgent : dextera sublata iurantem linguam recte comitatur ; itemque robur et potentiam significat ; ori admota silentium indicat, porrecta foedus et fidem, protensa extra humerum odium et aversationem. Manus utraque pectori adposita precantis est, et miserias suas profitentis, contracta avari, explicata largi et gratulabundi. Digitorum commissio anxios ac dolentes ostendit, brachiorum complicatio pigros ac desides, iactatio immodica iratos et furentes. Haec singula advertere siquis potest, et in dicendo praestare, ex arte faciet : verum cum ardet oratio, dicentem rapit, nec eum patitur ex praeceptis consilium capere.

Pedes quoque suas partes habent, sed postremas. Ac primum quidem curet Orator, ne pedes quasi varicando distorqueat ; neve praeter modum supplodat. Deinde oportet eius excursiones per suggestum esse quam moderatissimas, saltationes vero omnino nullas. Qua in re cum Q. Haterius (ut refert Seneca in Controversiis) frequentissime ardore dicendi peccaret, monitorem a tergo habere solebat, qui se tactu vestis, ubi opus esset, ad moderationem revocaret. Qui sedens ex scripto recitat, paucioribus indiget : illud tamen monendus videtur, ne crus cruri foedum in modum imponat. Quod quidem multis etiam ex concione dictum volumus, qui in hanc se otiosae pecudis figuram componere solent.

Atque haec de *Gestu* satis tibi fore putamus. Quamquam neque ex his, neque ex aliis, quae de *Pronunciatione* dedimus, fructum aliquem capies, nisi usus accedat et exercitatio. Dicendo homines apti fiunt ad dicendum, agendo ad agendum. Desere aliquando umbram istam : in sole et pulvere non modo nobis, sed ipse tibi magis placebis. Vale.

FACCIOLATUS. (1)

(1) Iacobus Facciolatus, comptissimus latinae linguae scriptor, obscuro loco natus est in oppido Torriggia Euganeorum montium an. MDCLXXXII. Docuit in Seminario illo Patavino, ubi educatus fuerat ; quin etiam studiis ibidem praefuit, multam impendens operam emendans, amplificans librosque edens, quo graecae atque latinae linguae doctrina planior magisque utilis discipulis redderetur. An. MDCCXXII logicae doctor in Patavino athenaeo renunciatus est, de qua disciplina *Acroases* nonnullas vulgavit, elegantia atque eruditione singulares. Sed tamen eius *Epistolae* atque *Orationes* quas dixit studiis auspicandis, Faceiolati opus potissimum dicendae sunt, quippe quae summa eloquentia ac sapientia exaratae, eius nomen extra Italiae fines produxerunt.

. . . . . *Minuti*
Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio. . . .

IUVENAL., *Satyr.* XIII.

HORAE SUBSECIVAE

IULIANI APOSTATAE MORS

Contemptor Superum et cultus desertor aviti
Princeps, antiquos iamdudum excindere ritus
Christiadum legesque sacras abolere parabat.
Quo fert cumque gradum, tristem collapsa ruinam
Templa trahunt, rutilis flammis data praeda per orbem,
Sollemnes arae, veterum monumenta parentum,
Eversae sine honore iacent, nec tristia praeter
Rudera et horrendas possis agnoscere moles.
Christe, vides immane scelus nec fulmina mittis?
Nec caput invisum meritas detrudis ad umbras?
At vos, Christicolae, dextram praestate Superno:
Causa Dei vestra est, vestram defendite gentem.
Vos quoque vesanis Princeps temerarius ausis
Oppugnat: vires addat Deus ipse secundas,
Moxque triumphus erit devicto ex hoste superbus.
Sed quid ego haec? prohibete manus, avertite ferrum,
Christicolae: iusto devota haec victima Caelo.
Nam quis de supera telis armatus et arcu
Aliger arce venit? telum fatale coruscat
Te, Princeps scelerate, petens? tibi debita portat
Funera? nulla mora est, volat atri turbinis instar
Iamque haeret stridens costae letalis arundo...
Ille oculos diros clamans ad sidera torquet
Impius et fundit multo cum sanguine vitam...

M. Galdi.

FLORUM CULTURA

Si quem ridentis delectet gratia ruris,
Fragrantesque iuvent, quos pulcre ostentat honores
Hortus dives opum variarum, et molle vireti
Alliciat capiatve decus, quid dulcius esse
Credam, quam flores tenuem coluisse per artem?
Illos fictilibus libeat si credere testis,
Seu brevibus magis areolis componere, buxus
Quos viridans aeque secernat; terra benignam
Se dabit, et variata coloribus intermixtis
Gnavis laetitiam pariet cultoribus ultro.
Haec fortunatae grata oblectamina vitae
Primos, ut fama est, olim tenuere parentes,
Cum nondum spinis ac sentibus obsita tellus
Floreret, nostrum nec posceret invida cultum.
Devia per lucos et per viridantia tempe
Eva parens ibat, teneris qua plurima circum
E foliis arbos animas halabat odoras,
Qua sol firmabat radiis, et molliter aurae
Mulcebant tremulae natos sine semine flores.
Ludicra cura sibi aut vitreis adspergere lymphis
Gramina, sive solo teneras defigere stirpes;
Nunc ramos fulcire leves, nunc nomina plantis
Indere odoratis: et se quacumque pererrans
Ferret, purpurei pingebant arva colores,
Et niveo passim optabant pede gramina tangi.
Saepe etiam halanti circumdata flore capillos,
Tinnulo et argutam crispans modulamine vocem,
Qua pellucidulo fons purior amne petebat,
Constitit ut sese opposita spectaret in unda:
Quam cultuque novo et praestantis imagine formae
Gaudentem, furtim nimbo sparsisse rosarum
Dicitur Integritas. Felix! ni protinus anguis
Pestiferi hausisset fallaces credula voces.
Non humus ingenium, non degeneres sua flores
Munera mutassent: ea nunc cultura laborem
Fert saepe, et curas interdum fraudat inanis.
Delicias tamen innumeras, atque otia praebet;
Felicis nam servat adhuc vestigia vitae.

H. N.

CONSTANTINIANA MONUMENTA

De Urbana basilica S. Ioannis in Laterano

Inter omnes constat, Constantinum imperatorem, non solum leges edidisse, quibus unicuique liceret Christum colere; sed ad ipsam Christianam religionem muniendam efferendamque animum ad ingentium basilicarum et templorum erectionem convertisse, ubi Christiani coetus congregari valerent. De hisce aedibus, per diversas orbis Romani partes, ab imperatorio fisco pecunia erogata, exstruetis, nonnulla adnotare iubilari hoc anno in nostro commentario opportunum duximus; quod opus hodie aggredimur, de Lateranensi illa Urbana basilica sermonem facientes, quae «omnium Ecclesiarum mater et caput» iure meritoque omnium prima, immensa tum civium tum advenarum frequentia splendidoque cultu, centenaria a Summo Pontifice indicta sollemnia superiore mense Aprili concelebrata vidit.

Ipsamet igitur basilica ab aedibus nobilissimae olim senatoriaeque Lateranorum familiae in Coelio monte, cognomen vulgo accepit; quae quidem aedes sive post Plautii Laterani infeliccm in Neronem coniurationem, (1) sive virili Plautiorum genere forte defieiente, in Fisci manus pervenerant, atque ineunte saec. IV in potestatem Faustae Augustae, Maximiani filiae et uxoris Constantini

(1) De hisce Tacitus lib. XV *de Pisoniana coniuratione:* Anno U. c. DCCCXVIII, a. C. n. LXVI, Neronis imperantis XI, P. Silio Nerva et Attico Vestino coss. « Annaeus Lucanus, Plautiusque Lateranus Consul designatus, vivida odia [in Neronem] intulere; Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque ostentare, vanus assimilatione. Lateranum Consulem designatum nulla iniuria, sed amor Reipublicae sociavit..... Proximam necem Plautii Laterani Consulis designati Nero adiungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus poenis sepositum, manu Statii Tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec Tribuno obiiciens eandem conscientiam ».

imperatoris, (1) qui post victoriam ad Milvium pontem habitam eas brevi tempore habitavit, ac deinde sive Melchiadi pontifici, aut potius Sylvestro, eius successori, dono dedit, ut inibi templum Christo Servatori et Pontificiam sedem, seu Patriarchium, aedificaretur.



Lateranensium aedificiorum prospectus generalis per aevum quod medium dicitur.
(Ex antiqua tabula ligno cusa).

Re quidem vera Pontifices per annos circiter mille apud Lateranensem basilicam habitarunt, quae an. MCXLIV, addito a Lucio II peculiari cultu SS. Ioannis Baptistae atque Ioannis Evangelistae, a Sancto Ioanne coepit nuncupari; quo nomine nunc etiam vulgo distinguitur.

***

Atqui generalis Lateranensium aedificiorum prospectus, qui usque ad medii aevi finem fere immutatus permansit, is erat, qualis ex tabula lectorum nostrorum oculis hodie in his paginis subiecta apparet. Basilica orientem spectat: prope eius absidem, baptisterium cum adnexis suis extenditur; inde, ad dexteram, xenodochium, Pontificum pietate inde a remotissimis temporibus excitatum. Ad templi meridiem amplum erat coenobium, monachorum domicilium, quibus cura divini cultus concredita erat; ad septem autem triones pontificiae aedes longe lateque afferebantur cum suis porticibus magnisque chalcidicis, ad oratorium usque productae, ubi nostra aetate « Sancta Sanctorum » et « Scala Sancta », de quibus inferius, asservantur. Denique in magna plateae centro, ubi nunc Toutmesii III obeliscus extollitur, Annibaldensium Comitum turres surgebant, quas inter atque basilicam, quo per minorem aditum et hinc accedebatur, positum erat aeneum illud Marci Aurelii equestre signum, falso Constantini diu habitum, quod Xystus IV « e sordido loco in augustiorem in area ipsa » (2) collocaverat, ac postremo Paulus III in Capitolium transtulit.

(1) Cfr. OPTATUS MILEVIT. *Contra Donatist.* lib. I: « Dati sunt iudices... Ad urbem Romam ventum est, ab iis tribus (iudicibus) Gallis et ab aliis quindecim Italis. Convenerunt *in Domum Faustae in Laterano* (an. Chr. CCCXIII).

(2) PANVINUS, *Manuscr.*, l. IV, cap. 8.

Lateranensis vero basilicae structura antiqua atque Constantiniana primaeva quum ferales casus non semel perpessa fuerit, proindeque Pontificum Romanorum religio eam iterum iterumque excitaverit, instauraverit, nullam certam ad haec nostra tempora sui transmisit memoriam. Graviores autem praecipuaeque ruinae refectionesque eius fuerunt quae hîc sequuntur.

An. DCCCXCVIII quum terrae quodam ingenti motu magna parietum pars usque ad peristylium corruisset, quumque tum civium domesticorumque privatis dissidiis, cum publicis aliquot schismatum vexationibus Romani Pontifices premerentur, « dilapsa fuit Ecclesiarum omnium Mater, Romanorumque Pontificum propria potissimaque sedes, informemque suimet speciem ac triste spectaculum per septennium praebuit, quo temporis lapsu penitus destituta utpote inaccessa iacuit ». (1) Attamen

Spes dum nulla foret vestigia prisca recondi
Se gius ad culmen produxit tertius ima
Cespite ornavit ingens haec moenia Papae. (2)

Postea Ioannes XII, creatus an. DCCCCLVI, Pontificum exstruxit sacrarium, quod Oratorium S. Thomae denominatum fuit; (3) Anastasius IV (MCLIII-MCLIV) multis



Lateranensis basilicae antiqua facies externa ad orientem solem.
(Ex antiqua tabula).

fabricis aedificiisque templum auxit, exornavitque; Innocentius III (MCXCVIII-MCCXVI) qui, uti notum vulgo est, vidit in somnis Lateranensi basilicae instare ruinam ac

(1) CIAMPINUS, *De sacris aedificiis*, etc., tom. II, c. II.

(2) Hos, aliosque de re versus Caesar Card. Rasponus in suo opere de basilica Lateranensi fuisse affirmat in absidе et fronte basilicae musivo charactere expressos. Ante ianuam, quae in sacrarium ducit atrium, deinde translati sunt.

(3) Cfr. fig., num.

S. Francisci Asisinatis humeris ne collaberetur sustentari, somnium iuxta litterarum sensus interpretatus, tectum restauravit, turrimque campanariam quae casum excidiumque minabatur nova mole excitavit; Nicolaus IV (MCCLXXXVIII-MCCXCII) anteriorem posterioremque basi-

Hodiernus Lateranensis basilicae aditus maior ad orientem solem.

licae partes iam ruinosas validissimis repagulis firmavit; Bonifacius VIII (MCCXCIV-MCCCIII) maximum addidit nitorem, arrepta, prouti videtur, Iubilaei magni occasione, quod a Laterano indixit. Attamen vix octo annis post, scilicet anno MCCCVIII — quemadmodum in suis *Chronicis* Villanius narrat — pridie festum S. Ioannis, dum in choro Vesperae canuntur, opificis cuiusdam incuria tecto ignis iniicitur, qui ad reliquas basilicae partes facile diffusus, pene omnes consumpsit. Pontificatum tum regebat Clemens V, Avenione sedens, unde, auctore praesertim Francisco illo Petrarcha, poeta tum Italica tum Latina lingua celeberrimo, minime cunctatus est Romam pecuniam mittere ad basilicam reficiendam. Neque Urbanus V (MCCCLXII-MCCCLXX) a restauratione prosequenda abstinuit. Martinus V (MCCCCXVII-MCCCCXXI) Alexandrino opere templum ruderavit; quinimo parietes Gentili ac Petro Pisano pingendas commisit; Eugenius IV (MCCCCXXXI-MCCCCXLVII) columnas et epistylium reparavit; turrim autem campanariam nonnullosque muros Xystus IV; Innocentius VIII (MCCCCLXXXIV-MCCCCXCII) — sive, iuxta alios, Alexander VI (MCCCCXCII-MDIII) — arcum ante Pontificium altare extulit, duabus magnis columnis ex lapide psaronio innixum; Pius IV (MDLIX-MDLXV) templi frontem ad septem triones restituit; Pius V (MDLXVI-MDLXXII) mediam basilicae alam deaurato lacunari operuit; Clemens VIII (MDXCII-MDCV) magnificum altare ad SS. Eucharistiam servandam erexit, transversamque alam omnem, in qua ipsum posuit, picturis illustrandam curavit; quum Xystus V (MDLXXXV-MDLXXXX) septentrionali fronti porticus addi iussisset.

At vero hisce curis omnibus, aliisque, quas brevitatis causa omisimus, minime obstantibus, Lateranensis basilica firmiter consistere diutius nequibat; inde factum est ut Innocentius X, an. MDCL, eam ex integro reaedificari constituerit; quod opus Borrominio commisit, ei in primis praecipiens ne quidquid antiqui aedificii servari posset pro novo immutaretur. Sed, heu, morosus ille, quamquam in suo genere praeclarus architectus, ne columnas quidem servavit, quas intra latericias pilas abscondit et clausit.

Quum an. MDCCXXX Clemens XII ad Pontificatum pervenisset, videns basilicae frontem ad orientem solem digno prospectu carere, quippe quia antiquus etiamtum angustiorque exstaret, novum eumque amplissimum substituit, cuius formam Alexander Galileius excogitaverat. Denique Leo XIII absidem per metra viginti ulterius produxit ac ditissimis marmoribus, musivis operibus picturisque ornavit, ac novissime Pius X tectum solumque large refecit.

***

Constantinianae Lateranensis basilicae historia sic enarrata, id unum restaret ut ad eius partium accessionumque tum antiquarum tum recentiorum descriptionem deveniremus; quod profecto huius fasciculi spatium superaret. Ad rem igitur facilius, brevius, planiusque expediendam diagramma ponere constituimus numeris distinctum, de locis ab isdem indicatis compendiaria explicatione subiecta.

1. — Antiquae basilicae porticus.

Aditus minor Lateransis basilicae et Pontificiae aedes post Xystum V.

2. — Oratorium S. Thomae, sive Sacrarium, ubi Pontifices sacras vestes induebant.
3. — Ecclesiae ianuae, quarum media quae Regia dicitur, ex aede S. Hadriani, in Foro Romano ab Alexandro PP. VII huc translata, exstat adhuc.

4. — Porta sancta.
5. — Naves ecclesiae.
6. — Ubi antiquitus erat Canonicorum chorus, nunc sepulcrum Martini V.
7. — Situs ubi olim erant ambones pro Epistola legenda et Evangelio.

Pauli cratibus ferreis deauratis inclusa, religiose coluntur.

16. — Navis transversa.
17. — Absis et Pontificia sedes.
18. — Chorus olim Canonicorum Reg. S. Augustini, qui basilicae divinis inserviebant. Supra hunc chorum



Lateranensium aedificiorum diagramma.

8. - 9. - 10. — Altaria.
11. — Ianua et scalae, qua patebat aditus ad Conciliorum aulam.
12. — Aditus ad Monachorum aedes; nunc ad claustrum.
13. - 14. — Altaria.
15. — Ara maxima in qua inclusum ligneum illud altare est, quo fertur S. Petrus usus fuisse. Ciborium ex pario marmore quatuor columnis ex Aegyptio marmore cum capitulis ordinis Corinthii sustentatur, in quo capita Apostolorum Petri et Odeum atque Organum erat; (nunc vero in absidis lateribus). In hoc situ exstructum est altare SS. Sacramenti.
19. — Ianua per quam olim ad claustrum dabatur ingressus.
20. — Aditus Ecclesiae minor, ad septem triones. Hic a Xysto V porticus (num. 34 distinctae) excitatae sunt, quarum a superiore Pontifices populo deinde benedixerunt.
21. — Porticus « leonina » post absidem, muro clausa.

22. — Locus ubi olim sepulcrum B. Helenae, Constantini matris.
23. — Monasterii claustrum, etiam nunc elegenti structura insigne.
24. — Monasterium Canonicorum Regularium.
25. — Monasterium a S. Pancratio quondam nuncupatum.
26. - 27. — Atrium et porticus oratorii S. Venantii, unde aditus ad Baptisterium.
28. — Oratorium S. Venantii, sive Basilica Theodori, musivis operibus magni momenti quondam ornata.
29. — Baptisterium Lateranense. (I)
30. — Oratorium Sancti Ioannis Baptistae.
31. — Oratorium Sancti Ioannis Evangelistae.
32. — Oratorium S. Crucis.
33. — Triporticus, quae ante hoc Oratorium exstabat, de qua Anastasius bibliothecarius in *Vita Hilarii PP.*: « Hic fecit Nymphaeum et Triporticum ante Oratorium S. Crucis, ubi sunt columnae mirae magnitudinis quae dicuntur hecatonpenta. Lacus et conchas castriatas duas, cum columnis porphyreticis perphoratis aquam fundentes, et in medio locum porphyreticum, cum concha assirtha in medio, aquam fundentem, circumdatam a dextris vel sinistris. In medio cancellis aereis et columnis cum fastigiis, et epistyliis undique ornatum ex musivo, et columnis Aquitanis et tripolitis et porphyreticis ».
34. — Recentes Xystinae porticus.
35. — Conciliorum aula in patriarchio.
36. — Interseptum sive diaphragma, ubi tres aderant ianuae quae Sanctae dicebantur, e palatio Hierosolymitano Pontii Pilati transvectae, ut antiqua fert traditio, « per quas non semel Salvatorem D. N. I. Christum Passionis tempore transiisse pia verisimilitudo diu suasit » (1)
37. — Menianum a Bonifacio VIII exstructum ad benedictionem populo impertiendam; quod ab ipso Pontifice nomen retinuit.
38. — Palatii Lateranensis deambulacra.
39. — Oratorium S. Sylvestri, ubi Pontifices peculiares caeremonias peragebant.
40. — Situs ubi Scalae sanctae exstabant.
41 - 42 - 43. — Scalae et porticus Lateranensis palatii.
44. — Vestibulum ante Oratorium *Sancta Sanctorum*.
45. — Oratorium S. Laurentii sive *Sancta Sanctorum*, peculiare Pontificum sacellum. In eodem (nunc proprio aedificio distincto, ab Lateranensium aedium globo segregato, quo etiam *Scalae Sanctae* translatae sunt) teste Panvinio, altare erat, sub quo diu iacuerunt Apostolorum capita; et adhuc asservatur antiquissima SS. Salvatoris imago, quam *acheropitam* dicunt, multis iisque pretiosissimis ornamentis aureis, argenteis gemmeisque corusca.
46. — Triclinium, vulgo Leonis III, « maius super omnia triclinia », cuius absidis musivum opus adhuc conspicitur.
47. — Oratorium S. Nicolai, ubi sacra Pontificum indumenta et supellectilia ad sacra peragenda custodiebantur.
48. — Interior pontificia domus.

Bonifacius PP. VIII ex meniano Lateranensis patriarchii lubilaeum an. MCCC iudicit. *(Iotti tabula in Lateranensi basilica adhuc asservata).*

(1) Cfr. eius figuram in *Voce Urbis* huius anni n. 1, pag. 9.

(1) Ciampinus, l. c.

49. — Novi Lateranensis palatii exstructiones, a Xysto V inchoatae.
50. — Turrium Annibaldensium locus.
51. — Vestigia et situs Pontificiae bibliothecae.
52. — Via ad portam Capenam (hodie S. Sebastiani).
53. — Monasterium B. Bartholomaei et Andreae, ab Honorio I, saec. VII fundatum, deinde in Xenodochium conversum.
54. — Via ad amphitheatrum Flavium (hodie vulgo *di S. Giovanni in Laterano*).
55. — Via ad Liberianam basilicam (hodie vulgo *Merulana*).
56. — Locus ubi olim erat Dataria et habitationes Pontifici inservientium.
57. — Aquaeductus Claudii.
58. — Locus statuae equestris M. Aurelii Imperatoris.

I. F.

COLLOQUIA LATINA

Silentium et attentio [1]

SIGISMUNDUS. — Dupliciter peccatur in gymnasio quotidie, ab aliis hoc, ab aliis illo modo.

CAELESTINUS. — Quae sunt ista peccata?

S. — Confabulari, et praeceptori non attendere.

C. — Qui prius designant utroque tenentur.

S. — Ita prorsus existimo. Verum qui aliud, alibi oculis curiose divagantur, pingunt animalia, equites, stultos, libellos ineptos legunt, chartas et scamna conscindunt, illi in posteriore genere culpam castigabilem committunt.

C. — Vere dictum sentio, et novi quorum ista est consuetudo.

S. — Tu ipse unus de illis es.

C. — Egone?

S. — Ita; nae.

C. — Falso hoc in me vitium confers.

S. — Mentiri non est meum.

C. — Attentissime audio.

S. — Non semper.

C. — Quando eorum quae tu commemorasti aliquid ago, quasi si quid per transennam inspicerem, et levi brachio id fit.

S. — Ut elevat hic peccatum suum!

C. — Haud elevo; ut loquor, ita res.

S. — Quin est quando sermunculos seres cum proximis.

C. — Demiror tantum tibi esse otii a rebus tuis, ut aliena cures.

S. — Tam sine pudore id perpetras, ut non possim non notare: videret vel caecus, audiret etiam surdus.

C. — Vicissim te captabo.

S. — Capta, non capies tamen. Sed, extra iocum, desiste, si te amas, ab huiusmodi virtutibus, et noli cum te ipsum privare tantarum utilitatum fructu, tum alios impedire.

C. — Quos alios impedio quum tenuissimo sono loquar?

S. — Qui propius tibi assident dextra, sinistra et a tergo.

C. — Apage cum superstitiosa ista religione tua.

S. — Amico monenti volens obsecunda, ac bono tuo consule; alioqui coactus, non mihi, sed magistro.

C. — Adeo infanda haec tibi peccata videntur?

S. — Magna procul dubio suo in genere. Nam quid indignius et gravius in schola delinqui possit, haud video.

C. — Nisi aut ego mutus fiam, aut tu obsurdescas, difficile pax inter nos erit.

S. — Tu considera quorsum eas, et quid tibi futurum sit. Auceps quando concinnavit aream, effundet cibum; aves assuescunt; saepe edunt; semel si sunt captae, rem solvunt aucupi.

C. — Intelligo parabolam. Opere maximo dabitur opera, ne fraudi sit hoc aucupium.

(1) Ex opere IACOBI PONTANI cui titulus *Progymnasmata Latinitatis* passim retractavit I. F.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. D. N. Pii PP. X litterae in forma «Brevis», quibus Purpuratus Pater ad sollemnem commemorationem Antonii Friderici Ozanam, Lutetiae Parisiorum habendam, tamquam Pontificis Legatus mittitur.

Venerabili Fratri Nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Vannutelli Episcopo Praenestino

PIUS PP. X

Venerabilis Frater Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod propediem, exeunte saeculo, ex quo Antonius Fridericus Ozanam hanc lucem aspexit, Societas Vincentiana, ut accepimus, sollemni commemoratione celebrare virum parat, Nos equidem probamus vehementer tale propositum, libentissimeque facturi sumus, ut illa ipsa sollemnia Nostrae dignitatis accessione amplificemus. Etenim cum iustum arbitramur eius ornare nomen qui profecto in illustranda et scriptis et factis salutari virtute fidei catholicae aetatem omnem, heu non ita longam, comsumpsit, ut inter praeclaros christianae sapientiae vindices ponatur; tum vero nolumus occasioni deesse, quae datur, testandae rursus propensissimae voluntatis Nostrae erga illud Opus quod *conferentiarum* dicitur, cuius hic iure primarius conditor habetur. — Nam consociatio id genus - quae cum ad christianam caritatem tota speetet, nomine patrocinioque recte utitur Vincentii a Paulo - quis non miretur quam brevi tempore quantaque cum utilitate communi se usque quaque propagarit? Vixdum eius hic noster cum paucis eius-

dem animi virtutisque sodalibus semina iecerant, alte radices egit, atque opinione celerius tamquam in celsam arborem patulisque diffusam ramis excrevit; ut consentaneum ceteroqui erat ingenio nationis Gallicae, qua quidem ad Religionem promovendam nihil actuosius, aut uberius. Eademque nunc late per terrarum orbem magno est usui non solum multitudini egenorum, quibus tum ad hanc vitam tum ad aeternam bona adiumenta suppeditat, verum etiam sociis ipsis, quos commode per varia christianae misericordiae munia ad omnem sanctimoniam exercet. — Haec reputantibus Nobis satis superque est causae, cur nos in primis ista participemus sollemnia, optemusque ut honoribus habendis meritissimo viro simul operis eius notitia apud homines atque studium crescat. Ac sane in tanta perturbatione rerum omnium, quantam vel doctrinarum fallacia vel cupiditatum licentia creat, optimi civili societati consulatur, si, quotquot christianam ipsius disciplinam curae habent, Ozanam et magistrum sequantur et ducem. Itaque maiora semper a Deo Societati Vincentianae incrementa precanda sunt, ut saluberrima sui auctoris instituta longe lateque usque in ultimas oras possit extendere. Iam vero, cum in generali coetu, quem apud summum Consilium delecti *conferentiarum* habituri sunt Parisiis, velimus esse qui haec animi Nostri sensa exponat, nullum videmus aptiorem cui hoc mandemus officii, quam illum S. R. E. Cardinalem, qui vicesimum iam annum Societatis huius apud Apostolicam Sedem patronum agit, particeps studiorum eius coeptorumque fautor perdiligens. Quare te, Venerabilis Frater Noster, Legatum Nostrum mittimus, qui, quae his litteris tibi significavimus, in eo coetu verbis Nostris exprimas. Idem generali Consilio ac ceteris, quos una conventuros diximus, universis etiam, quos Societas Vincentiana vel habet sodales, vel iuvat pauperes, atque omnibus de Clero populoque claris viris, quicumque ad haec sollemnia honestanda contulerint aliquid, Apostolicam Benedictionem, auspicem divinorum munerum, afferes; quam tibi primum, Venerabilis Frater Noster, amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, ipso die sollemni Paschae, anno MCMXIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Decretum de privilegio Officii Divini iuxta veterem psalterii ordinem recitandi.

Edita Constitutione apostolica *Divino afflatu*, de nova Psalterii in Breviario Romano dispositione, non pauci ex iis quos obligatio tenet persolvendi Horas canonicas, ob peculiares causas, impetrarunt pontificium indultum retinendi veterem. Quum autem exortum subinde sit dubium num qui eiusmodi indultum obtinuerunt possint ad libitum sequi alterutrum Psalterii ordinem, adhibendo nempe modo veterem modo novum iuxta propriam cuiusque commoditatem, S. Congregatio Concilii, de speciali mandato SSmi. D. N. Pii divina providentia PP. X, declaravit atque decrevit id non licere, sed omnes et singulos cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis, qui impetrato, prout supra, indulto uti velint quotiescumque privatim Officium divinum persolverint, debere recitare pro singulis Horis omnes psalmos et reliqua prout distribuuntur in Breviario Romano a S. Pio V edito et a Clemente VIII, Urbano pariter VIII, et Leone XIII recognito, servato tamen quotidie novo ordine sive kalendario iuxta praedictam Constitutionem apostolicam et regulas seu rubricas eidem adiunctas praescripto pro dioecesi, capitulo seu clero cui quisque est adscriptus, ac firma abolitione indulti generalis dati die 5 Iulii 1883 pro Officiis votivis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

(D. x mens. Martii MCMXIII).

Ex Congregationi Consistoriali.

Monitum de peregrinatione ad Constantiniana solemnia alumnorum ex Seminariis.

Quum in aliquibus Seminariis agatur de mittendis Romam aliquot alumnorum manipulis ut vice totius Seminarii partem cum ceteris peregrinis habeant in solemniis saecularibus de Ecclesiae pace, beatissimus Pater, etsi filiorum coronam in spem Ecclesiae adolescentium magna cum laetitia conspiceret, sciens tamen hoc fieri non posse sine aliquo detrimento spiritualis illius recollectionis, quae tam magni momenti est in clericorum institutione, hortatur omnes ut hoc consilium deponant, potiusque apud se in fervore spiritus pro Ecclesia enixe Deo preces effundant. Ipse vero alumnos omnes praesentes habens benedictione apostolica confirmat amantissime.

(D. XXX mens. Martii MCMXIII).

Ex Congregatione S. Officii *(Sect. de Indulgentiis).*

De qualitate Missae ad Indulgentiam Altaris privilegiati lucrandam.

Ad Altaris privilegiati, quod vocant, Indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub poena nullitatis requiritur, Missam de requie aut de feria vel vigilia cum Oratione defuncti propria celebrari; id tamen laudabiliter fiat, quum licet ac decet, pietatis gratia erga defunctum.

(Ex decr. d. XXI mens. Febr. MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

De Missis votivis B. Mariae Virginis ex privilegio recitandis, dubia.

I. — Utrum infra octavas festorum atque in ipsis festis B. Mariae Virginis, etsi de eis sola commemoratio vel nulla commemoratio in Officiis classicis fiat, praefatae Missae, iam concessae, debeant esse votivae, an potius festivae, de festis vel octavis, et quidem cum *Gloria* et *Credo*? — *Resp.* Negative ad primam partem

et affirmative ad secundam, iuxta alia decreta ac decretum generale n. 3922 *De Missis votivis* 30 Iunii 1896, ad V, n. 1 et 2.

II. — An in vigiliis, saltem commemoratis, festorum eiusdem beatae Mariae Virginis, enunciatae Missae debeant esse de vigilia, sine *Gloria* et *Credo*, cum orationibus iuxta rubricas et decreta? — *Resp.* Affirmative.

(Ex decr. d. XVII mens. Maii MCMXII, rel. in *Acta Apostolicae Sedis* d. XXXI mens. Martii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMXIII).

De recenti morbo SSmi. D. N. Pii PP. X.

Die VII mens. Aprilis MCMXIII SSmus. D. N. Pius PP. X — quem morbus, cui ab *influentia* vulgo nomen, aliquot ante diebus invaserat; ipse vero, qua est summi magisterii sollicitudine, parum curaverat — vehementius atque improviso ab ipso morbo repetitur, unde thoracis laeva pars offenditur. Aetas venerandi senis, magis quam aegritudinis vis, catholici orbis animos omnes commovet atque perturbat; qui supplici voce a Deo una postulant, ut Patrem sanctissimum tamque dilectum filiorum pietati sospitem quo citius restituat, incolumemque diu servet in aevum. Quibus votis annuens benignus Omnipotens, Summi Pontificis valetudinem iam confirmare dignatus est, qui sese in dies firmius recolligit; quod Ipsi universisque Christifidelibus felix, bonum faustumque siet!

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Oettingen Spielberg, Princeps, eiusque uxor; Czartoriyska, Princeps foemina; peregrinorum manus ex Gallia atque ex Italis dioecesibus Mediolanensi ac Mantuana, a Purpurato Patre Andrea Ferrari, archiepiscopo Mediolanensi, coram adductorum.

Peregrinorum adventus in Urbem.

Indicto Universali Iubilaeo ad pacem celebrandam Christi ecclesiae abhinc saecula XVI a Constantino Magno per Mediolanense edictum attributam, coepit peregrinorum adventus in Urbem, qui ob Summi Pontificis aegritudinem a Purpurato Patre Raphaële Merry del Val, a Secretis Status, Eius nomine excepti ac salutati sunt.

Per Aprilem mensem ii fuerunt ex dioecesi Labacensi; ex Rhaetia; ex societate catholicorum militum in Batavia; ex Italica Subalpina regione; ex Berolinensi foedere Opificum Catholicorum; ex Polonia; ex Piceno; ex Belgica societate diurnariorum catholicorum; ex Sodalitate Catholicae Iuventutis in Anglia; ex foederatis ferriviarum operariis in Batavia; ex dioecesi Cameracensi; ex nordica America, etc.

Pontificiae electiones.

Purpuratus Pater Basilius Pompili, Cardinalis Urbis Vicarius renunciatur.

— Purpuratus Pater Dominicus Ferrata, Praefectus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, Archipresbyter Lateranensis basilicae eligitur.

ANNALES

Balkanicum discrimen.

Civilium rerum magister ille sagacissimus Palmerston dicere solitus erat, de Orientalibus populis id unice praevideri posse, nihil posse praevideri. Atqui huiusmodi iudicium a veritate minime aberrare, ex recentibus quoque de Balkanica quaestione eventibus innotuit. Dum enim magnarum Europaearum civitatum administris auctoribus, qui pacis interpretes accesserunt, induciae Bulgaros inter atque Turcas constituuntur, quarum causa ad Ciatalgia et Bulair fines tormenta bellica tandem aliquando tacent; dum Graeci, Ianina urbe atque omni fere Epiro occupatis, reapse arma deposuisse videntur; Serbia denique milites suos ex Scodrae obsidione retrahit, quae urbs Albanorum novo regno addicenda foret, Nicolaus, Nigri Montis rex, hisce ceterarum Europae nationum decisis proterve resistit, spernitque earum promissa, futurum ut huius privationis sacrificium pecunia aliisque territoriis aeque ipsi rependatur.

Itaque, suasionibus frustra adhibitis, ad coercitionem ventum est, navesque in Superum mare missae, quae Orientales oras custodirent. Ecce autem ex improviso nunciatur Scodra urbs post novam obsidentium vim in istorum fidem atque potestatem sese permisisse; paulo post vero palam fit, postremum impetum fictum fuisse, atque urbis illius occasum non aliunde ortum esse, quam ex secreta Nigri Montis pactione cum Essad Pacha, oppidi propugnatore, inita, qui, proditor suorum, se Albanicae novae civitatis regem dicit, Scodrae urbis possessionem in favorem Montis Nigri renuntians, statumque rebellionis inaugurans, periculorum maxime plenum illis praecipue Europae nationibus, quae peculiares suas rationes tuendas illic habent: Austriam dicimus atque Italiam. Quid inde? Licebitne impune hisce sibi per vim providere si administrorum coetus Londini iamdiu congregatus haud opportunum reputabit, rem alterius imperio delegare, ut ea quae unanimi sententia decreta sunt ad effectum adducantur? Numne - quod Deus avertat - per Europam omnia videamus iri permixtum?

⁂

Italorum in Lybia progressus.

Mense qui praeteriit Itali progressionem in Cyrenaica constanti erectoque animo aggressi sunt, ita ut viginti vix diebus illius regionis loca omnia occidentem versus in certam veramque ditionem suam prope sine sanguinis effusione redegerint. Ptolemaidis in litore appulsi, ad Merg colles processerunt, Arabumque manu, iis resistere conante, fusa atque fugata, ulterius procedebant, Arsinoem

usque; quum alia agmina Bengasi ex urbe profecta, hinc Coeffiam, Sidi Califam, Hoebiamque occupabant, inde Benina, Regima montem, Bu Mariam, El Abiar. Denique exercitus huiusmodi partes inter se feliciter et cum incolarum quiete coniunxerunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** George, Imperii cancellarius, de felici tum civitatis tum commerciorum reditu fuse et cum plausu disseruit.

In **Argentina republica** Robertus Pinero aerarii praefectus, Perez doctore a munere sese abdicante, suffectus.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** Wilson, novus rei publicae praeses, primum sui imperii nuntium ipse populi oratoribus legit, atque portorium regimen ita immutandum esse edixit, ut liceat nova foedera cum Europae civitatibus inire.

In **Germania** acceptorum et expensarum rationes in examen revocatae.

In **Helvetia** conventio de Gothardo monte tandem rata habita.

In **Hungaria** dissensiones inter gubernatores eorumque adversarios acriores factae, quum tamen non renovati sint excessus, quibus, heu, assuevimus.

In **Russia** acceptorum et expensarum rationes prosperae omnino recognitae.

In **Sinis** primus popularium legatorum coetus congregatus, cui ante omnia erit munus, reipublicae praesidem deligere.

PER ORBEM

Die I mens. Aprilis MCMXIII ex Batavia notum fit, Indicas insulas Siao, Sanghi ac Talaut vehementi terrae motu funditus eversas superiore mense Martio fuisse.

— d. III, Athenis, Georgio, Graecorum regi nefarie interempto, iusta sollemnia summo civium cum luctu persolvuntur.

— d. IV militaris Germanorum dirigibilis quidam aërostatus adverso vento in Gallicam terram appellit, magnam incolis concitationem procurans, falso reputantibus, eum munimentorum speculandorum causa missum fuisse.

— d. V Domodossola ex Italico oppido nunciatur nivium ingens moles de Alpibus devoluta opifices aliquot, in angustiis ad Furcam montes laboribus intentos, obruisse; ceteros, ad ducentorum numerum, in obsidione misere tenere.

— d. VI Nussdorf, in oppido ad Salisburgum, templum atque aedificia triginta duo fortuito incendio absumuntur.

— d. VII ad ferriviae Austriacam stationem Ogulin ex curruum vapore actorum collisu plures humanae victimae lugentur.

— d. XIII opificum desertiones a laboribus per Belgarum omnem regionem fiunt. Vim tamen adhibere militum non est necesse.

— d. XIV Madriti, dum Alfonsus XIII Hispanorum rex, e militum recensione revertitur, a scelesto Catalaunensi quodam homine manuballistula petitur, at fauste feliciter incolumis evadit.

— d. XV per Liburniam omnem foeda tempestas ingentia damna affert.

— d. XVI Chilensi in urbe S. Iacobi, Acevedo aviator in illa civitate primus, ob aëronavis quamdam propulsoris machinae laesionem, a caelo praecipitat ac moritur.

— d. XXIII Eucharisticus annuus omnium nationum conventus sollemni ritu a Pontificis Legato, Purpurato Patre Dominico Ferrata, Melita in insula inauguratur.

— d. XXIV Stabiis nova Italorum loricata navis, cui a C. Duilio nomen inditum, coram Italico rege regiaque domo feliciter in mare immittitur.

In fodinis apud Cincinnati gasii incendium exoritur, in quo horrendam mortem cunicularii octoginta inveniunt.

— d. XXVI Lutetiae Parisiorum centenaria dies ab ortu Friderici Antonii Ozanam sollemniter commemoratur. Conventui praeest Emus. P. D. Vincentius Cardinalis Vannutelli, a Pio PP. X tamquam Pontificius Legatus missus.

— d. XXVIII Olisippone civium manus, ex liberae reipublicae factione, gubernio inimicorum, seditionem movere frustra conatur.

— d. XXIX in Pensilvaniae oppido Monongahela fodinarum nova calamitas defletur, ex qua cunicularii centum viginti quinque mortem heu! oppetunt.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano in an. MCMXIV indicto.

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. IV. Idus Martias in conventu Ordinis Litterarii a iudicibus ita est relatum de XXXVIII carminibus, quae ad tempus ei fuerant tradita.

Tria ad certamen omnino admitti non potuerunt, utpote e variis constantia poematiis, quorum nullum

legitimum implebat versuum numerum. Eorum hi erant tituli: *Aenigmata; Violae; Simplex.* Neque illud quod inscriptum erat *Idyllium*, carmen iam antea ad certamen missum et nunc correctum.

Statim seposuimus ut prorsus hoc certamine indigna carmen inscriptum *De mira ingenii potentia;* carmen cui addita erat sententia, scidulae inscripta: *Iocosae datur hora Musae,* et illud ipsa nocte obscurius cui nomen *Zephyrus.*

Parum placuerunt haec octo, licet in iis aliquae virtutes apparerent: *Votum Sulpiciae, In bellum Turcicum, Navale duellum; De bello Lybico; Ad Lourdensem rupem; Roma fatorum sedes; Nugipolyloquidae; Pediculi.*

Multo magis probabantur XV hace, quae tamen non esse in lucem edenda post aliquam demum decrevimus dubitationem: *Trossulus; Cultor maiorum; Res Sacra Poesis; De cruce Christi triumphante; In columnam memorialem; Heroum; Pax; Materna Corda; M. Valerius Corvus; In obitum Ioannis Pascoli; In feminas ius suffragii appetentes; Mortis hymnus; Suprema Caligulae nox; De nativitate Virginis; Alcaicon.*

Restant octo optima, quae libenter publici iuris faciemus, lectu iucundissima, vera verorum poctarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus ut quo quodque est praestantius eo posterius nominetur: *Vox patriae; Aeriae voces; Duo insontes; Alma quies; Titanicae interitus; Alumnus Virgilii; In funere Ioannis Pascoli; Amaryllis.*

Post aliquam dubitationem quod inter tria carmina, quae hic ultima ponuntur, *(Alumnus Virgilii; In funere Ioannis Pascoli; Amaryllis)* esset optimum, praestare tamen duobus aliis decrevimus *Amaryllida* carmen egregium, tersum, venustum. Hoc aureo ornandum praemio visum. Aperta scidula nomen prodiit *Raphaëlis Carrozzari,* Mediolanensis.

Septem illa, quae proxime ante *Amaryllida* enumeravimus, sumptibus legati Hoeufftiani in lucem emittentur, si eorum poetae nobis ante *Kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo *ante Kal. Ian.* anni proximi mittant ad *Hermannum Thomam Karsten,* Ordinis litterarii Academiae ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum *(typewriter)* adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc *ante Kal. Iunias* fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronunciabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, Kal. Apr. MCMXIII.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE
Ordinis Praeses.

AENIGMATA

I.

Integrum constat, ruptum totiesque fatiscit,
Vel sonitu trepidans allicit auriculas.

II.

Advolat, ignavumque aliena ad pabula currit,
Membraci vultus sive colore linit.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE
IOANNIS LA FONTAINE
latine conversae a FR. XAV. REUSS.

Aenigmata an. XVI, n. II proposita his respondent:

I) Laterna;
II) Malus-Malum.

Ea rite soluta miserunt:

Diomedes Falva, *Constantia.* — P. Prado, *Venetiis.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Petrus Tergestinus. — Iac. Gomez, *Caesaraugusta* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Ladisl. Thyssen, *Dresda.* — Aug. Ricci, *Florentia.* — N. Bianchi, *Augusta Taurinorum.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — Claudius Lucensis. — I. Ortiz, *Morelia.* — Eug. Dolmar, *Chicagine.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Rich. Muller, *Berolino.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Arch. Magliano, *Genua.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Fr. Xav. Ghion. *Ostunio* — F. X. M., *Drepano.*

Sortitus est praemium:

LADISLAUS THYSSEN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS

Xysti V. P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. (Editionem renovarunt Desclée et Soc.).

SOCIIS ET LECTORIBUS MONITUM

Kalendis Aprilibus MCMXIII Societatis Editricis Romanae Urbana Sedes translata est in

VIA DEL TRITONE, 46.

Huc igitur exinde conferatur quidquid VOCIS URBIS administrationem respiciet; quae vero ad redactionem spectant, mittenda semper erunt ad Moderatoris domicilium, VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Ex officina *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

8)

ACTUS II.

Vestibulum internum templi cum foribus in ima parte, qua itur in subterraneum, ubi sunt captivorum custodiae. Circumstant amplae columnae aere compositae.

SCENA I.

DUO MILITES *qui inter se colloquuntur.*

I. MILES.

Ii si Christi fidi sunt discipuli,
Mei quid interest?

II. MILES.

Leges sic imperant!

I. MILES.

Leges, et usque leges! Quid si arbitrariae?
Mali quid ipsi in cives?

II. MILES.

Sunt innoxii,
Nos ipsi cernimus citra malitiam.
Frequentant carceres, ferunt subsidium...
Stipem nec exiguam dant nobis pro munere...

I. MILES.

Canunt hymnos, docent novos et canticus,
Sonant nec unquam dulces Amaryllides.

II. MILES.

Deum sed honorant ipsi quem colunt...

I. MILES.

Deos nos contra colimus turpissimos.

II. MILES.

Pium, bonum, sed illi sanctum prae ceteris.

I. MILES.

Nos adoramus, colimus vel stercora!

II. MILES.

Nemo nos torquet, nemo dat molestiam.

I. MILES.

Premunt hi carceres, vocant Pontificem,
Ab ipso postulant modo licentiam
Eum tuendi!

II. MILES.

Parvula est custodia,
Sunt pauci et milites; sic possent liberum
Reddere!

I. MILES.

Sed ipse?

II. MILES.

Vetat, vult in carcere
In vinculis mori suo pro Numine.

I. MILES.

Mirum! Quid accidet nostri si perderent?
Quid imperator bello si recederet?

II. MILES.

Erant et multi christiani milites!
At ipsi ad arma cursitant, et alacres
Gerunt in bellis martiales spiritus,
Ut ipsi in bello rem suam defenderent.

I. MILES.

Tibi sed pectoris pandam nunc depositum
Modo secretum dixi quod servaveris?

II. MILES.

Quid est quod verbis dicas tam solemnibus?
Tacebo, furcifer, tacebo! Dic admodum.

I. MILES.

Eram mox custos ad theatrum positus
Marcelli, mille pressus sed angustiis,
Quidam cum venit, traxit qui me clanculum
Et paucis verbis, pluribus sed gestibus,
Placet, dixit, tibi magna vis pecuniae?
Quid ni? Sed quibus, dixi, conditionibus?
Habesne Mitrae templi tu custodiam?
Quid ad te? dixi. Eiusne tu decuriae?
Quid hinc? Habebis auri magnam copiam,
Si,.... - Quid? - Dummodo deferas si chartulam[a]
Puero captivo, Aniciorum filio,
Qui nominatur, ni fallor, Octavius.
Ei libenter postulanti assentio.
Ecce marsupium, vides et chartulam.

II. MILES.

Quid autem legitur? Caveto, tragula
Ex improviso tuum ne frangat caput.

I. MILES.

Lubet videre?

II. MILES.

Perlubet! Quis scit an exeat
Fortuna nostra, quasi Deus ex machina?

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Iunio MCMXIII. Num. VI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De syllabi PII PP. X propositione VIII.
Quid itali ab Horatio mutuati sint, quidque de eius carminibus censuerint, breviter inquiritur.
In columnam memorialem.
Numismatum collectoribus.
De leone XIII P. M. Commentarius. — V. Beneventum legatus mittitur. — VI. Perusii moratur. Nuncius apud Belgas renunciatur.
Crux Ruthwelliana.
Colloquia latina. Armorum scholasticorum coemptio.
Paroemiae sive Adagia. Non tam ovum ovo simile. — Zonam perdere. — Ars multa vulpi, ast una echino maxima.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione de disciplina Sacramentorum. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Peregrinorum adventus in Urbem. — Pontificiae electiones.
Annales. Pax de Balkanicis composita. — Parvum Italorum in Lybia discrimen.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Librorum recensio. (C. Assumma).
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romam.

DE SYLLABI PII PAPAE X
propositione VIII

Ex Romanae Ecclesiae historia scimus, Romanorum Pontificum, uti Leo XIII scribit, (1) « hoc caput, summamque semper fuisse, assidue vigilare atque omni ope contendere, ne quid integritas Fidei morumque christianorum detrimenti caperet ». Ex experientia scimus rursus, contra integritatem Fidei morumque christianorum nihil perniciosius esse quam *prave scripta* in vulgus disseminata; ob eamque rem Romani Pontifices in id perpetuo studuerunt, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberent.

Nonne, uti monumenta litterarum testantur, Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I, Pelagii; Leo Magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere? Nonne, aetatum decursu, Monothelitarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros sententia apostolicae Sedis confixit? In iure integritatem Fidei morumque christianorum servandi causa, S. Indicis Congregatio, eiusdemque Congregationis vigilantia fundantur.

Recitata breviter Sacrae Congregationis Indicis historia, Modernistarum error a Pio X merito damnatus in Syllabo *Lamentabili sane*, circa eiusdem Congregationis proscriptiones, reprehendetur.

***

Ab initio Ecclesiae, maiores difficilioresque controversiae ad Sedem Apostolicam propter suam principalitatem deferebantur, Romanique Pontifices, habito presbyterorum consilio, vel romanis conciliis collectis, omnia per semetipsos dirimebant. Verum, crescente controversiarum rerumque agendarum copia, saeculo XII, coetus Emorum. Cardinalium ipsis Romanis Pontificibus magni fuit momenti in gubernium Ecclesiae; hinc speciales Cardinalium Commissiones prodiere. Speciales huiusmodi Commissiones progressu temporis, gradatim et lente ad Romanarum Congregationum originem atque constitutionem viam sternunt. Congregationes istae iam a saeculo XVI exstant, et Paulus III S. Officii Congregationem instituit, dum Xystus V ad ecclesiastica negotia solvenda novas quindecim Congregationes condit. Saeculis successivis, Clemens VIII, Gregorius XV, Urbanus VIII, Clemens IX, Pius VII, iam exstantibus novas addiderunt Congregationes. Hisce Congregationibus denique, Pius IX, Leo XIII, et Pius X, nonnullas reformationes contulerunt. (1)

Contra libros fidem moresque impugnantes, vel per *Litteras*, vel per *Decretales*, vel per *Sententias* speciales ab initio Romani Pontifices insurrexerunt. Saeculo vero decimo quinto, comperta, scribit Leo XIII, (2) arte nova libraria, magnum, prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum.

Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent. Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malorum haereseon prohibere contagia. Idcirco Leo X, posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, nec retinere Lutheri libros fas esset. Quum vero perniciosorum librorum impura colluvies crevisset, novum remedium Paulus IV adhibuit, dum scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret, elenchum proposuit. Tridentinae Synodi Patres, novo consilio pravos libros legendi licentiam coercendam curaverunt eorumque iussu Theologi et Praesules Indicem et elenchum Pauli IV auxerunt et perpoliverunt, *Regulasque* tum in editione cum in lectione librorum servandas conscripsere; quibus regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

(1) Const. Apost. « Officiorum » VIII kal. Febr. 1897.

(1) Cfr. *Dictionnaire Apologetique*, fasc. III, pag. 863.
(2) Litt. cit.

Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV iuxta temporum necessitates urgentiores, nonnulla quaedam hisce regulis addere decreverunt, dum Pius IX Indicis *Regulam decimam* magna mitigavit ex parte. Denique septimo kalendas Februarias anno millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, Leo XIII, per Apostolicam constitutionem *Officiorum et Munerum*, Decreta Generalia de *Prohibitione* et *Censura* librorum edidit.

***

Absque dubio S. Congregationis Indicis decreta, quibus aliquorum auctorum libri proscribuntur disciplinaria sunt, atque in Decreta *generalia*, et *particularia* specificari possunt. Generalia dicuntur, si pro Ecclesia universali fuerint edita, ac formulis : *Urbis et Orbis*, vel *in omnibus observanda* Ecclesiis expressa ; particularia vero, si particulares controversias individuarum personarum dirimant. Palam est generalia decreta vel Romano Pontifice consulto, vel ex speciali eius mandato, aut approbatione publici fieri iuris.

Circa S. Congregationis Indicis decreta generalia, duo inter alios habentur errores. *Primus* est eorum error, qui non verentur asserere, decreta haec, non pro omnibus, sed pro quibusdam catholicis regionibus tantum valere : *secundus*, error Modernistarum, qui « venenatis imbuti penitus doctrinis, omni posthabita modestia animi » docent esse ab omni culpa immunes qui decreta Congregationis Indicis parvi pendant.

Primus error per verba Leonis XIII damnatur, dum in citata Constitutione legimus (1) : « Libri ab Apostolica sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma ». Modernistarum error proscribitur :

a) ex auctoritate. — Pius IX (Epist. Encycl. *Quanta Cura* 8 Dec. 1864) (2) scribit : « Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt, illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ad disciplinam spectare declaratur, dummodo Fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura ». Leo XIII (3) ait : « Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum ».

b) Ex motivis theologicis. — Absque dubio membra omnia Ecclesiae Christi ad leges ab eadem Ecclesia latas observandas tenentur, ita ut non sint a culpa immunes catholici eas parvipendentes. Decreta vero S. Congregationis Indicis, quum universalia sint, pro tota Ecclesia vim legis obtinent, ideoque a culpa excusari nequeunt qui eadem decreta nihili faciunt. Praeterea, si per *Bullam* Clementis XI « Vineam Domini » (die 16 Iulii 1705) (1) reprehenduntur qui decisionibus S. Sedis tenent esse adhaerendum « tacendo » *silentioque obsequioso*, multo magis reprehensione digni sunt, qui S. Congregationis Indicis nihili faciunt.

Merito propterea Pius Papa X damnavit propositionem 8am in *Syllabo* « Lamentabili sane exitu » contentam, quae ita sonat : « Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis latas nihili pendunt ».

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) Tit. II, c. 4, n. 45.
(2) Denz., 1547.
(3) Constit. iam cit. Tit. II, c. 4, in fine.

(1) Denz., 1317.

QUID ITALI AB HORATIO MUTUATI SINT QUIDQUE DE EIUS CARMINIBUS CENSUERINT

BREVITER INQUIRITUR

Operae pretium est, ut mihi videtur, vel per otium et quadam animi causa interdum inquirere, quid ab optimis et veteribus scriptoribus mutuati sint qui paulo ante renatas litteras floruerint auctores, vel qui inde ab illo, ut ita dicam, instaurationis doctae antiquitatis prodigio per saecula manaverint, decus gloriamque optimarum artium studiis daturi. Illud enim iuvat prae oculis habere, quum tanta esset ingeniorum voluntas et quasi certatio sese recta coniungendi cum praestantissimis illis auctoribus, quorum vim et mentem et afflatum crederent referre, nulla ope impediri posse quo minus eorum cogitationes, sensa, praecepta, quidquid denique carminibus cecinerint vel prosae orationis luminibus exornaverint, plus minusve suo stilo obumbrarentur. In quo non solum summus erat amor, sed etiam summa laus ponebatur, quippe quum haud dubio sibi decori vertendum esse putarent, quod hereditatem captam strenue tuerentur augerentque. Potest autem fieri ut, facile auctoris cuiusdam arte, vel potius lenociniis, decepti, primis labellis attingentes pro inventionis felicitate et novitate accipiamus quod paulo post, re accuratius perpensa altiusque repetita, ex aliquo vetusto fonte depromptum fateri necesse sit : non idem est verborum nexus, non idem sententiarum apparatus, non idem cogitationum orbis; atqui sub varietate rerum nescio quid latet quod abhinc iam multis saeculis sensum expressumque fuit!

Quae hucusque diximus, penitus et proprie ad vim scriptorum pertinent; sed altera causa est cur haec investigatio sit diligentius promovenda. Nam, si magis magisque in dies vel ab optimis quibusdam viris acerbe in litteras antiquas invehitur, ecquid erit efficacius ad eorum iniurias repellendas vituperationesque funditus diruendas, quam aperte ostendere nunquam per saecu-

lorum intervallum Graecitatis atque Latinitatis cultum intermissum esse, nunquam doctae antiquitatis radices, si ita potest dici, siccatas, immo vero ex eo velut vetusto trunco novas gemmas, novas frondes, novos recentesque ramos germinasse?...

Fuere autem ex praestantibus scriptoribus antiquis qui paene diu neglecti iacerent: etiam res litteraria gustatu non caret, et temporibus quoque inserviendum est! At contra nonnullos alios videmus qui magno sunt in honore penes doctos, quique eis multas ex suis cogitationibus iisdem fere verbis suppeditant, ne dicam subiciunt; adeo ut passim invaleat consuetudo sese in eius cognomentum adsciscendi, quem quisque in summis deliciis ac sibi fere propositum exemplar habuerit. Nonne paulo post renatas litteras floruerunt et *Claudiani* et *Lucretiani* et *Ovidiani* et *Vergiliani*, ii scilicet qui unumquemque scriptorem quum sibi proposuerint imitandum, in id unice intenderunt, ut eius stilum, verba, imagines de industria redderent, eiusque scribendi genus tanquam vestem sibi, quantum possent, aptarent? Hinc efficitur, ut saepius et scriptoris veteris sententiae reddantur, et apparatus quoque rei metricae extrinsecus renovetur. Nam, quantum ad melica pertinet, ad illius modi scilicet carmina quae interiores scribentis sensus prae se ferunt, quotquot modos numerosque latina poësis expresserit, instaurare commodum est.

Neque vero conamen hoc illos tantum amplectitur, qui latine, vulgarem sermonem aspernantes, tantummodo scribant; sed etiam large copioseque ab eis quoque adhibetur qui versibus italicis cogitationes commotionesque suas committant. Ecquis enim oblivisci poterit magnam olim esse factam ingeniorum contentionem, ut metra, quae barbara advocantur, restituta sint? Quae omnia neminem latent, vel qui summatim italicas litteras attigerit...

***

At tempus est ad id quod propius ad argumentum propositum spectat, venire.

Pervolvi, diebus hisce, librum accurate conscriptum, de studiis circa Horatium Flaccum in Italia a saeculo XIII ad XVIII. (1) Egregius eius auctor complura edidit de re litteraria latina specimina critica, in quibus acumen, prudentiam consilii, scientiae pervestigationem ac doctrinam inter se mire connexa admiramur. Liber autem, de quo agimus, harum virtutum testimonium luculentissimum affert. In XVI capita materies distributa est. Pauca praemittuntur in quibus, ut par est, disputatur philologiae esse inquirere quantum vetus ac praestans scriptor ad aliorum scriptorum mores et stilum doctrinamque formanda perpoliendaque contulerit; quod vere munus, etsi arduum, non caret praeceptis...

Ita videmus, ab ineunte saeculo XIII, quantum in Horatio perlegendo Franciscus Petrarca elaboraverit, quae praecepta ex eius carminibus in suam rem deri-

(1) Gaetano Curcio. — *Q. Orazio Flacco*, studiato in Italia dal secolo XIII al XVIII. — (Catanae, edid. off. Francisci Battiato, 1913).

vaverit, quid denique illi debuerit ad suos generosos animi sensus excolendos. (1) Raro Boccaccius in suis operibus eruditis Horatii mentionem facit, ut raro illius meminerunt qui in «*Studio*» florentino, bononiensi, patavino litteras professi sunt, praeter Coluccium Salutati, qui ad suum dicendi genus exornandum haud parum a Venusino sumpsit. Verum, usque ad id tempus, Flacci carmina nullo fere in honore sunt et in pretio. Postea, res mutant in peius: quod si Victorinum e Feltria excipias, qui famam poëtae ab oblivione hominum litteratorum atque a silentio vindicavit, non defuere qui vellent optimae Latinitatis lectio scriptoribus rerum ecclesiasticarum cederet, ita ut si qui latini auctoris versus occurreret, paulo immutatus *ad rem ecclesiasticam* transferretur... (2)

Qui vero humanitatis studia profitentur in «*Studio*» florentino, vergente saeculo XV, inter quos ob ingenii merita primus est recensendus Angelus Poliziano, magna cum diligentia Horatium interpretantur et peropportuna commentaria in eius scripta componunt; quae adeo prae manibus evolvunt, ut Ambrogini illud carmen ad episcopum Gentile potuerit exarare, quod merito cum optimis horatianis coniungere fas est: tantum auctor *Miscellaneorum* in veterem poëtam incubuit, ut multa eius in rem suam convertens, nova fere imagine signaverit!

Neque in hac studiorum horatianorum contentione Florentiae urbi cedit Ferraria. Nam si alii alios poëtas imitantur, eadem paene verba conantes reddere, en Ludovicus Areostus qui poëtico furore percitus, exemplo sumpto ab Horatio, in eius morem contexit versus, praesertim qui ad rem amatoriam vel bucolicam vel epicuream pertineant. Vix viginti duos annos natus, inter blanditias voluptatesque aulae versatissimus, quippe quae se decoraret luxuriae omni quaque solertia atque deliciis affluret, ecquid mirum si illa aetate pravis animi contentionibus indulgeret, ac totus pulchritudine incensus beateque vivendi otia contemplans, hos animi sensus in carmina transfunderet? Quod si poëta ferrariensis frequenter Horatii vestigiis insistit, haud raro autem Catullum exprimit effingitque, praesertim in eo quod ad blandula epitheta exornantia attinet. In suis vero satiris bene egregieque vim et spiritum Flacci reddit, idem ingenii acumen sapit, scilicet modice per ridiculum dicendo, eamdem perscrutandi peritiam, eamdem denique artem sententiis praeceptisque fabellas festivas hilaresque nectendi.

Neapoli autem, etsi per id tempus Academia ad litteras renovandas ab Antonio Beccadelli instituatur, quae postea, summum decus ac splendorem nacta, *Pontaniana* denominata est, scilicet ab Ioanne Pontano, qui multum

(1) « *Orazio contribuì anche, e fortemente, ad alimentare nel carattere di Fr. Petrarca, se non ad infondere, nobili sensi..... il sentimento dell'amicizia e quello della gloria..... Senza Orazio, egli non avrebbe trovato nella poesia latina un posto formato al sentimento dell'amicizia secondo i dettami ep.curei...* » (Loc. cit.).

(2) Gregorius Corraro, ex. gr., haec inter alia habet: « Et ego ipse

Gentis humanae Pater et Redemptor

sumpsi ex carmine Horatii paululum immutatis, ut Christum significantius denotarem. Atque utinam hoc exemplo cetera fecissem! »

in ea promovenda atque illustranda elaboravit, vix paucos reperias qui Horatium in deliciis habuerint eumque exprimere effingereque nisi sint. Namque praestantiores elegantioresque Academici Catullum ac Vergilium praeferunt, eosque in exprimendos omnem operam atque curam impendunt. Haud multo post, sub Pontanianae auspiciis, academia *Consentina,* velut novum litteratorum collegium, conditur; sed hic horatianum sidus pallidula luce micat: Ianus enim Parrasio, conditor et instructor eius, *Artem Poeticam,* notis additis, explanat, et Antonius Telesio, summi philosophi patruus, quem ipse accurate erudiit, Romae in Gymnasio, haud multa cognitione ac ratione litterarum, legenda explicandaque carmina Horatii suscepit.

In primo dimidio saec. XVI, quum magna lis inter *Ciceronianos Anticiceronianosque* exoritur et artes ingenuae ad cognoscendam antiquitatem se applicant, studia critica in Horatium coepta sunt fieri atque editiones cum scholiis nonnullorum curantur, ut *Aldina, Giustina, Ascensiana,* quae Italiae fines excedunt peregreque magno in pretio sunt. Venetiis per idem fere tempus Horatius summo amore excolitur; nam poëma melicum in quo Veneti se exercent, ad normam atque regulam horatianam renovatur; quique autem latine scribunt, ut Ioannes Cotta, ille scilicet iuvenis doctissimus qui immaturo funere extinctus est, A. Navagerus, Ieronimus Amaltheus M. A. Flaminius, horatianum quidquid sapiunt.

Non desunt hac aetate conversiones vel carminum, vel epistularum, vel sermonum, imitationesque italicae et latinae, plus minusve liberae. At saeculo insequente Horatii fortuna mutat, et fere dici potest eius sidus ad occasum vergere; vis enim horatianae poësis non recte intelligitur, per allegoriam fit critica, Pindarus adamatur, eoque insulsitatis nonnulli perveniunt, ut impune affirmare possint, Horatium unicum apud latinos lyrici carminis lumen foedis moribus poëticae gloriam obscurasse! Verum, ex hoc numero secludendi sunt Io. Chiabrera et F. Testi, qui magnopere adnisi sunt venam quamdam verae poësis in suos versus infundere: tali modo, post dulciculas *Arcadum* nugas canoras, quae litteras lente inquinatas labefactaverant, itala poësis, ad Horatii imitationem se flectens, revirescit ac novis frondibus exornatur. Quum autem non desint qui optimo sane iudicio cum optimis vetustatis exemplaribus se coniungant, en mirificum, ne dicam monstruosum, Loreti Mattei conamen, qui id sibi proponit, in Horatio vertendo, ut poëta venusinus quasi officii magister appareat! Eius enim paraphrasis, sive « *metamorfosi lirica* » ut ipse appellabat, ad id unice intendebat, ut aurum ex luto, e veneno antidotum extraheretur: itaque non modo omnes loci obsceni ad sensus honestos rectosque transferebantur, sed etiam res parum honestas, lascivae poësis more cohibito, intra moderationis fines includere opportunum fuit!... Hoc iter ingressi, nonnulli alii per interpretationem, seu per paraphrasim, seu per conversionem immodice quisque suis ipsius ingenii motibus confisi, in ineptias delapsi sunt...

Ineunte saeculo XVIII, quum studiorum instauratio quasi vitalis spiritus afflet omnia, et diligenter perpendatur quidquid ad philosophiam, ad iurisprudentiam, ad litteras attineat, et inveteratis erroribus ex consuetudine diiudicandi convictis restituatur ius, resque omnes ad maiora pergant, etiam Horatio arridet fortuna. De eo enim magna cum diligentia ac doctrina Vincentius Gravina disputat in libro qui inscribitur « *Della Ragion Poetica* », in qua eius opera extollit laudibus, dignitatem, vim, virtutem, lumina, momentum maxime commemorans. Quod scriptum quantum ad studia promovenda contulerit, acueritque ingenia in critica ratione exercenda, nemo est quin videat. Hinc enim Antonius Volpi, Franciscus Algarotti, Clementinus Vannetti manant, qui in iudicando Horatio sui peracris iudicii significationem luculentissimam fecerunt. Neque multo post, ex Gallia Cisalpina lyricum melos, novis viribus auctum, iucunde sapiens, nobilibus honestisque sensibus perfusum, liberum audaxque progreditur. Tunc itali poëtae sub Horatii signa congregantur, eiusque auctoritatem sequentes, optimis sententiis sua carmina vestiunt: en Salvioli, Parini, Paradisi, Cerretti, Cassoli; denique ille Fantoni, qui merito Horatius Tuscus (*Orazio Toscano*) appellatus fuit.

Eodem modo interpretationis ratio renovatur; nam omnibus interpretibus, quos multos hac aetate habuit Horatius, in animo est quam maxime vim mentemque poëtae reddere. At, si non desunt optimae quaeque interpretationes, ab editionibus contra et commentariis laboratur: illum enim locum quem antea Italia habuerat in editionibus curandis, nunc extera gens habet... Hic est finis Curciano volumini constitutus, quod, utcumque potui, in epitomen coegi.

Interea non displicebit huius Commentarii lectoribus si pauca quaedam addamus.

***

Peropportune, ut mea sententia fert, evulgatus liber, quippe iam diu desideratus, multas easque haud parvi momenti notitias, veluti vidimus, praebet. Eo enim duce, penitius in vim italorum carminum inspicere possumus, abditiores sensus ac structuram intellegere, quid proprii sit, quid adventicii diiudicare; adeo ut ex animo liceat vota facere, quam eruditissimam disputationem egregius auctor intra saec. XIII-XVIII fines incluserit, etiam ad saec. XIX perducat. Verum, quod ipse fatetur, haud leve est onus, propterea quod nimia cum prudentia consilii de illis scilicet scriptoribus disceptandum est, qui adhuc vivunt vel nuper mortui sunt. At id maxime volumus, ut nihil praetereatur eorum quae pro argumento dici possint; nec nos dubitamus quin, bene auspicato, auctor optatis nostris respondeat. Nam eius liber illorum voluminum speciem atque imaginem fere adumbrat, quae abhinc aliquot annos docta Germania pervulgat. Ecquem

latet illud opus *Zielinski: Cicero im Wandel d. Jahrunderte?* Quem fugit doctissimum opus confeeisse *Stemplinger* a. 1906 in lucem editum, quod inscribitur: *das Fortleben der horazischen Lyrik seit der Renaissance?* In quo auctor, consilium sibi adhibens sane latum atque admirabile, cnititur et contendit, ut quid omnes Europaei poëtae ae philosophi ab Horatio sumpserint abhine renatis litteris, copiose nos edoeeat. (1) Neque huiusmodi libri, quamquam intra angustiores fines eonelusi, utpote qui nostras tantum litteras ampleetantur, apud nos desunt. Eequis enim ignorat illum sane aureum ae eedro dignum Comparetti librum, euius inseriptio est: *Virgilio nel Medioevo?* Quem latet diligentissime Ramorinum inquisivisse in famam existimationemque Taeiti per saeeula vigentem? Cui incognitum est illud eruditionis plenum opus Sabbadini de « *Ciceronianismo* »? Nonne per hosee dies in illo de antiquitate erudita optime sane merito Commentario, qui inscribitur: *La Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica,* Heetor Bignone mira sagaeitate ac, ut par est, quam cruditissime in Lucretii famam per saeeula mcdii aevi florentem inquirit? (2) At, quantum scio, nondum de diuturnitate horatiani cultus apud Italos de industria inquisitum erat; nondum investigandi fucrat voluntas quidquid Itali ab Horatio essent per saeeula mutuati, quidve de eius earminibus eensuissent. Hine merito Cureio gratulamur ob eius egregium opus, quod ut latius et diffusius legatur ac dignam plausus mereedem praestet, ex animo optamus.

Verum, quamvis iam inde a prineipio se excuset auetor non potuisse totam quaestionem absolvere, utpote quam maxime latam, dolendum est quod ipse, quum de lyricis florentinis eorumque studiis horatianis traetet, nullam Io. Casa mentionem feecrit! Atqui « *Galateum* » qui scripsit elegantique stilo ae peculiari volumine vitam P. Bembo latine exaravit, summis in delieiis habuit Horatium, cumque in suis latinis earminibus vel nimium imitatus est, adeo ut carmen *de horatiano charactere* eonfeecrit, illamque inflatam laudem a Petro Victorio sibi paraverit: « *Non enim facere possum quin laudem hanc tuam tangam ac de mirifica vi ingenii tui loquar, quum... in lyrico carmine pangendo cum Horatio certes...* ».

Hoc argumentum paulo fusius abhine paueis annis traetavi; (3) iuvat igitur disputationis summam quam brevissime afferre.

Ioannes Casa... plura habet earmina in quibus saepe Horatium imitatur... (lata est ae nullo fere serupulo sumpta mutuatio): sunt hemistiehia quae... inde sumit ae suam in rem eonvertit, sententiarum paraphrases, plerumque ineptae et nimium artifieium redolentes, aliaque id genus quae passim offenduntur...

Exemplo sint:

Casa ad Corn. Mussium:

Non marmor Parium, non ebur indicum
Nec quid Lybicis conditur horreis,
Non auri rutilans lamina, clavibus
Asservata tenacibus...

Hor. lib. I od. XXXI:

Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum aut ebur Indicum
Non rura...

(ubi vero simplex *aurum* pro Casae *auri rutilans lamina clavibus asservata tenacibus* positum est).

Casa, ad Apollinem:

O Iovis magni soboles decusque
Crineque intonso et pharetra superbe,
Applices aures precibus benignas
Pulcher Apollo.
. . . . . .
Lenta per te pampineis racemis
Uva dependens coquitur rubetque
Purpurae certans...

Hor. lib. I, od. 21:

Intonsum, pueri, dicite Cynthium
. . . . . .
Insignemque pharetra.

vel lib. III, od. 11:

Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.

et earm. saec.

Curet et votis puerorum amicas
Applicet aures.

et epod. 2:

Ut gaudet insitiva decerpens pira
Certantem et uvam purpurae.....

Insuper, hoc autem statui potest, sententiarum eolores, imagines vel translationes audaeiores, omnia ab Horatio deducta esse. At quam significantior efficaciorque venusinus poëta! Quod hie breviter perstringit et quasi graphiee repraesentat, Casa multis verborum floseulis, comparationibus ornat indueitque! Quod autem speetat ad satiras vel epistulas quas, exiguo lieet numero, Casa in otio eonscripsit, haud aegre dignoseitur Horatium quoque nonnulla ei mutua dedisse...

Nec longius provehor: si quis plura velit seire, opuseulum meum, quod supra memoravi, adeat. Inveniet enim forsan haud praetermittendum esse illum Ferrariensem poëtam, scilicet *Pignam,* vere lumen urbis

(1) « *Es ist kein geringer Genuss, und es ist von nicht geringem Erkenntniswert, ein so erstaunliches, ja man möchte beinahe sagen, einzigartiges, Phänomen wie dieses unablassige Fortwirken und Fortzeugen der Gedanken und der Phantasie des Venusiners über Völker und Zeiten so unmittelbar vor Augen zu haben* ». (Cfr. *Berliner Philologische Wochenschrift*, n. 15, 1907).

(2) Cfr. *Riv.* etc. a. XLI, fasc. 2°, m. Aprili 1913.

(3) Cfr. *De latinis Ioannis Casae carminibus Disputatio.* Memoria letta alla R. Acc. di Napoli da Marco Galdi. (Napoli, Tip. R. Univ, 1909). — Placet autem hic addere, mihi quoque in animo fixum esse in idem argumentum quod Curcio tractaverit, inquirere: « Forsitan aliquando iuvabit, validioribus armis ad idem argumentum redire, quod nunc vix perstringimus. Tunc facile erit demonstrare de industria quid quantumve homines nostri eruditi, in saeculis quae e litteris renatis provectisque nomen habent, ex Horatii carminibus hauserint ».

et decus, qui gloriatus est quod sua carmina numeris Horatianis conscripserit:

Conscripsi numeris horatianis
Mea carmina principi dicata.
Hac Flaccum sequor aemulatione.

(Ad Io. Casam, *carm. lib. I*).

Itaque, forsan, et Caelii Calcagnini et Lampridii mentio fieri poterat. Qui alter iisdem horatianis numeris « odes graves elegantesque, » ex sententia Iovii, confecit, atque in epistula ad Latinum Iuvenalem haec de Horatio sentiebat:

..... sed Horatii lumina solum
Tangere si possum, bene mi nunc atque beate est,
Cuius ego illoto non tractem pollice librum;
Sed veneror timidus, semperque excerpo fideli
Quod scribam in mentis tabula..... (1)

Ex iis quae addidi, quibus et alia quam multa addi possunt, hoc manat, ut iam in principio huius disputationis aiebam, nunquam per saecula XIII-XVIII Horatii cultum intermissum vel labefactum esse, nunquam eius poëtis vim, quasi senio confectam ac lenta tabe consumptam, languisse; immo vero multos excitavisse imitatores, qui, lepore et venustate illius sententiarum allecti, numerorum concinnitate, festivitateque quadam et facetiis capti, praesertim in sensibus expromendis artibus suaviterque dicendo delectati, eum ipsius fere vestigiis persequi studerent. Qua in contentione, ne dicam aemulandi cupiditate, quantum de via quisque fessus fuerit, inutile est dictu. Nam nonnulli in hoc tantum morati sunt, ut horatiana quaedam verba transcriberent, huc illuc sententias quasdam excerperent suisque innecterent, quasi opus tessellatum, ex variis particulis constans errabundis, varieque tinctum conficientes.....

Utcumque se res habet, doctis pervestigationibus Curcianis gratulemur, nam liber, de quo disputavimus, haud sine magna utilitate ac proventu legitur. (2).

Beneventi, (ex R. Lyceo), Kal. Maii MCMXIII.

M. GALDI.

(1) De Lampridio, Pindari imitatore (possunt haec quoque illis addi quae *Curcio* in suo volumine de vi atque efficacia poëtae Thebani habet) vide quid Io. MATHAEUS TOSCANUS *(Pepli Italiae*, lib. II) et Io. AURATUS « *poëtarum rex* » - senserint.

In « *lusibus canoris* » Camilli a S. Hieronymo Urbinate hoc iudicium Horatii legitur:

Flaccus ego, quatuor qui pango carmina libris
Et laudo et doceo et mordeo et amica loquor.
Dum laudo, placo sensus animosque legentum
Dulcibus et numeris, innumerisque modis.
Dum doceo, iucunda fero praecepta Poësis,
Mordeo sed vitium; blandus amica loquor.

(Romae, MDCLXXII).

(2) Non displicebit claro auctori, si cum nonnulla menda typographica, in librum illapsa admoneam: *semplità*, (pag. 22); *occorono*, (35); *proluzioni*, (81); *unale* [salve ?], (113); *ed* (et) (114); *critico-filosofico*, (119); *publicò* [cum alibi sit pubblicò,] (134); *Giov. Costa*, [pro Cotta], (146); *innenellati*, (169); *fauturi*, (169); *un ode*, (170); *prediliggeva*, (181); *repubbliche*, (201); *ingeguo*, (203); *ecore*, (ib.); *frase*, [pro frasi;], (206); *Aeschines*, [pro Aeschinis], (213); *quantoque*, (223); *misura*, (236); *pieni* [pro pieno], (249); *dubio* [cum alibi sit dubbio]; (271); *iu* [pro lui], (274); *contrappoi*, [pro contrappo -], (274); *in*, (276); *un'artista*, (282); *publicisti*, (282); *esigono*, (297); *Vatican*, [pro Vaticano], (307).

IN COLUMNAM MEMORIALEM (1)

Siste, qui callem teris hunc, viator;
siste, nam sanctus locus est, Columna
haec ubi surgit, monitura seros
usque nepotes.

Huc trahebatur PIVS obserato
SEPTIMUS curru; nova quem manebant,
vi SAVONENSI graviora, FONTIS
vincla BLIALDI (2)

Solis aestivi calor et rotarum
quassa compages iter heic morantur;
heic et, amissis soleis, equorum
claudtcat unus.

Aeger et fractus salebris viarum,
Pontifex rheda, titubante gressu,
exit et gratam cerasi vetustae
tendit ad umbram.

Ut iuvat lassum brevis hora, densis
acta sub ramis! viguere rursus
membra; fulserunt oculi; silenti
reddita vox est.

« Ferte — tum dixit Pius, assidendo —
ferte mî lactis cyathum, molestam
qui sitim pellat; cerasique molles
addite baccas ».

Proximam currit quis ad officinam,
calceos promptam fabricare mannis;
hinc puer prodit, Ganymedis audax
munere fungi.

Prodit et mater; latuit sed ambos,
cui propinarent: toga namque nigra
Hospitem celat, niveos amictus
ponere iussum.

At Senex, mulcens puerum, « Memento —
inquit — oblati calicis; PIORUM
SEPTIMVS grates tibi, nate, solvit;
accipe nummum.

(1) Columna memorialis, de qua agitur, erecta fuit apud Gallos in agro Nivernensi *(Nièvre)*, prope pagum Tronsanges, eo ipso loco, in quo Pius VII P. M., quum iussu Napoleonis I e custodia Savonensi in urbem Fontainebleau clam raptimque abduceretur, paulisper passus est sub annosa ceraso acquiescere. Quae res contigit horis pomeridianis diei XIX Iunii a. MDCCCXII, radiante sole fervidissimo. Atque eiusdem eventus celebratus est nuper centesimus anniversarius coram frequenti, quae Columnam circumstabat, civium et advenarum corona.

Quidquid autem in carmine minutatim describitur, id omne veritati historicae apprime consonat, uti currus clave obseratus; officina fabri ferrarii; novus calceus equo aptandus; annosa et umbrosa cerasus; cyathus lactis a puero porrectus; nummus dono datus a Pontifice huiusque vestis talaris, non candidi, sed nigri coloris, ne ipsius conditio agnoscerctur, et cetera porro omnia.

Anno MDCCCLXIII, vetusta periit cerasus, late notissima; in eiusque locum, elapso vix quadriennio, suffecta est, aere collato, memorialis Columna marmorea, altior ped. XX, cui imminet Crux inaurata, cum Tiara Pontificali et Clavibus Petri decussatis.

(2) Urbs *Fontainebleau*, vulgo dicta *Fons Bellaqueus*, rectius, iuxta vocis etymon, nominatur *Fons Blialdi*.

« Ille mercedem dabit ampliorem,
cuius est dictum: Mihi contulisti,
quidquid in fratres opis erogâris,
frater, egenos ». (3)

Adstupens, sacram puer osculatur
Praesulis dextram; poplitemque flectunt
mater et visus faber ora raptim
tergere fusca.

Admovet labris puer hinc numisma,
Clavibus Petri gemmis decorum;
nectit et collo, nitidum superbus
ferre monile.

Interim crescit iuvenis, vetusque
arbor occumbit; sed ubi Tiara
sederat cinctus, posuere celsâ
fronte Columnam;

cuius extremum superat cacumen
alma Crux Iesu; superat Petrina
Clavis, aeternas reserare caeli
callida sedes.

. . . . . .

Praepotens Caesar! tua te tyrannis
perdidit. Victus patriaque pulsus,
occidis, dirae (novus heu! Prometheus)
incola Rupis.

Crux tamen, crebris licet icta telis,
perstat, haud ullo ruitura saeclo.
Discite invictam, populi, vereri;
discite, reges!

FRANC. XAV. REUSS.

(3) MATTH. XXV, 40.

NUMISMATUM COLLECTORIBUS

Apud *Vocem Urbis* numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec *numismatum aencorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad *Doctorem Iosephum Fornari*, Commentarii *Vox Urbis* Moderatorem, *Romam*, (Via del Governo Vecchio, 96).

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS (1)

V. — Beneventum legatus mittitur.

Egregias Ioachimi Peccii virtutes admirabatur Gregorius XVI P. M. qui acerrimum eius ingenium atque prudentiam, occasionem nactus, magno munere statim decoravit. Et unum aptum reputans ad quietem reducturum Beneventi provinciam, sacro tunc principatui adhaerentem, in maxima rerum et animorum concitatione, eo Delegatum mittit. Qui vix provinciam suam attigit, caste, naviter, integre munus sic obit, ut, sui securus, posthabita etiam salute, ab officio nunquam declinet. Vir solers, industrius, maximique consilii, strenuam omnibus operam navat, rebusque civium fidissimus, nihil carius habet quam operibus suis impensius incumbere. Sic autem se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. Quo factum est ut huic omnes honores quot possent publice haberent, suumque civem facere studerent. At in grave subito morbum implicitus, magnis febribus, typho correptus, suos maximo dolore confecit. Namque si paulo ante omnia erant plena laetitiae et gratulationis, nunc omnia luctu miscentur et lacrimis. Omnes ordines, ut diuturni morbi acerbitatem, quantum in ipsis esset, ei lenire studerent, precibus publicis ac supplicationibus a Deo pristinam valetudinem aegrotanti postulabant. Verum, quum, Deo adiuvante, tandem convaluit, extemplo ad intermissa munera advigilans rediit, eaque alacritate, ut omnibus esset admirationi et deliciis, quod macie periculosa adhuc confectus, laboris impatiens, nihil intentatum relinqueret quod in suorum commodum reputaret.

Administratio rerum publicarum, prudenti eius auxilio, optimo cuique defertur, agri solertius excoluntur, commercia inter regiones circumpositas proferuntur, aliaque id genus complura invehit, quibus res publica maximis in dies auctibus crevit. Hisce rebus confectis, subitam animorum commutationem videre licuit. Sic inveterata quaedam barbaries, quae adhuc reliqua illic erat ex omnibus moribus et disciplina penitus fuit deleta. Et praesertim turbulentissima ea aetate erat perversa illa hominum perniciosorum natio, quae per fas et nefas, citra opinionem, omnia commiscere consueverat; per latrocinia, per incendia, per peculatus, terrorem in omnes iniiciebat. Ipse divina veluti virgula excitatus, adeo amor pietatis, moris vindex, restitutor sacrarum disciplinarum habetur, et manu et consilio nefarios corripit, sententiis extirpat. Erant illo tempore longe lateque initae societates arctissimae, corruptaeque hominum sententiae quo impunius liceret. Hinc infinita malorum labes apud illas infelicissimas civitates manaverat, hinc dissensionum semina prolata, et bella bellis sata, furore, metu ambitione undique arma subministrantibus. Haec summa eius victoriae. Quascumque enim postea

(1) Cfr. num. sup.

controversias inter se cives haberent, sua sponte, etiam secundo iudicum praelio ad Legatum in ius adibant, ut quam integerrima essent ad pacem omnia. Vir mitissimi ingenii, civibus romano tumultu male habitis sua restituit, urbium moenia disiecta, fanaque diruta refecit, civitatibus leges libertatemque instauravit. Neque id imperite fecit: nam quod ceteri imperio vix potuerint, hic benevolentia tenet. Iamque omnes in se animos civium advocaverat, et duplicem de dissidentibus victoriam retulerat, quum, praeter omnium opinionem, vir sapiens, impiger, iustus, magnus aliquando futurus, relicto Benevento, ad Perusinam provinciam procurandam mittitur.

VI. — Perusii moratur. - Nuntius apud Belgas renunciatur.

Prosperae hoc tempore tranquillaeque res Romanorum fluebant, si Spoletinorum seditionem excipias, atque intolerandam coniuratorum licentiam et saevitiam.

Tunc enim in omni fere Italia, sed in primis apud gentes sacro Pontificum principatui obedientes, homines occulto sacramento initiati, tenebricosis latebris erumpebant et adversis populorum studiis adlecti, Italiae principibus insidias struebant. Noster omnia potius tolerare paratus quam impiae factioni cedere, invicta fide, urbes sibi concreditas malorum hominum faucibus eripere, regi suo reddere atque ad pristinam dignitatem revocare. Dies auctoritatis suae enumeravit beneficiis in cives collatis. Namque non tam honoribus titulisque sibi laudem quaesivit, quam consilio et sapientia, quibus fecit, ut populi, qui in sua ditione tenebantur, alius alio more viventes, simul facile coalescerent. Ad haec Gregorius XVI, qui nihil antiquius habebat, quam ut aliquando ipsemet Perusium adiret, illuc Ioachim Pecci destinavit, eo potissimum nomine ut universam illam provinciam veteri concordiae ac patientiae mansuetudine ac clementia restitueret.

Incredibile dictu est quam celerrime hanc sibi demandatam provinciam exornavit. Namque primo quoque tempore in sedem honoris sui se contulit, eamque tanta caritate complexus est atque rexit, ut brevi eam ab adversariorum factionibus, quae civitatem miserrime discerpebant, re atque auctoritate nominis vindicaret. Bene animatos cives confirmavit, alienatos ad officium redire coegit: unus et alter fuit qui contumacius se gerere studuerit. Insuper pietas, doctrina, integritas vitae eum bonis omnibus commendabant. Quo factum est ut haud ita multo post Gregorius XVI, universis ordinibus feliciter adclamantibus, in pacatam urbem invehatur. Quin imo ipse vir summi consilii eligitur ut sit Gregorio XVI comes itineris per illam provinciam suscepti, atque sic se gessit, ut ipse Pontifex spectaret accensa in publicum parentem populorum studia.

Memoriae proditum est, Gregorium ad Urbem reversurum ita ei locutum fuisse: Peregrinantibus nobis per diversa ditionis loca, modo honores tamquam religioso homini allati sunt, omnia quaeque terrena aspernanti; in nonnullis decore utique ac sumptuose, modo sed Cardinali; Perusii vero atque Anconae regali omnino cultu ac pompa Principi dignissima.

Quamobrem Legatus ingenio et prudentia celebratur, et brevi omnium sermone maxime percrebrescit. Nec immerito sane. Laboris enim impatiens et rebus publicis prospiciens, leges tulerat, ut tum erant tempora, sumptibus minuendis: mensas populares eximia cura fovit; vias negligentia corruptas restituit, alias ob mutua commercia deducendas curavit et civium felicitati penitus prospexit. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Et sic se gerendo minime est mirandum, si ei munus fuit securum et discessio acerba. Dum in tot rebus strenuam operam navat atque tempus adstare videtur quo egregiis operibus editis in posterum edendis carior omnibus pretiosiorque foret, praeter omnium opinionem, Romam vocatur ad Legationem suscipiendam apud Belgas. Quod quidem boni aegerrime ferebant, ea potissimum verba laudis repetentes, quae Legato suo Summus Antistes dixerat Perusio profecturus. Namque ad Legatum conversus, civibus omnibus adstantibus, in signum optimae erga eum voluntatis: « Tui, inquit, propediem memor ero! ».

Huc enim, aiebant, erant illa verba evasura, ut brevi nos tanto viro privaret?

Belgica gens, religionis studio atque libertatis praeclara, patrum memoria, sese in libertatem vindicaverat. Namque diu sub externo dominatu, multis laboribus adflictata, iugi haereticorum tandem pertaesa, mirabili ausu adsurrexerat suique iuris atque arbitrii esse coeperat. Attamen regem sibi imponi placuit, qui liberis ipsos ordinibus constitutos iuste ac prudenter administraret.

Leopoldus hic est, qui in magna rerum hominumque concitatione et suapte natura pacis studiosus, quum se integrum a discordiis vellet servare, quae inter populares exardescerent atque optimates, parum abfuit quin in utriusque offensionem incurreret. Optimates enim nil carius habebant, quam Ecclesiae iura cum libertate, res olim, pravorum hominum iudicio, dissociabiles, mirum in modum adserere. Hac modo causa nuper, armis simul collatis, ab Hollandia recesserant, et res Belgae multis calamitatibus accisae, ad pacem maxime hortabantur, eoque tendebant, ut compositis undique animis iisdemque legibus, ad communem felicitatem progrederentur.

Rex impigro atque acerrimo praeditus ingenio, multo labore, multaque cura in tantam claritudinem brevi pervenit, ut Belgarum gentis vindex et stator sit appellatus. Dolendum modo, quod vir tot meritis probandus, Luteranorum doctrina esset infectus; minus aequo temporibus indulgens, in rebus quae ad religionem spectant, ancipitem se gerebat, atque adeo in hoc potissimum nec suam nec subditorum prosperitatem fovebat.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

CRUX RUTHVELLIANA

Inter vetusta monumenta lapidea in Scotia reperta nullum spectatius est et insignius, quam Crux ruthvelliana, in provincia gallovegensi sita. Septemdecim est pedes alta, tres lata ad imam, unum ad summam. Anterior et posterior partes in segmenta partiuntur, quae scenis e S. Scriptura mutuatis et figuris implentur, quarum explicationes latina lingua, at litteris anglosaxonicis, in marginibus sunt exaratae. Crucis latera ramis tenuibus foliisque ornantur, itemque fructibus, quibus aves et parvae ferae vescuntur. Nusquam autem

Crucis Ruthvellianae segmenta cum inscriptione latina.

crux nodos et lineas intertextas celtico modo antiquiori, nec litteras celticas exhibet; sed praeter margines litteras runicas habet, quae diutissime obstabant laboribus doctorum, qui earum sensum solvere tentarent. Quo vero perspicue magis de re disceptem, in tres partes me eam dividere oportet; quae sunt:

1. *Sculpturae.*
2. *Explicationes latine scriptae.*
3. *Runae.*

Sculpturae in anteriori crucis parte, a summa ad imam, in decem segmenta sunt divisae.

Primo in segmento sunt homo et avis — qui proculdubio Sanctum Ioannem et aquilam, symbolum eius, repraesentant.

In medio crucis capite et in brachiis transversis sunt tria segmenta nuper instaurata ornamentis hodiernis, quod hae partes amissae sunt.

In 5° segm. — Sagittarius tendit arcum; sed inscriptio hîc omnino desideratur.
In 6° — Salutatio Beatae Virginis.
In 7° — Maria Magdalena ungit pedes Domini.
In 8° — Christus sanat caecum.
In 9° — Annuntiatio.
In 10° — Crucifixio: Sol et Luna: Beata Maria et S. Ioannes.

Posterior pars etiam in decem segmenta divisa est:

1. — Avis in ramo sedens.

Crucis Ruthvellianae pars, runis illustrata.

(Secundum, tertium, quartum instaurata sunt).

5. — Duae figurae, quarum altera librum tenet.
6. — Ioannes Baptista, Dei Agno sinistra manu habito, in duobus orbibus stat.
7. — Christus cum duabus feris sub pedibus iacentibus.
8. — SS. Paulus et Antonius frangunt panem in deserto.
9. — Fuga in Aegyptum.
10. — Incertae figurae, sculptura valde oblita.

Explicationes in anteriore parte:

Circa segmentum primum saxonicis litteris uncialibus scripta sunt verba: « In principio erat Verbum ».

Circa septimum segmentum: — « Attulit alabastrum unguenti et stans retrosecus pedes eius lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat ».

Circa octavum — « Et praeteriens vidi(t)
(hominem caecum)
a natibitate et sa(navit)
(eum ab infirmitate.) »

(Nota hic *b* pro *v* in verbo « nativitate »).

Circa nonum — « (I)ngressus Ang(elus).

Explicationes in posteriori parte:

Circa sextum segmentum — « Adoramus ».

Circa septimum — » IHS XPS Iudex aequitatis. Salvatorem mundi bestiae et dracones cognoverunt in de(serto). »

Circa octavum — « Scs Paulus et (Antonius eremitae) fregerunt panem in deserto ».

Circa decimum — « Maria et Io(sephus) ».

Runae.

De his diu saeviit inter eruditos vera pugna verborum.

Imprímis, Repp ille Islandus, eruditus vir, dissertationem latine scriptam de runis huius crucis evulgavit. Secundum eius interpretationem, runae commemorant donum fontis et terrae cuiusdam apud Ashlafardhal factum a monachis Therfusarum. Post eum Fin Magnussen, vir clarissimus, etiam Islandus, commentationem longam anno 1837 scripsit, qua demonstrare conatus est crucem illam honore nuptiarum cuiusdam nomine Ashlof elatam esse. Itaque toto caelo hi illustres inter se distulerunt. Tandem anno 1840 Ioannes M. Kemble, linguarum septentrionalium peritissimus, librum de runis tractantem evulgavit. Inter alias, interpretationem runarum crucis ruthvellianae dedit, qua demonstravit eas esse partem poematis, anglica-septentrionali lingua antiqua expressi; hocque tanta sagacitate consecutus fuerat, ut Fin Magnussen statim recognosceret Kemble illud problema demum solvisse.

Sed confirmatio Kemblii lectionis miro modo ex Italia advenit. Quidam enim Germanus, Blume nomine, in conventu vercelliano librum vetustum membraneum sex poemata anglica-antiqua lingua decimi saeculi continentem invenit. Unum ex his poematibus « Sancta Crux—Somnium » vocatum est. Quum hoc, brevi antea vulgatum, vidisset Kemble anno 1842, recognovit magno cum gaudio suam lectionem runarum cruce ruthvelliana eandem esse ac viginti lineas poematis « Sanctae Crucis » codice vercelliano servati, nec plures quam tres litteras sibi esse mutandas.

Crucis runae latine redditae hae sunt:

Crux loquitur

« Cinxit Eum Deus omnipotens
Incessurum ad crucem,
Coram omnibus fortem, serenum,
Nec ausa sum me inclinare,
Divitem Regem extollens
Dominum caelorum,
Niti non ausa sum.
Nos ambos turpiter vituperabant et laeserunt:
Ibi ego cruore cooperta sum
Sparso de Illo.
Christus erat in cruce,
Sed velociter de longe
Festinaverunt amici sui
Principi ut ferrent auxilium.
Omnia ibi videns
Acerbis doloribus vexabar.
Eum telis vulneratum,
Membra lassum deposuerunt.
Iuxta caput Eius inanimum
Stabant in caelum intuentes ».

Quod ad aetatem crucis attinet, plerique scriptores eam saeculo septimo assignabant secundum auctoritatem illius Stephens, qui in runis plurimum versabatur multumque fecerat ad eas illuminandas. Is in tabula quadam crucem ruthvellianam exhibente vidit aut existimavit se vidisse seriem runarum quam legit « Caedmon me fecit ». Itaque, Caedmone poeta saeculo septimo vivente, crux ei tempori relata est.

Stephens equidem non is certe erat, qui ita erraret nisi pro edita sua sententia aliquid basis habuisset. Nihilominus, demonstravit Victor ille, hanc inscriptionem in ipsa cruce non extitisse: porro ornamenta foliis liberis, floribus, draconibus alatis artem ostendere saeculi non maturioris quam decimi: linguam etiam quae paulo differat ab ea codicis vercelliani idem indicare. Itaque lingua, ars, aliaque eam saeculo decimo referunt.

Sed quaestio nunc oritur, cur haec crux in ea regione exstructa est? Ipsa nihil praebet quo responsum reddatur. Nuper autem, inventum est proelium insigne Brunanburg inter Anglos sub Athelstan rege una ex parte, et Scotos et Danos ex altera, quo Scoti magnam anno 937 cladem acceperunt, prope Ruthvell pugnatum fuisse. Potitus est Athelstan totius Angliae per hanc victoriam quam cecinit poeta, hodie ignotus, cantu saxonicis Annalibus servato. Athelstan mortuo, successit regno Eadmund, qui totam Cumberlandiam itemque Ruthvell a se vastatam, tribuit Malcolmo Scotorum regi ea conditione ut in proeliis terra marique commissis adiutor et socius suus esset. Veri simile est igitur, hanc crucem foedus inter hos reges ictum commemorare, nec fore ut locus ipse, presertim Scotis, sine significatione esset. Si hae coniecturae eruditorum verae sunt, alia a King-Hewison ille doctore illustri nuper edita, probabilis valde est. Opinatur enim artificem crucis, aut qui eam faciendam curavit, Sanctum Dunstanum, Abbatem monasterii glastonburgensis, fuisse. Scriptor, poeta, regis Anglorum amicus et consultor, viator, musicus, mystes, artifex lapide metallisque fuit S. Dun-

stanus; quare non sine causa crucem ruthvellianam extructam et ornatam esse ab illo Sancto illustrissimo putamus.

Edderton in Scotia, mense Martio MCMXIII.

DONALDUS MACRAE.

COLLOQUIA LATINA

Armorum scholasticorum coemptio. (1)

BERNARDUS. — Scisne, Godefride, ubi nanciscamur instrumenta discipulis necessaria?

GODEFRIDUS. — Ex adverso scholastici aedificii aperta est non ita pridem officina. Bibliopola iuvenis est affabilis, et merces vendit sat commodo pretio.

B. — Duc me ad illum.

G. — Sin aliud vis, eamus. Salve, Francisce.

FRANCISCUS. — Salvus tu quoque sis, domine mi; quid ex usu tuo est me penes?

G. — Apparatum scholasticum desidero huic parvulo.

F. — Habeo omnis generis. Quibusnam opus est tibi rebus? Age, eloquere.

B. — Habes ne chartam venalem?

F. — Habeo, nec eam unius generis.

B. — Profer. Haec est charta tenuis et subhumida: atramentum perfluet. Cedo densam, quamquam neque asperam, neque scabram.

F. — Haeccine placet?

B. — Quod huius est chartae pretium?

F. — Vendo in singulos scapos quinque et viginti centesimis.

B. — Plus minus, ut existimo.

F. — Ita ut dixi.

G. — Non tibi opus codice ex charta pura comsuto?

B. — Maxime, ad excipienda quotidiana scriptionis argumenta. Videam volumen aliquod ad rem.

F. — Hoc in annum integrum sufficiet, aut plus eo, ut coniicio. Placetne?

B. — Sic satis; appone. Pasceolo nunc indigeo, ad includendas chartas.

F. — Ecce tibi commodissimum, factum corio vitulino nigro, cui oris limbus obit aureus.

B. — Pennae istae quanti sunt venales? Vah! quam sunt molles!

F. — Sunt aliae aliis firmiores. Est tibi optio.

B. — Quot vis dare quinque centesimis?

F. — Quinque dabo, modo promiscue de manu mea accipias.

B. — Malo deligere arbitratu meo.

G. — Delige; sed solves pluris.

B. — Mox videbimus. — Age, profer atramenti vascula et thecas calamarias.

G. — Vidi heri apud te nonnulla atramenti vascula cornea, torno affabre facta.

B. — At ego nolo thecam, quae nonnisi unicam pennam capiat.

F. — Scio quid quaeras. Vis thecam oblongam et rotundam?

B. — Ipsam volo.

F. — Ecce atramenti capacem et calamorum complurium.

B. — Accumulemus in acervum eumdem: ad extremum una licebor in omnia. Imple hanc lagunculam vitream atramento.

F. — Id praestat: necesse non habebit puer in dies ad propolam recurrere.

B. — Adesdum, Godefride, num quid mihi desit praeter haec.

G. — Habesne regulam ligneam?

B. — Contra, comparanda est mihi, eoque magis quod curvos plerumque quum versus ducam, a magistro saepe obiurgor. Deinceps plumbo ducam lineas secundum regulas.

F. — Placet his amplius?

B. — Nihil. Nunc indica merces has una omnes, quam sis daturus minimo.

F. — Quinque francis a me auferes.

B. — Iocone an serio?

F. — Neque obolo minoris.

B. — Numerabo tres francos.

F. — Tantillo tibi non addixero.

G. — Discrimen pretii dividatur ex aequo.

B. — Tibi decedet medium, mihi accidet.

F. — Quod bene vertat, habeas; per me licet, sed ea spe, ut me crebro revisas.

B. — Age, recense pecuniam et missos nos fac.

F. — Nihil desideratur aut superest. Vis tibi scribam apocham?

B. — Nil opus est: habeo verbis tuis fidem. Precamur tibi felicem vesperum.

F. — Idem vobis vicissim precor.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE Antuerpiae edito ann. MDCLVII. Passim retractavit I. F.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Non tam ovum ovo simile.

De rebus dicitur indiscretae similitudinis. Cicero *(Acad. quaest.*, lib. II): « Vides ne, ut in proverbio, sit ovorum inter se similitudo ». Narrant autem Deli fuisse complures, salvis rebus illis, qui gallinas alere quaestus causa solerent. Ii, quum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant: « Neque id est contra nos; nam nobis satis ova internoscere ». — Idem proverbium refertur et a Fabio Quinctiliano; usurpatur et a

Seneca in libello, quem in Claudium Imperatorem lusit.

Neque absona sunt ea adagia: Non tam lac lacti simile. — Non tam aqua similis aquae. — Apes apum similes.

Zonam perdere.

Castrense proverbium in eos qui nihil habent nummorum. A Graeca quadam fabula tractum Acron admonet; Porphyrion a militum consuetudine, qui, quidquid habent, in zona secum portant. Cuiusmodi sane hominem perquam venuste describit Lucilius, citante Nonio:

Cui neque iumentum est, nec servus nec comes ullus;
Bulgam et quidquid habet nummorum secum habet omne;
Cum bulga coenat, dormit, lavat: omnis in una
Spes hominis bulga, huic devincta est cetera vita.

Nam bulgam appellat Lucilius folliculum sive crumenam et sacculum de brachio propendentem, ut apud Horatium:

Suspensi laevo tabulas, loculosque lacerto.

Tametsi Festus bulgam Gallicum vocabulum autumat.

Consimili modo Gracchus loquitur apud Gellium: «Quum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli». — Horatius in *Epistolis:* «Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit». — Plautus in *Poenulo:* «Tu, qui zonam non habes, qui in hanc venisti urbem? aut quid quaeris?» In quibus Plauti verbis duplex est allusio, et ad vestem Poenorum more discinctam, et ad pecuniam, quae in zona gestatur, citra quam in urbe sumptuosa non sat commode vivitur. — Pescennius Niger apud Spartianum vetuit, ne milites zonam secum deferrent in bellum, sed, si quid haberent pecuniae, publice commodarent, recepturi post proelium; simul et ipsis voluptatis materiam eripiens et hosti praedam, si quid adversi evenisset. — Est apud Lampridium in *Alexandro:* «Miles non timet, nisi vestitus, calceatus, armatus et habens aliquid in zona».

Ars multa vulpi, ast una echino maxima.

Zenodotus huiusmodi versum ex Archilao citat. Dicitur in astutos et variis consutos dolis; vel potius ubi significabimus, quosdam unica astutia plus efficere, quam alios diversis technis. Nam vulpes multiiugis dolis se tuetur adversus venatores, et tamen haud raro capitur. Echinus, quem dicunt herinacem esse, (nam hoc loco de terrestri, non de pisce fit mentio), unica dumtaxat arte tutus est adversus canum morsus. Siquidem spinis suis semet involvit in pilae speciem, ut nulla ex parte morsu prendi queat.

Citantur apud eundem Zenodotum huiusmodi quidam versus ex Ione Chio, tragico poeta. Eosdem ex eodem citat in *Sermonibus convivialibus* Athenaeus e tragoedia, cui titulus *Phoenicia*, qui latine sonant:

Leonis artes in solo sane probo;
At magis echini comprobo miseros dolos;
Qui simul odorem belluarum senserit,
Se contrahit spinis operto corpore,
Tutus iacens, morsuque tactuque omnium.

Refertur proverbium, ac simul ad carmen alludit Plutarchus in commentario, cui titulus: *Utra animantia prudentiora, terrestria an marina.* Eius verba sunt latine reddita: «Iamvero terrestrium echinorum in tuenda servandaque incolumitate sua sollertia, proverbio locum fecit:

Ars varia vulpi, ast una echino maxima;
Siquidem cum illa aggreditur, quemadmodum aiunt,
Flexibile spinis corpus obvolvens suis
Tutus iacet, sic, ut nec ore tangier
Ulla queat ratione, nec morderier.

Sed omnium copiosissime huius animantis ingenium et astutiam describit Plinius (lib. VIII, cap. 37): «Praeparant - inquit - et herinacei cibos, ac volutati supra iacentia poma, affixa spinis, unum non amplius ore tenentes portant in cavas arbores. Iidem mutationem aquilonis in austrum, condentes se in cubile, praesagiunt. Ubi vero sensere venantem, contracto ore, pedibus, ac omni parte, inferiorem, qua raram et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilae, ne quid comprehendi possit praeter aculeos...».

Ceterum celebre est et piscis echini ingenium, qui «saevitiam maris praesagiens, correptis lapillis operit sese, ut mobilitatem stabiliat pondere, ne nimia volutatione atterat spinas; quod aspicientes nautae, pluribus mox anchoris navigia infraenant». (Plin., lib. IX, cap. 31).

Vulpem autem versipellem esse, variis instructam artibus, quum alii complures apologi, tum ille peculiariter indicat, qui refertur a Plutarcho in *Moralibus:* «Quum aliquando pardus vulpem prae se contemneret, quod ipse pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam, respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi esset in cute. Neque vero paullo satius esse ingenio praeditum esse vafro, quam cute versicolore».

Narratur et alius quidam apologus, ab hoc proverbio non multum abludens. Quum aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactaret sibi varias esse technas, adeo ut vel peram haberet dolis refertam; feles autem responderet sibi unicam dumtaxat artem esse, cui fideret, si quid existeret discriminis, inter confabulandum repente canum accurrentium tumultus auditur; ibi feles in arborem altissimam subsiliit, quum vulpes interim a canum agmine cincta capitur. — Innuit fabula, praestabilius esse nonnunquam unicum habere consilium, modo id sit verum et efficax, quam plures dolos consiliaque frivola.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de disciplina Sacramentorum.

Dubia circa Missae celebrationem in Oratoriis privatis.

I. — An Missa in Oratoriis privatis prohibita sit diebus festis Commemorationis solemnis S. Ioseph, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C. et in festo Patroni cuiusque loci, quum non sint de praecepto? — *Resp.* Negative.

II. — An prohibita censeatur in festo SSmae. Trinitatis, in Dominica infra Octavam Corporis Christi et in Dominica qua celebratur Nativitas S. Ioannis Baptistae? — *Resp.* Negative.

(Ex decr. d. XI mens. Aprilis MCMXIII).

Ex Congregatione Indicis.

Per decr. d. V mens. Maii MCMXIII damnata proscriptaque et in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera, quae sequuntur:

ANNALES DE PHILOSOPHIE CHRÉTIENNE (*fondées par A. Bonnetty), Secrétaire de Rédaction L. Laberthonnière.* — Paris, 1905-1913.

HENRI BRÉMOND, *Sainte Chantal (1572-1641).* Collection « Les Saints. » — Paris, 1912.

CE QU'ON A FAIT DE L'ÉGLISE. *Étude d'histoire religieuse, avec une supplique à S. S. le Pape Pie X.* — Paris.

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa dies in quibus institui potest consecratio Episcoporum.

I. — Quum Evangelistae in re liturgica Apostolis acquiparentur, quaeritur utrum consecratio episcopalis possit fieri diebus natalitiis S. Lucae et S. Marci? — *Resp.* Negative.

II. — Utrum fieri possit in festo S. Barnabae apostoli? — *Resp.* Negative.

III. — Utrum speciale indultum Summi Pontificis requiratur ad consecrationem episcopalem peragendam diebus festivis infra hebdomadam *a)* qui adhuc sunt de praecepto et proinde Dominicis acquiparantur, *b)* vel etiam qua olim erant de praecepto, sive in festis suppressis? — *Resp.* Affirmative ad utrumque.

(Ex decr. d. IV mens. Aprilis MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Maio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Quum SS. D. N. Pius PP. X nondum satis firmo corpore esset, per integrum fere mensem Maium Purpuratos Patres atque Episcopos ad limina Apostolorum advenientes coram se tantum admisit. Postremis vero eiusdem mensis diebus sive in Consistorii aula, sive in cavaedio magno Vaticanarum aedium, cui a S. Damaso vulgo nomen, peregrinorum manipulis sive ex Italia sive ex exteris gentibus simul congregatis benedixit.

Peregrinorum adventus in Urbem.

Per Maium mensem ad indulgentias Constantiniani Iubilaei lucrandas, peregrini in Urbem advenerunt ex Friburgensi, Moguntina et Rottemburgensi dioecesibus, ex Hispania, ex Bavaria, ex Gallia, ex Belgica, ex Nordica America et Hispania iterum, ex dioecesi Zagabriensi, ex talis regionibus Subalpina, Tusca, Campana.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per S. Congnis. Consistorialis decreta, SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Metropolitanae ecclesiae Capuanae praefecit r. p. d. Ianuarium Cosenza, hactenus episcopum Casertanum; titulari eccl. archiepiscopali Larissensi sac. Carolum Montagnini, canonicum patriarchalis basilicae Laieranensis et delegatum apostolicum ia republica Columbiana; cathedrali eccl. Corporis Christi sac. Paulum Nussbaum, consultorem Congregationis a Passione D. N. I. C. in provincia Baltimorensi; cath. eccl. Calgariensi sac. Ioannem Thomam Mc Nally, parochum in archidioecesi Ottaviensi; metropolit. eccl. Calaritanae sac. Franciscum Rossi, dioecesis Patavinae, vicarium generalem archidioecesis Perusinae; eath. eccl. Imolensi r. p. Paulinum a Cortona, in saeculo Ioannem Tribbioli, Ord. Min. Capulatorum, secretarium generalem Curiae generalitiae eiusdem Ordinis.

Brevi autem apostolico r. p. Ludovicus a Mazzano, in saeculo Ioannes Baptista Antomelli, Ord. Fr. Min. unionis Leonianae, episcopus tit. eccl. Leptimagnensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus Lybiae nominatus est.

— R. p. Gaudentius Barlassina ex Instituto Taurinensi a Virgine Consolata pro missionibus ad exteras gentes, Praefectus Apostolicus de Kaffa meridionali dictus est.

— R. p. d. Carolus Pietropaoli, episcopus Triventinus, legatus apostolicus mittitur in civitatem Venezuelanam.

ANNALES

Pax de Balkanicis composita.

Die trigesima elapsi mensis Maii Londini foedus tandem subscriptum est, quod bello per menses septem et ultra acto finem imponens, hac de causa praesertim memorabile in historia evadet, quia scilicet finem diuturnae Turcarum dominationis in Europa Christianarumque gentium redemptionem a Mahumetano iugo significabit. Quamquam eventus eo quem deceret animi ardore consalutari in Europa minime potest, quum internationalium rerum status sit tamen plenus difficultatum, munusque Europaearum nationum, quae eventum ipsum compararunt, tamquam onus maxime arduum etiamnunc praebeatur.

Re quidem vera orationes, in Londinensi ipso conventu post pacem confirmatam a Montisnigri et Serbiae legatis habitae, in mentem revocant hasce civitates, non aliter atque Graecam, foederi illi invito animo accessisse, dum quae adhuc definienda supersunt - et novi Albanorum regni fines et iura, atque Aegearum insularum addictio - ea sunt, quae valde sollicitum cordatum quemque virum necessario reddant.

Adde, et Bulgarorum tum cum Serbis, tum cum Graecis dissensiones, alius alium accusans foederis pactiones ante bellum initas fregisse, et Albanicae regionis internas condiciones. Si enim Essad ille pacha arroganti regni ambitione se abdicare visus est, ita ut recessum Montisnigri copiarum a Scodra urbe et eiusdem occupationem classiariis maximarum Europae nationum expeditiorem reddiderit, nunc se exteri regis dominatui minime obsequuturum praedicat, civesque iam aliis discordiis agitatos ad seditionem provocat ac praemolitur. Faxit igitur Deus ne pax tamdiu tantisque curis quaesitam scriptis unis maneat!

Parvum Italorum in Lybia discrimen.

Italorum in Lybia felix progressus ad brevem stationem in Cyrenaica coactus est, Arabum proditione, qui Italorum agmen quoddam in insidias traxerunt, eique, quamquam cum magna suorum clade, iacturam fecerunt. Quod gravius est, inter hostes morti ab Italis traditos, nonnulli militum praefecti reperti sunt militaribus Turcarum vestibus induti; ex quo facile coniici licet, Turcas promissis in foedere cum Italis inito haud integre stetisse, indeque fore ut Italia Aegei maris insulas, quas occupavit ac veluti datae fidei pignus post pacem retinuit, ad longum tempus adhuc iure sibi possit obtinere.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** rogatio legis de iure suffragii mulieribus quoque concedendo reiecta.

In **Argentina** et **Brasiliensi republica** praesidis litteris ad populi legatos, optimum tum in civitate tum cum exteris nationum rerum statum confirmantibus, publici coetus sessiones resumptae.

In **Austria** de internationalibus, Balkanicis praesertim, negotiis acriter disceptatum.

In **Belgica** leges de militiae constitutione innovanda, a socialistarum factione maxime oppugnatae, ratae tamen habitae.

In **Borussia** nova comitia ad Iunium mensem indicta.

In **Dania** quum nova comitia socialistarum atque «radicalium» factionibus favorabilia cessissent, administrorum collegium cum Berntsen praeside munus abdicavit, in eiusque locum aliud suffectum, cui Zahle praeest.

In **Gallia** militares reformationes apud populi legatos agitantur.

In **Hispania** ob vehementem Maura legati in administrorum collegium eiusque gubernandi proposita orationem, administri omnes munus suum dimiserunt.

In **Italia**, rationibus acceptorum et expensarum in examen revocatis, nova lex de militum delectu approbata.

In **Russia** leges omnes Imperii ad Finlandiam provinciam, frustra privilegia sua obtestantem, prolatae.

PER ORBEM

Die III mens. Maii MCMXIII Bruxellis nosocomium S. Ioannis incendio pessumdatur. Aegri tamen sospites omnes auferri possunt.

— die IV Romae monumentum Ioachim Belli, generis Romanae linguae poetae principi, in vico trans Tiberim, ubi cives maxime eumdem sermonem adhuc loquuntur, sollemni ritu dicatur.

— d. V Mannheim in urbe Magnus Badensis Dux ab insano quodam homine nefarie, at, Deo iuvante, frustra petitur.

— d. VII atra procella Graeciae litoribus, ad Athenas praesertim, ingentia damna apportat.

— d. VIII Alfonsus XIII, Hispanorum rex, Lutetiam Parisiorum pervenit, novum Gallicae reipublicae praesidem salutaturus.

— d. IX, Scodrae, tabernarum duo millia, in rerum venalium foro, fortuito igni absumuntur.

— d. XII inter Drama et Buk oppida ad Thessalonicam curruum series vapore actorum militibus onustorum, in alteram pariter militibus affluentem occurrit. Mortui centum ac vulneribus affecti trecenti et ultra lugentur.

— d. XIII Manila ex urbe nunciant *typhonem* iam duobus diebus furere, quo nullum vehementius ac perniciosius multis abhinc annis flavisset.

— d. XVIII Perczel, populi legatus, iam Rumenici publici coetus legibus ferendis praeses, quondam etiam civilium negotiorum administer, Bucarestini obit.

— d. XXI catacumbae ad decimum viae Latinae lapidem nuper repertae magna tum Romanorum tum Latii civium frequentia inaugurantur.

— d. XXIII in civitate Rutenorum (Rodez), Aureliani, Toulii, Bafordiae aliisque in oppidis Galliae, milites ex condicto seditionem tentant, quae tamen cito coercetur.

— d. XXIV sollemni pompa, adstantibus Russorum Caesare Anglorumque rege, Berolini nuptiae celebrantur inter Victoriam Aloisiam, Germanici Imperatoris filiam, et Hernestum Augustum Principem ex ducali genere de Cumberland, Brunswickii throni heredem.

— d. XXV Alafridus Régnier, Gronau Comes, vir musicae artis valde peritus, Lutetiae Parisiorum vita fungitur.

— d. XXVI Gandavi in artium ostensione recens dicata, tentoria gentis Indù flammarum praeda fiunt.

— d. XXIX Petropoli dum tormenti cuiusdam bellici experimenta fiunt, ex eius disruptione classiariorum alter a centurione misere occidit, aliique nautici milites graviter sauciantur.

— d. XXX Augustae Taurinorum decedit Arturus Graf, illius athenaei doctor litterarum Italicarum; in quibus, nec minus in sermonibus neo-latinis, tam singulari peritia pollebat, ut eius fama Italiae fines iure meritoque fuerit praetergressa. Natus erat Athenis d. XIX mens. Ianuarii MDCCCXLVIII.

LIBRORUM RECENSIO

Christophori M. Assumma, Eccl. metrol. Rheginensis Can. Dec. *Carmina* (Rhegii Iulii, MCMXIII).

Carmina haec latina, viginti quatuor numero, edita a fratre auctoris Antonio, praemissa laudat epistola Archiepiscopi Rheginensis, et Canonici Francisci Quattrone proloquium, in quo dotes poëtae egregie illustrantur.

Et iure quidem urbs Rhegium, suo superba cive Didaco Vitrioli, inter recentiores vates latinos celeberrimo, Christophorum quoque nostrum colit, qui totus fuit in imitandis hendecasyllabis Catullianis. Stilus eius, facilis una et castigatus, elegantem prae se fert simplicitatem cum sermonis puritate coniunctam.

Ipsius poëmatia, brevia licet nec adeo multa, tot flosculos dicas e solo Latii sponte enatos. Argumenta plerumque sacra tangit auctor; cuius ut scribendi ratio pateat, satis erit si hîc paucos afferamus versus, qui de Ioanne Berchmans agunt, Aloisii Gonzagae sanctitatem aemulante:

Casti Loisidis videt puellus,
Belgis ortus, imaginem in tabella
pictam: tum rapitur simul puellus
intra lilia candidusque vivit;
almae Virginis ardet usque flammâ;
flammâ Virginis aestuans, ad astra
integer volat ut nitens columba.

Franc. X. Reuss.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Frustula solutae orationis latinae. Scripsit Iohannes Bellissima, Professor litterarum latinarum et graecarum in lyceo senensi. — Senae Iuliae, ex off. L. Lazzerii, MCMXIII.

Inscriptionum latinarum corpusculum tertium. Confecit Iohannes Bellissima. — Indidem.

Les cloches par Dom. I. Baudot. — Parisiis edid. Bloud et Soc. (Venit lib. 0.60).

Henri Heine par Pierre Gautier. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

I Fioretti. Appendices: *Considérations sur les stigmates. — Vie de Frère Junipère. — Vie et dits de Frère Egide.* Traduction et notes d'Arnold Goffin. — Indidem. (Ven. lib. 1,20).

A. I. Millot, Vicario Generale di Versailles. *Che cosa contiene un'Ostia.* Trattenimenti e discorsi sulla SSma. Eucaristia per i fanciulli che si preparano alla S. Comunione. — Traduzione dal francese. — Romae, edid. Desclée et Soc., MCMXIII.

P. Callisto della Provvidenza. *Vita della Ven. Anna Maria Taigi,* Terziaria della SS. Trinità, presentata ai lettori italiani da Pietro Vigo. — Indidem. (Ven. lib. 4)

Ferd. Ehrenborg d. C. d. G. *Un seminarista modello dei nostri giorni.* — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

M. S. Gillet. *L'educazione della purezza.* (Metodo scientifico — Metodo del silenzio — Metodo del buon senso — Ignoranza e innocenza di domani — Programma dell'Educazione della Purezza). — Traduzione dal francese. — Indidem. (Ven. lib. 1,75).

AENIGMATA

I.

Formosae palmae en vestris me motibus aptum;
Me tamen explicitum sedula dextra regat.
Lenibus expositum ventis, validoque calori
Ossa premunt: corpus pellis odora facit.
Si ferrum eripitur plantis imbellis et aegrae,
Tunc erit ablato libera planta stylo;
Non ultro utroque manu gestabor ab illa,
Auxilium subito, quae mihi ferre solet.
Frigus amo aestivum, brumae mihi frigora sordent:
Aestas me pellit limine; bruma tenet.
Si caperata mihi facies vel vultus anilis,
Non sedet in vultu ruga vetusta meo.
Ut crescam, oblique medio dilator in orbe;
Explicor aestivo quum calet igne Polus.
Exiguus labor inde meus, sed dextra laborat
Alterius; vivax sic sedet aura genis.

II.

Ingredior campos, flavos ubi pellicit aestas
Ad pastum; utilitas est mihi nulla tamen.
Herbosos agros, quos aere perambulo curvo,
Non premit armentum, detur ut esca sibi.
Instar avis, quae multa rapit, flaventibus escis
Attrahor instructis, quas seco dente meo.
Ut cereris gazas comedendi vota secundem,
Una meis votis est; sat in ore mola.
Dura rotunda silex, quae stillat mollibus undis
Dat labio vires irrequieta meo.
Subtili undarum lapsu, quo planta madescit,
Vis mea fit maior; germen acuta secat.
Immerito eructant moerenti voce querelas,
Qui sibi sollicito pectore saepe nocent.
Quod pastum appositum rapiam non iure queruntur;
Plura illis restant quando ego plura voro.

A. Epiro.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. XVI, n. III proposita his respondent:

I) Epistola;
II) Sus.

Ea rite soluta miserunt:

P. C. Peltenburg, *Soetervoude apud Lugdunum Batavorum.* — Athan. Hepp, *Sancti Leonis Abbas in Florida.* — Diomedes Falva, *Constantia.* — Lad. Thyssen, *Dresda.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Alois. Geyer, *Ratisbona.* — Arch. Magliano, *Genua.* — Fr. Xav. Ghion. *Ostunio* — F. X. M., *Drepano.*— Petrus Tergestinus. — Iac. Costa, *Dunio* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Iac. Menendez. *Madrito.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — E. Burg, *Monacchio.* — Rich. Muller, *Berolino.* — B. Ferraris, *Augusta Taurin.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — I. Ciolli, *Papia.* — Claudius Lucensis. — I. Ortiz, *Morelia.*

Sortitus est praemium:

DIOMEDES FALVA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

EUPLIUS

Actio dramatica I. B. Francesia in tres actus distributa.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae. — Officinae *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

9)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

I. Miles.

Velint quid haec dicere sibi optime nescio.

II. Miles *(tangens marsupium)*.

Hoc autem nescis, stulte?

I. Miles.

Hoc nempe intelligo!
Et caeci intelligunt apprime hanc scientiam.

II. Miles.

Dabis sed auri, furcifer, dimidium?

I. Miles.

Dabo!

II. Miles.

Sed ostium flagitium edidit.
Quid est?

I. Miles.

Silentium!

II. Miles.

Quod infortunium!

I. Miles.

Quid est?

II. Miles.

Adest, ni fallor, sacerdos et centurio.
(Milites recedunt ad carceris ostium).

Scena II.

Mutius et Centurio.

Mutius.

Me subsequuntur nunc captivi plurimi
Christiani trusi recens in carcerem.
Hi vigilantia teneantur maxima:
Sic fert voluntas durior Maxentii.

I. Miles.

Mitte, sis, nugas!

II. Miles.

Gerrae!

I. Miles.

Signum rumpito!

II. Miles *(legit)*.

« Deus cras mittet redemptionem populo,
Erunt et omnes concaptivi liberi! »

Centurio.

Sunt sacrificii recentes victimae!

Mutius.

Romae nascatur timet ne seditio,
Enim patritii pueri sunt obsides.
Sperat sic fidem servaturos optime.

Centurio.

Divus si vincit strenuus Maxentius,
Erunt devoti barbarae cuncti neci.

Mutius.

Sed Constantinus?

Centurio.

Magnis itineribus
Ad Urbem tendit!

Mutius.

Vincimus nos numero;
Ei sunt pauci milites!

Centurio.

Victoriam
Dii nobis dabunt! Propinquos sentio
Captivos, ire me nunc decet maxime *(exit)*.

Scena III.

Introgrediuntur pueri captivi. Centurio *qui resedit penes ostium quasi esset reversurus, tacitus eos observat, deinde exit.* — Duo milites *recedunt ad ultimam partem theatri.*

Captivi.

1. — Heic sumus Christi nos captivi nomine
Diebus multis, et obscuris latebris.
Quis scit quod fatum detur nobis proxime?
2. — Deus det nobis cordis fortitudinem!
3. — Modo videntur longa tibi tempora;
Heri te milites duxerunt in carcerem...
Miser! Quid diceres, plures me hebdomadas
Ab ulnis matris detulere barbari!
2. — Heic sum plurimas passus angustias,
Et tamen sustuli, somnum, sitim, verbera,
Sed omne pertuli citra fastidium,
Erat Deus praesens superna gratia.

(Ad proximum numerum).

I. B. Francesia.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Iulio MCMXIII. Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Critices biblicae notio.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. A. Mureti oratio de laudibus litterarum.
Horae subsecivae. Constantini Magni somnium.
De Leone XIII P. M. Commentarius.
De veterum balneis.
Colloquia latina. Accusatio varia scholastica.
Paroemiae sive Adagia. Nuces relinquere. — Bis pueri senes. — Unus vir, nullus vir. — Asinus inter Simias. — Unguibus notari. — Sus tubam audivit. — Nihil graeculo cum fidibus.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Sacra Poenitentiaria Apostolica.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Peregrinorum adventus in Urbem. — Pontificiae electiones. — Varia.
Annales. Turcarum et Balkanicae gentis nova discrimina. — Mauritanae decertationes.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Loci.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romam.

CRITICES BIBLICAE NOTIO

Duplex critices genus, litterarium nempe et historicum, olim distinguebatur. Modernis temporibus res aliter cessit, atque dum penes Germaniae sapientes de critice « sublimiori » *(höhere Bibelkritik)* necnon de critice « inferiori » *(niedere Kritik)* fit sermo (1); penes Anglos expressiones « sublimior criticismus, — sublimiores critici » *(higher Criticism, higher Critics)* adhibentur. Alii denique de critice « originis » *(de provenance)* et de critice « instaurationis » *(de restitution)*, de critica « interna » et « externa » loquuntur. (2) Modernistae eo usque critices sublimioris vocabulo abusi sunt, ut non immerito in malum sonet sensum. Hinc Leo XIII (3) de illis qui ad sacras Litteras profitendas desiignantur scribit: « Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina: perperam enim et eam religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum « criticae sublimioris », quo ex solis internis, uti loquuntur, rationibus euiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diudicata emergant ». — Non aliter Pius Papa X (4): « Evidens fit, criticen eiusmodi non quampiam esse criticen, sed vocari iure " agnostieam, immanentistam, evolutionistam „: atque ideo, qui eam profitentur eaque utuntur, errores eidem implicitos profiteri et catholicae doctrinae adversari. Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere ». Dum vero idem Pontifex in *Motu Proprio* de « Praestantia Scripturae sacrae » (18 Nov. 1907) de praedecessore suo, Leone XIII, loquitur, ait: « Ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae critica sublimior audit ».

(1) Cf. H. HÜPFL, *Die höhere Bibelkritik*.
(2) *Dictionnaire Apologétique*, ecc., fasc. III, p. 782.
(3) *Providentissimus Deus*, 18 Nov. 1893.
(4) *Pascendi*, 8 Sept. 1907.

Quamobrem non parvae erit utilitatis critices biblicae notionem, definitionem videlicet divisionemque tradere, eiusdem obiectum atque processum determinare.

*
* *

Falso putaverunt quidam, criticam vel particularem, vel novam esse scientiam. Siquidem scientia hominis, quae sine critica nunquam est, semper exstitit, omniumque disciplinarum, sive historicae sive philosophicae sint, proprium est, respectu sui obiecti criticam instituere. Hoc unum fas est asserere, videlicet, temporum progressu, critices scientiam maiorem naetam esse perfectionem. Generatim sapiens vocatur critieus, qui in veritatis acquisitione iudicem nulli parti faventem se praebet, methodo procedendo rationabili, ita ut omnia scrutetur, super omnia invigilet, omniaque rigorose dimetiatur. Respectu libri alicuius sapiens vocatur criticus, si librum ipsum in sua totalitate, in suis partibus, necnon in forma rebusque contentis, propria investigatione complectatur. Critica vero, prouti de Libris inspiratis dicitur, et « biblica » nuncupatur, a quibusdam sub hisce verbis definiri consuevit: « Saerae Scripturae examen, recentioribus inventionibus adhibitis, auxilioque aliarum disciplinarum, praecipue vero scientiae historicae ac linguisticae, peractum ». Nonnulli criticam biblicam definiunt: « Textus Scripturae sacrae examen ad eiusdem Scripturae sacrae authenticitatem integritatemque ostendendam » (1).

Divisio critices biblicae est in criticam realem, superiorem ac sublimiorem, et in criticam inferiorem, textualem, ac verbalem. Prima, Librum saerum in sua totalitate considerat, atque authenticitatem eius investigat, vel ad relationes inter libros sacros existentes constituendas operam navat. Secunda textus verba, propositionesque considerat, et textus originalis genuinita-

(1) Cf. MIGNOT, *Lettres sur les études ecclésiastiques*, 1908, p. 243-46.

tem secundum critices textualis dictae leges statuit (1). Critices biblicae obiectum est, authenticitatem, librorumque sacrorum integritatem probare; idest *a*) libros sacros esse vere eorum auctorum quibus tribuuntur, documentisque sufficientibus fulciri, per quae eorumdem inspiratio ostenditur, ac credibilitatis nostrae rationabilitas explicatur. Critices biblicae proprium est, libros sacros sub adspectu historico litterali examini subiicere, auctorem conditionesque vitae eius, tempus, locum, scopum compositionis investigare, atque res in libris sacris contentas per analysim exponere. *b*) Integritatis cuiusque libri sacri demonstrationem adducere; aliis verbis, ostendere librum in eadem forma, in qua ab auctore scriptum fuit usque ad nos pervenisse, neque augmentum, neque diminutionem esse passum, neque interpolationem aliquam, vel per ornamentum vel per eruditionem, vel per mutationem interfuisse. Critica biblica denique textus formam scrutatur, variationesque discordantes eo fine investigat, ut veritatem textus instauret. (2)

Critica biblica, duplicem adhibet processum; utitur nempe, « criterio externo, » necnon « criterio interno ». Per criterium externum, historiae testimonium circa textus originem vel circa factum aliquod cognoscit; per criterium vero internum, ipsius textus analysim instituit, linguam libri, ipsasque res in libro contentas scrutatur.

***

In processu critices biblicae absque dubio peccat Hypercriticismus, quia interno abutitur criterio, dum quasi ex instinctu Traditioni fidem denegat suam. Contra defectum huiusmodi Catholicos munit Leo XIII : « Perspicuum est, — scribit ipse, — in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : illas vero rationes « internas » plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant : illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur : inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae : inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur ».

(1) Krieg, *Enciclopedia scientifica*, ecc., traduzione del Cardinali, p. II, §§. 67.
(2) Krieg, l. c.

***

Critices biblicae obiectum universalius est, quam obiectum tum Hermeneuticae biblicae, tum Exegesis biblicae. Hermeneutica enim est vox quae ab Hermete (Mercurio), qui credebatur deorum nuntius et interpres, (1) derivatur, et in genere dicitur « disciplina regulas complectens, quarum ope verus alicuius orationis sensus tutius erui et rite exponi potest » ; et Hermeneutica biblica in specie definitur a Prof. Zapletal (2) « disciplina regulas complectens, quarum ope sensus s. Scripturae verus, i. e. a Spiritu Sancto intentus, tutius erui et rite exponi potest ». Obiectum materiale (seu id circa quod versatur) huius disciplinae est s. Scriptura seu libri canonici utriusque Foederis; obiectum autem formale (seu id quod in obiecto materiali respicit) sunt regulae interpretationis.

Exegesis vero est proprium alicuius dicti obscura explicare; est regularum Hermeneuticae applicatio; est textus biblici explicatio atque interpretatio. Critices biblicae autem, uti vidimus, obiectum est authenticitatem librorumque sacrorum integritatem probare.

Criticus biblicus, Hermeneuticae biblicae et Exegesis catholicus sapiens, ad veritatem Scripturae sacrae defendendam normam a Concilio Tridentino traditam prae oculis habeat (3): « Nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia... aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ».

Reginaldus Fei O. P.

(1) *Act. 14, 11*, Lystrenses vocaverunt Paulum « Mercurium », quoniam ipse erat dux verbi.
(2) *Hermeneutica Biblica, Prolegomena* §§ 1.
(3) Conc. Trid. Sess. IV, Denz. 667.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. A. Mureti oratio de laudibus litterarum (1)

... Magna omnino vis magnumque momentum positum est in litteris ad conservandas, bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam quum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, et singulorum civium felicitate constet; singulorum autem felicitas in exco-

(1) Quae clarissimus socius noster Marcus Galdi recens in nostro commentario scripsit (an. XVI, n. III) de causis ob quas iuvenes in litteris ediscendis languescant, frugem aliquam latinitatis causae ferre visa nobis iucunde sunt; siquidem nonnulli socii alii a nobis quaesiverunt, ut Mureti orationes a Galdio tanto cum animi ardore commendatas, nostrisque diebus — dolendum sane! — parum cognitas, in nostris paginis ederemus. Quod quidem libenter hodie aggredimur. Sequentur, quum congruum spatium habebimus, non solum oratio « de utilitate et praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores », sed illa etiam « de via ac ratione tradendarum disciplinarum », in qua si studiorum prospectus a magistro illo doctissimo traditur cum nostra aetate haud facile nominatim congruens, is tamen in universum talis apparet, qui ad humaniorum studiorum necessariam instaurationem utilitatis auxilium aliquod sit proculdubio allaturus. — Oratio quam hodie exhibemus habita a Mureto fuit Venetiis mense Octobri MDLIV.

lenda, exereendaque virtute praecipue sita sit, et ad perfectam virtutem eonsequendam, neeessariam quandam praecursionem adhibeant litterae, illud profecto consequitur, ut nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolute civitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes aetatis humanae partes, omnem publicorum temporum varietatem, omnes instituendae vitae rationes; et vias animo et cogitatione percurrite; nullam omnino reperietis, quae non ita litterarum auxilio indigeat, ut, eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Eae nos, ubi primum firmius inecdere, atque articulatius loqui eoepimus, de ipso prope nutrieum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis saluberrimis complent; non tantum bene diecndi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias, excitant in animis nostris ignieulos gloriae; quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quae qui semel bene penitus imbiberint, ii nunquam non postea et vitii turpitudinem omni studio refugient, et officii honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquae vitae exspectatio ab educatione pueritiae pendet; ubi vero infirmam illam ineuntis aetatulae teneritatem robur adolescentiae excepit, quae tandem alia res, aut animum praeclararum rerum studio accendere, aut efferentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos iniieere, praeter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, quum somnum capere adoleseens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis trophaco, quiescere volentem, exeitari; quanto eos acrius incendi, atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute praestantium trophaea, non ex marmore constituta ad exigui praedicationem temporis, sed ad omnem aeternitatem commendata litteris intuentur? Neque vero pertimeseendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illeeebris ii, qui aetatis suae florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta siquidem est oblectatio paulatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris tacdium, neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. Itaque sapienter poetae, quum ceteros omnes Deos Veneris imperio subdidissent, in Minervam modo, et in studiorum praesides Musas, nihil ei, nihil Cupidini iuris esse voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriae proditum est, Iasonem olim, ceterosque Argonautas, quum eam insulam, quae ab amoenitate florumque copia nomen invenerat, praeternavigarent, periculumque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quae eam insulam incolebant, ad exitium perdueerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse: qui quum assedisset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explieare coepisset, tanta simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut iam Sirenum voeibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento, quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula iuventus est. Eam qui quasi praetervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est voluptatum blanditiis decepti, et at recto itinere abducti, in vada et scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod nisi Orphei, optimi ae sapientissimi vatis, lyra? Cuius suavitatem qui percipiunt, ii et Acheloidum cantus pro nihilo putant, et tandem institutum illud iter emensi, vellus aurcum, id est, virtutem cum immortali eoniunetam gloria, eonsequuntur. Nimirum ut maior lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio maioris extinguit.

Quanto autem voluptas ea, quae discendo sentitur, ceteris omnibus maior sineeriorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse, ac taedium, confitentur; huius ut quisque percepit plurimum, ita eam arctius, atque avidius coneupiscit. Quod si eui forte dubium est, prodeat in medium Crysippus, qui saepe studio intentus tanta voluptate fruebatur, ut eum, tanquam extra se positum, cibi potionisque capcret oblivio. Prodeat sollertissimus ille caelestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis direptione, ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exeeperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium sacculorum admiratione dignissimam! Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque ineiderant, sine ullo sexus, aetatis, ordinis discrimine obvios contrueidabant; undique gladiorum fulgor praestringebat oculos; undique armorum sonitus; undique eadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum eiulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs pene dimota, et convulsa sedibus suis, suorum civium in caede ac sanguine natabat, quum unius hominis mens in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero aeeepimus, quum in lectulo, morti proximus, deeumberet, inaudissetque assidentes amicos, de re quapiam, summisse, ne ipsi molestiam parcrent, disputantes, erecto, ut potuit, iam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatius; sibi, si etiam moriens aliquid diseere potuisset, discessum e vita iucundiorem fore. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto; vieinitate iam mortis pene corporis partibus sensus abscesserat; egregius ille animus mox liber ac solutus futurus, e corporeis vinculis exsilire

cupiebat, quum quidquid supererat virium, eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque interruptis ac morientibus, suum doctrinae, cogitationisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse; qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Atheniensium respublica, quamdiu tam praeclari viri tenuit disciplinam. Sed, ut eo redeamus, unde nos facta praeclarissimorum hominum mentio paulisper abduxit, dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi (vos enim, vos mea iam compellabit oratio), dici, inquam, non potest, ea studia, in quae nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis, et ornamento, et auxilio futura sint, quum vos, et generis vestri nobilitas, et vestra virtus ad reipublicae gubernacula admoverit. Etenim quibus artibus civitates praecipue conservantur, pietate, iustitia, fortitudine, imprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumentis. Neque vero haec a me ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum, civem patriae utilem esse neminem posse; sed hoc dico: nisi litteris exculti sunt ii, qui, velut in reipublicae puppi sedentes, clavum tenent, multis eos muneris sui iisque praecipuis partibus necessario defuturos. Nam quum duo publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile est, alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium, quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus iura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, civium inter se dissidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere, praeterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre, et ex aliis alia colligere poterit, nisi qui haec sibi de litterarum fontibus haurienda omnia existimaverit? Nisi vero eorum recipienda sententia est, qui fieri putant posse, ut qui reipublicae praeest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T. Manlium Torquatum, memoriae proditum est, quum consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum, et summum imperium detractasse; quod indignum duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur, qui alieno ingenio, alienaque lingua ad omnia uti necesse habebunt, ii satis ad gubernandos ceteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere, optimeque consulere; quales in fabulis Tiresiam, in historiis Appium legimus: cuius vero doctrinarum luce carea animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare praeclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui quum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus et honestam imprimis et utilem esse fateantur, iidem tamen, quum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, et inter tubarum lituorumque clangorem, nullum sui amplius praebere usum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, et quantum vel in medio bellorum tumultu litterae valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, um isti fortasse aliquid dicerent: nunc quis est, qui quum mihi et maximum esse in bellis consilio ac prudentiae locum, et eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certe quidem insigniter augeri, confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? An ignoramus celebre illud regis Agamemnonis votum, qui ut Troia facilius potiretur, non Achillis, aut Aiacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura praescripti ea longitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit: itaque qui unum alterumve spectant, multum sibi militaris prudentiae collegisse existimantur. Quid eos iudicabimus, qui hoc sibi diuturna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam, rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At haec omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima ac pulcherrima, otiosi ac sedentes consequuntur. Taceo, quam multa expressa sunt eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriae; de animorum aeternitate, de praemiis, quae post mortem manent eos, qui se pro patria animose ac fortiter gesserint; quae tantam vim habent, ut neque qui ea ignorent, verae laudis habere gustum, neque qui tractant, verae ac solidae gloriae ullam omnino rem anteferre possint. Qui illud, an non quantivis est, quod saepe labentes iam ac deficientes exercitus eloquentum hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedaemoniorum civitas, cuius exercitus Tyrtaei poetae versibus inflammatus, pulcherrimum illum de Messeniis victoriam reportavit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus praestiterunt, aut fortissimos Imperatores, qui eruditionis et doctrinae gloria excellucrunt, enumerare instituam. Nam, et Architam Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, et Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, et ter stipendia fecisse Socratem, et Platonem, et Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam praestitisse. Quid illa propugnacula Graeciae, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani Imperii columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles profcram? Quos omnes quum bellicis laudibus claros, tum praestantes doctrinae studiis fuisse, historiae loquuntur. Nam Iulium Caesarem, quis nescit, utra laude praestaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem, quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa

nocte, quae mortem ipsius antecessit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties dicitur. Atque hoc praeclare olim intellexisse videntur Mitylcnaei, praecipuam esse in republica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, nulla eis aliam poenam irrogabant, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cuius rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, cives, quod viget hodie vestra republica, quod floret, quod beata est, quod quum seterae orbis universi partes gravissimis bellorum tempestatibus agitentur, una haec (quod ei Deus Opt. Max. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri creditis, quam quod ei et praesunt homines cum ceteris omnibus, tum hac eruditionis et sapientiae laude clarissimi, et semper eorum simillimi praefuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia et dicta et cogitata praeclara. Tu dicere solebas, tunc demum respublicas beatas fore, quum eas aut philosophi coepissent regere, aut qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetua iam mille amplius annorum felicitate Venetorum Respublica comprobavit. Equidem quo longius in altum invehor, patres amplissimi, eo mihi amplior et patientior orationis quasi cursus ostenditur. Sed et temporis me ratio, et vestra singularis sapientia, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quemquam de litterarum praestantia fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius, aut copiosius, quam unumquemque vestrum secum loqui, et mihi non tam orationis con quirenda copia est, quam vestra societas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut si forte minus a me ornate aut copiose dictum est, quam ut huius loci amplitudo, et summa audientium dignitas postulabat, meum tamen idcirco, placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem si non indignus a vobis, qui saepius audiar, iudicer, erit quod mihi magnopere gratuler; sin forte; sed reprimam me, neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari, qui tamen a tot, tam praeclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non huius modo laboris, sed totius anteactae vitae fructum hodierno dic vestro singulari beneficio videor consecutus. Dixi.

Ineuntis aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est.

Cic., *De offic.* I, 34.

Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Stultitia caruisse,...

Horat,, *Ep.* I, 1.

Sera nunquam est ad bonos mores via.

Senec., *Agamemn.*, act. II.

HORAL SUBSECIVAE

CONSTANTINI MAGNI SOMNIUM

Occiduas iam prona dies festinat ad undas,
Et nox tellurem obvolvit nigrantibus alis,
Cum Constantinus, caelesti laetus honore,
Prodigioque Crucis, iam fessa dat ossa sopori.
In somnis illi sese, pulcherrimus ore,
Bisgenitus Natus manifesta in luce videndum
Offert, festiva aligerûm stipante corona.
Tegmine fulgenti et variis distincta figuris,
Candida eum vestis tenui circumdat amictu;
Sceptra tenet dextra, diademate tempora fulgent.
Leniter arridens, miti sic pectore fatur:
« *Maxime Gallorum ductor, si solvere gentem*
Nexibus hesperiam duris, regnoque superbo
Est animus, nostris facilem da vocibus aurem.
Tessera Christiadum, medio quae pendula caelo
Apparet vobis, diffulgens solis ad instar,
Vexillum sit pugnae, speratacque salutis
Pignus. Crede mihi: vires, animique vigebunt
Illius adspectu: frustra Maxentius ipse
Tela parat, frustra bellum committere tentat.
Ah! nimium infelix! nec dum implacabile sentit
A tergo funus, crudelia stamina rumpens.
Ligneus, armorum et fugientum pondere pressus,
Praecipitat pons, absorbet Tibris unda tyrannum.
Libertas tandem inde meis cultoribus orta,
Relligio terris cunctis dominabitur altrix,
Fraterno populi iungentur foedere amoris.
Macte animis esto: sum magno aequaeva Parenti
Progenies, quae mortali sub imagine missa
Humanum genus aeterna de morte reduxi,
Optatamque dedi mundo per saecula pacem.
Ne dubites, quaeso, longos perferre labores,
Me duce, nec saevis caput obiectare periclis,
Iam tibi laeta parat memorandum Roma trophaeum».
Attonitus Caesar visis, dictisque benigni
Numinis, ex oculis somnoque et nocte fugatis,
Corripit e stratis corpus supplexque supinas
Ad caelum palmas humili cum voce tetendit:
« *Deliciae, Iesu, et summi Genitoris imago,*
Aeque Deo Deus, atque salus mortalibus aegris,
Ecquis condignas poterit Tibi reddere grates
Munere pro tanto? Unde mihi tam mira parantur
Dona? Utinam, Deus alme, tuum vitale lavacrum
Accipere hic liceat, niveas et cingere vestes.
Verum cum nobis nondum haec concessa facultas,
En tibi perpetuo memorem spondemus amorem
Atque palam meritos indicimus undique honores:
Undique Christiadis consurgant templa decora,
Quae prece ferventi resonent et carmine sacro.
Ius, legesque tuas noster tutabitur ensis».
Vix ea fatus, longe alios in pectore sensus
Concipit; haud mora, mox cunctos iubet ipse morantes

Acciri armatos, atque ordine castra teneri.
Continuo properant iussi; mox aequore toto
Belligerûm glomerata manus fulgentibus armis,
Et late instructis campi legionibus horrent.
At Caesar, sublimis equo, mirabile pandens
Vexillum, arcano Labari de nomine dictum,
Et Cruce, perfusa gemmis auroque, coruscum:
« Hoc, - inquit - signum donat Regnator olympi:
Sub Crucis auspicio, ut formis spectatis in ipsa
Expressum auratis, victoria certa sequetur;
Nam dabitur Christi atque hostes submittere rostros,
Et nova felici procedere tempora cursu ».
Exsultant cuncti et laeto clamore salutant
Aethereum pignus, tibi grates, dive Redemptor,
Persolvunt, nomenque tuum laudesque canentes:
« Crux io - convalles geminant, saltusque propinqui -
Per te victores erimus, venietque triumphus ».
Talia dicta dabant; ardentia vota coronat
Eventus felix; Christi promissa supremo
Nota duci implentur; portentum insigne bis octo
Saecula testantur, nec non solemnia cultu
Insueto, totum hoc anno renovata per orbem.
Det Christi Sponsae, Omnipotens, ut ubique locorum
Plena pace per aevum et libertate fruatur!

I. Vittori.

DE LEONE XIII P. M.
COMMENTARIUS [1]

Quapropter id inter omnes convenit, Leopoldum, ut erat experrecta mente et strenua, si ad optimates potius respexisset, summi et perfectissimi Principis laudem apud aequales habiturum fuisse.

Ita erant res quum Ioachimus Pecci ad Leopoldum pervenit. Qui humano vultu iuvenem Pontificis Maximi Nuncium accepit, et vix eum agnovit pietate et doctrina insignem, cum paterna paene benevolentia eum est prosecutus. Etsi in ipso aetatis flore erat, archiepiscopali dignitate ex more honestari eum voluerat Gregorius XVI, qui maximam sibi ac religioni felicitatem et decorem ex eius legatione fore sperabat.

Illuc enim totis viribus nitebatur, et magni operam eius futuram esse confidebat, si Nuncius industria atque prudentia tantum Principem sibi conciliare potuisset, et ita rebellantibus a sancto religionis iure obstitisset, ad quorum arbitrium pleraque in Belgis iamdiu geri videbantur. Et ipse vel in primo suo adventu ita sibi eum amicitia devinxit, ut nihil carius iam haberet quam eius voluntati pro viribus obsequi. Cives quoque primores alloquio, benignitate et ipsa vultus dignitate, quam recte romanam dixeris, mitissimoque animo sibi facile adquisivit. Multum praeterea in iudiciis privatis versabatur, saepe in Episcoporum conventum prodibat; nulla res maior sine Pontificis Nuncio gerebatur; hic celeriter quae opus erant reperiebat, facile eadem oratione explicabat.

Neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis, quod et de instantibus verissime iudicabat, et de futuris callidissime coniiciebat. Quo factum est, ut brevi admodum tempore illustraretur et maxime omnibus adprobaretur.

Sui tamen consilii, sacri Romani principatus adsiduus vindex egregium civilis prudentiae sese exhibebat specimen, et gentes catholicae professionis a potentiorum iniuria sollerter prohibebat. Sapide tamen se identidem gerebat. Namque civis in primis romanus, argutia saepe sapienterque vel in aulicis conventibus utebatur, ut adversariorum iactantiam lepide contunderet.

Sed temperatae suavesque erant, quae nunc Martialem redolebant, nunc Iuvenalem in eos qui perniciem Nomini christiano minarentur; et aptis omnino verbis multoque acumine hominum mores et ingenia describens velamine quodam sapienti corripiebat, eaque simul dictione atque elegantia, quae ad caelum laudibus ferebatur. Sic autem gallice loquebatur, ut Parisiis natus videretur; tanta insuper suavitas huius sermonis, ut appareret in eo nativum quemdam leporem esse, et non adscitum. Eiusmodi verba sallbus romanis adspersa, diu per ora hominum iocose volitabant, quae ex aula per vicos passim et per fora vulgo ferebantur. Subridens aliquando *fortius et melius plerumque secabat res*. Quo facto nomen Nuncii Pontificalis omnium sermone laudabiliter longius ferebatur.

Quum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discedebat, quam ad finem sermo esset adductus. Erat etiam tunc disertus, ut nemo ei par esse videretur eloquentia, neque minus concinnus in brevitate respondendi quam in perpetua oratione ornatus.

Quod quidem maximi habebatur in Belgis, qui quum populari potestate admodum regantur, omnis res publica libero ore defendi atque actitari consuevit. Eloquentia enim res omnes ad bellum, ad pacem, ad leges, ad iudicia spectantes agebantur; atque plures qui ad munera publica sibi viam munirent, et pulcri sensui magis adsuescerent, ad eius consuetudinem moremque deducebantur.

Quamobrem ipse rex verbis et scriptis etiam atque etiam Nuncii eloquentiam admiratus, omnia ei in posterum felicitatis omina honorumque auspicabatur.

Interea omnium maxima inter cives exorta erat contentio, in qua vigentem se ac parem negotiis ostendit. Etenim pacem atque aequitatem suadendo fortiter adversariis restitit, et sollertiae praesertim laude inclaruit. Quaedam enim impiorum placita de puerili institutione per speciem libertatis eo potissimum spectabant, ut Belgica soboles in neutram veluti partem abrepta,

(1) Cfr. num. sup.

quum de fide sanctissima esset quaestio, ad impietatem subdole traheretur. Ipse pericula, erroresque portendens, rectam atque germanam christianorum sapientiam liberrimo ore, suffragantibus episcopis, adnuente populo, adseruit.

In hisce rerum adiunctis praesertim egregia viri sapientia enituit. Atque scitus, disertus enarrator in proposita inopinata difficultate, suorum commodis humanissime inserviens, atque religionis iura mirum in modum omnique tempore adserens, omnium sibi benevolentiam atque admirationem magis in dies conciliaverat.

Sic se res de Ioachimo Peccio apud Belgas habebant, quum ex improviso Romam vocatur, ad regendam Perusinorum Dioecesim.

VII. — Episcopus Perusinorum et Pater Cardinalis.

Narratur Probus, olim Aemiliae praefectus, Ambrosio Mediolanum proficiscenti, gravibus discordiis dilaceratam ob Arianam pravitatem, dixisse: «Vade, age non ut iudex, sed ut Episcopus». Qui pro officii sui munere templum ingressus, et ut commotam civitatem sedaret, quum multa de quiete et tranquillitate reipublicae praeclare diceret, de repente puero Ambrosium Episcopum exclamante, universi populi vox erupit Ambrosium deposcentis.

Id propemodum Ioachimo Peccio Perusii accidit. Namque, etsi nunc erat orator apud Belgas, adhuc tamen ob praeclaras ingenii virtutes Perusinis est ita carus atque acceptus, ut ubi primum I. Sabattinius Episcopus, omnibus flebilis desideratus est, universorum consensu eum sibi cives Episcopum postulent, eumque enixis precibus a Pontifice Maximo exoptent. Etiam nunc erat in terris Gregorius XVI, qui laetus omnino quem antea miserat Legatum praetoria potestate, nunc Episcopum postulari, facile admodum assensit.

Ipse legatione Belgica decedens, claris iam familiaritatibus florens, peragratis celebrioribus Europae urbibus, Romam rediit, quum Pontifex gravi morbo tentatus placido exitu ad sedes caelestium emigravit. Religioni fuit ipsi in urbe morari in diem quo, incredibili Romanorum laetitia, Pius IX Pontifex Maximus est designatus, regnumque sibi demandatum suscepit. Tunc denique vel inter cives romanos gaudio gestientes, difficiliora tempora mente praesagiens, ad sedem honoris sui festinanter se contulit.

Rem adgredior illustrem, gravissimam, quaeque tam late patet, ut vix aliud argumentum queat excogitari, in quo sibi magis amplissimus quisque orator placeat atque exultet.

Non iam amplius ignotus, sed omni cuique probatissimus, universis civium ordinibus adclamantibus, peramanter accipitur, eique omnia fausta a superis omnes adprecantur.

In sacro munere obeundo ita est versatus, ut optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quam qui maritimis iactarentur.

Itaque vix rerum potito, nihil sibi potius fuit quam ut viros legeret divina et rerum usu spectatissimos, qui ipsi essent adiumento. Ut egenis feliciter leviterque prospiceret, qui civitatem saepe deturpare solent, receptus aere collato brevi constituit, ipsis custodiendis alendisque, annuo quoque proventu adtributo: ludos publicos pueris aperire, virgines lectissimas Deo devotas arcessere ad puellas tutandas, instituendas, ut vel a prima aetatula honestis artibus imbutas, ipsa virtutis illecebra potius quam legum metus a maleficiis deterreat. Ad haec Episcopi providentia quoque cautum est, ut in pagis robusta et valens tunicata pubes innocentissimis maiorum institutis addicta, antiqui moris candorem tueatur.

Sed indica lues, quae immodice in urbe grassatur, haec omnia commoda commiscere eiusque consiliis obluctari coepit.

Eius vero prudentia, ne aegrotantibus vel remedia deessent vel adiutorium, magno opere nititur, ut sacerdotes vel commodiores cives vestigiis eius insistentes, suique securi ac divino numine freti, amplissimam morbo perculsis opem ferant. Nihil hoc gravissimo tempore intentati reliquit, ut miseri curis recreentur, salutem recipiant, et omnibus studiis, medicorumque praescriptionibus, ne magis morbus inter suos vagetur incumbit, quo factum est, ut lues brevi acriori gravitate caruerit, atque in dies admodum desierit.

Sed grave malum gravius excepit.

Iam eae res in Italia agitabantur, quae omnium quietem perturbarent. Nam motus populares et seditiones in proximiore Hetruria, omniaque, quibus patres nostri interfuerunt, ominabantur. Lenes primo rumores, adveniente anno millesimo octingentesimo nono et quinquagesimo, et mox factiosi homines callide libertate abutentes, atroces in principis maiestatem cooriuntur.

Indignis honores, imperia, sacerdotia exprobrare, communem libertatem queri, senescentis sacri principatus vices dolere: atque iam tempus adesse ut omnes simul populi diversarum Italiae regionum ab stirpe similes iisdem et legibus in unam gentem coalescant. Multi libertina audacia praediti, in urbem irrumpere, et omnia quaestui habentes et aliorum divitiis, uti ex hostibus praedae palam inhiantes. Parum abfuit, ita nimirum ferentibus Perusinorum fatis, quin exactis civitatis rectoribus, in alterna vulnera, tamquam ad tristes inferias, se mutuo converterent.

Tunc perspicue adparuit Peccii prudentia, qui in tanta rerum hominumque commotione, verbis, praesentia, consilio inter ipsa pericula inclaruit, maioremque suorum sanguinis effusionem prohibuit.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

DE VETERUM BALNEIS

Atrium thermarum Caracallae in integrum restitutum.

Populi, qui prisca aetate floruerunt, iam inde a remotissimis historiae suae temporibus in heroum vita narrationes plures inseruere, unde aquae pretium ostenderetur; ingeniosisque fictionibus balneorum utilitatem exprimentes, ponto, flumini cuique, singulisque paene fontibus suum numen tribuerunt. Quin etiam, teste Ibyco, Herculem effinxerunt calidi lavacri inventorem, quibus diuturno labore defessus uteretur, sive Vulcano, sive Minerva id remedium ei suadente.

Homerus saepenumero de balneis loquitur tamquam de praecipuo hospitii officio; Hippocrates - mirus ille vir, cuius opera, argutis sapientibusque animadversionibus et iudiciis redundantia, etiam nunc admiramur - balnea innumeris morbis mederi optime monuit; Plinius denique metallicae aquae venas non immerito, et quasi nostra tempora praevidens, « urbem condere » scripsit.

Scimus Lacedaemone civibus omnibus quotidianam in Eurota lotionem lege iussam. Graecia capta etiam balneorum usu ferum victorem cepit, et ipsa aquarum publica aedificia agresti Latio intulit; quae « balineae » appellata sunt, atque magnitudine et splendore Graeca superarunt.

Sic Antonius Caracalla thermas suo insignes nomine struxit, quarum cellam solearem, id est in qua forent balneo destinata solia, negarunt architectonicae consulti, ulla posse exprimi imitatione. Nam ex aere vel cupro cancelli fuere superpositi, quibus concameratio tota concrederetur. Atque Diocletianus Romae, Maximianus Carthagine ac Mediolani, thermas pariter eas instituerunt, quarum vestigia, ad nostros usque dies admiranda, aedificiorum et vastitatem et magnificentiam apprime indigitant.

***

Ex iis, et maxime a balineis Pompeiis detecta, licet huiusmodi aedificiorum rationes atque dispositionem deducere.

Plures erant aditus, quorum alii iis qui ad aquas venirent, alii famulis; unum denique mulieribus, quae balineas suas habebant a virorum omnino separatas.

Ostium in atrium immittebat, amplum satis columnisque decorum, et subselliis plerumque iuxta latera munitum, in commodum sive servorum domini reditum exspectantium, sive generatim civium, quibus aliqua de causa illic esset commorandum.

Prope, cubiculum erat, cuius non satis liquet usus, utrum procoetonis, an balneorum moderatoris.



Termarum Caracallae forma.

Cryptoporticus ad « apodyterium » ducebat, conclave scilicet ubi vestes deponebantur. Inde ad « frigidarium » accessus, cuius in medio « baptismus », hoc est aquae frigidae piscina, patebat. Sequebatur « tepidarium »; quo in conclavi aer tum per candentes carbones, tum per vapores aptis cuniculis immissos, ad certum caloris gradum sustentabatur. Tepidarii usus duplex; alter ad impediendum, ne transitus a thermis ad caelum nocens corpori fieret; alter ut corpus post lotionem per servum, cui « alipta » nomen, et destringeretur et unguentis oblineretur.

Hinc ad « caldarium » aditus, duobus partibus diqua cruditates digererentur ac solverentur. In laconici denique centro vas erat grande latique oris - « labrum » - aqua repletum, qua lutor sese aspergebat, effusum sudorem a se abradens.

Simili prope modo balnea privata disposita erant, quorum nomen, ut a balineis, h. e. publicis balneis (« thermae » etiam vulgo nuncupatis) distingueretur, singularem numerum continenter retinuit. Quamquam « balneum » de nobilibus ac divitibus aedificiis proprie dicebatur; « lavatrina » de dimissioribus, constans plerumque cubiculo cum supellectili ad corpus abluendum idonea.

Thermarum Diocletiani ruinae (Ex tabula, quam aere cusit PIRANESIUS).

stinctum, « alveus » et « laconicum »; altera, constabat fossa cavata ex lapide, vel etiam structili, suos gradus intus habente ad descendendum, et pulvinum ad innitendum; altera - ita appellata quoniam a Laconicorum moribus invecta, - locus erat camcratus, in quo sicco calore sudor provocaretur. Accenso enim igne sub ipso pavimento, quod eam ob rem vacuum instruebatur et suspensum - «hypocaustum» dicebatur - flamma et calor per tubulos in ipsum laconicum ascendebat et ad summam camerae curvaturam; in cuius medio foramen aperiebatur, clypeo aeneo catena apto obstructum; quo clypeo remisso, patebat calori aditus, ut ad superiora conscenderet, aestumque laconici minueret; reducto, omnis calor in laconico inclusus vim suam augebat, atque hac ratione temperatura sudationis perficiebatur,

* * *

Romano imperio in ruinam collapso, in ruinam quoque sumptuosae thermarum aedes ceciderunt.

Medio quod appellamus aevo, nedum balineae, ne balneum quidem in domibus, ipsisque in principum castellis, nobis offeruntur. Ut ad novam vitam Romanorum balneorum morem revocatum inveniamus, ad renatarum tum litterarum tum artium aetatem veniendum est; quo tempore iterum cubicula ad lotiones et balnea comptissime marmore atque picturis decorari coepta sunt, quemadmodum Romae in domo Cardinalis de Bibbiena apud Vaticanum, et Clementis VII P. M. in castro S. Angeli' magna cum admiratione videre adhuc licet.

COLLOQUIA LATINA

Accusatio varia scholastica. (1)

Scholae Ianitor. — At, at, ecce, nunc capti estis: nonne, absente magistro, dum vobis silendum est, confabulamini?

Clemens, discipulus. — Certe fatemur ingenue; sed te, quaeso, ne velis nos magistro notare.

I. — Ergo conticescite; connivebo. Heus tu, Praeceptor adest.

C. — Quid tum?

I. — Respice ad illum.

C. — Quamobrem?

I. — Ut ei caput aperias et venientem salutes.

C. — Sic decet; sed adhuc cogitabam.....

I. — Clarissime domine, admonitione mea non desinunt tumultuari.

Magister. — Quinam auctores sunt turbarum?

I. — Felix iam inde ab ingressu suo nihil aliud quam garrivit; Gregorius sursum deorsum de scamnis saltitat.

Gregorius. — Placetne ut respondeam?

M. — Quid dices?

G. — Felix exturbavit me de loco meo, et protrusit cubito, ut de scamno deciderem.

Felix. — Atqui mihi Gregorius decussit pileum.

I. — Ita se res habet, Magister; Gregorius prior Felicem adortus est.

F. — Quin imo mihi minatus est verbera.....

M. — Siccine?

F. — Prodi, inquiebat, e schola in plateam: impingam tibi alapas; omnes dentes labefaciam tibi.

M. — Novi te ego, Gregori, quam sis petulans: dabis mihi poenas.

. . . . . .

Caesar, discipulus. — Praeceptor, Remigius mihi assiduo crines vellicat.

Remigius. — Ille a tergo imponit scamno pedes, et chlamydem meam calceorum luto contaminat.

C. — Nonne, tu, Remigi, rapuisti e manibus meis pensum et concerpsisti?

R. — Et tu nonne modo conspuis libros meos, modo atramentum adspergis scripturae, et foedas maculis chartas meas? Non sinit me momento esse quietum.

M. — Mox ego adero vobis, et faciam una castigatione altercandi finem. — Alberte, quis tuam sic unguibus laceravit faciem? Videris cum felibus concurrisse.

Albertus. — Acceptum id refero Gaspari nostro.

Gaspar. — Prior me invasit; ego me defendi, Domine: pulsabat me quantum poterat.

A. — Equidem iocabar; at ille serio agens deiecit me in terram, et excussa palma os meum pulsavit ad satietatem.

M. — O Gaspar, Gaspar, tuam istam semel compescam lasciviam! — Tu autem, Ianitor scholae et Custos, nihil praeterea ante meum adventum effrenis de hisce adolescentibus observasti?

I. — Simon et Henricus ante fores singulari certamine decertarunt.

M. — Audiamus eventus pugnae.

I. — Ponunt utrinque pallia et libros humi: consistunt altrinsecus: librant brachia et pugnos. Sine mora involarunt, et se invicem pugnis ceciderunt. Circumfluunt pueri, succlamant; risus tollitur inconditus: turbae fiunt mirabiles.

M. — Uter victoria potitus est?

I. — Uterque mulctatus est probe: Simon e naribus cruorem emisit; Henricus oculum plagis lividum retulit.

M. — Belle! meae nunc sunt partes, ut pacem conciliem.

I. — Lucra fuit velitatio, Domine: non agebatur de capite.

M. — Nec in schola, ubi redierint, agetur de capite, sed de poena.

. . . . . .

Benedictus. — Redde mihi meum Cornelium, Donate.

Donatus. — Quem Cornelium repetis?

B. — Meum; abstrusisti quopiam.

D. — Hodie nunquam vidi.

B. — Immo clam surripuisti.

D. — Magister, ait Benedictus me sibi furto abstulisse Cornelium Nepotem.

M. — Fecisti necne?

D. — Hoc ut fecerim? Malim egere indigne, quam clepere.

B. — Fabulae! Idem nuper suffuratus mihi est chartam de capsula: deprehendi in facinore.

D. — Mutuabar modo; aliam deinde restitui.

M. — Iacebit fortasse sub scamno de quo litigatis Cornelius.

B. — Investigavi; non inveni.

M. — Excute pallium et peram: alicunde excidet.

D. — Eu, Magister, iacet ante pedes. Nempe ego abstuleram? Agam iniuriarum.

. . . . . .

Natalis, discipulus. — Siccine, Gratiane? Scribis pensum in schola?

Gratianus. — Quid tua id refert?

N. — Deferam te ad Praeceptorem.

(1) Ex dialogorum libro Antonii Van Torre passim retractavit I. F.

G. — Id ego curo scilicet! I, curre; non tamen feceris impune.

N. — Neque has minas adeo Magistrum celavero.

G. — Dic quidquid in buccam venerit; non laboro.

. . . . . .

MARTINUS, DISCIPULUS. — Decuriae praefectus nostrae notavit me signo ignorantiae.

VITUS, DISCIPULUS. — Merito: ad singulos versus haesitas.

M. — Immo non amplius his me fefellit memoria.

V. — Certabo quovis pignore ignorare te lectionem: sit Magister arbiter.

MAG. — Quid deponis, Vite, si citra errorem reddiderit?

V. — Ego pro illo luam.

MAG. — Dura conditio: sed quid si causa cadas?

V. — Equidem stabo conventis.

MAG. — Periclitemini.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Nuces relinquere.

Nuces relinquere est, omissis studiis ac nugis puerilibus, ad graviora magisque seria converti. Persius:

. . . . . *Et nucibus facimus quaecumque relictis,*
Cum sapimus patruos.

Translata metaphora a vetusta nuptiarum caeremonia, in quibus sponsus uxorem ducens nuces spargebat, utpote iam pueritiae renuncians. Ita Catullus in carmine nuptiali:

Da, puer, propere nuces.

Et Virgilius in *Bucolicis* (ecl. VIII):

Sparge, marite, nuces.

Quamquam Plinius (lib. XV, cap. XXII) causas alias affert, quam ob rem nuces in nuptialibus caeremoniis consueverint antiquitus adhiberi. Sed praestat ipsius referre verba: «Nuces, - inquit - inglandes, quamquam et ipsae nuptialium Fesceninorum comites, multum pineis minores universitate, eacdemque portione ampliores nucleo. Nec non et honor his naturae peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quae causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis foetu munito, quod est verisimilius, quam quia caedendo tripudium sonumve faciant».

Festus item indicat, in nuptiis a pueris nuces spargi solitas, ut novae nuptae, intranti domum novi mariti, faustum esset auspicium, Addit Servius pueros catamitos, quum resipiscerent, solitos nuces spargere, significantes se posthac omnia puerilia spernere. Vel hinc igitur, vel certe a puerorum lusibus, qui nucibus peraguntur, ductum proverbium videri potest. Nam talis ac nucibus olim lusitasse pueros, vel Horatius testis, quum ait: «Te talos, Aule, nucesque».

Proinde ad hanc proverbii formam pertinebunt et reliquae illae figurae: Nunquam a nucibus recedere — Redire ad nuces — Nuces abiicere — Nuces intermittere — Nucibus indulgere — Nuces repetere, etc.

Bis pueri senes.

Una est ex illis proverbialibus inscriptionibus satyrarum Varronis. Quadrabit in eos, qui provectiore quum sint aetate, tamen puerilibus quibusdam studiis intempestiviter detinentur. Aut in senes aetatis vitio desipiscentes, tamquam iterum in pueritiam revolutos. Seneca: «Non - inquit - bis pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper; verum hoc interest, quod maiora non ludimus». Plato, in libro de republica I, habet quae latine reddita sic sonant: «Non solum igitur senex, ut videtur, bis erit puer, sed ipse etiam temulentus». Et Aristophanes in *Nubibus:* «Pueri, inquies, tibi videri facinus illud esse. Respondeo ipse contra, senes bis esse pupos».

Sophocles autem in *Peleo:* «Ego Peleum Aeaco fatum, pueri in vicem, senem puella moderor atque tempero. Nam iterum puer quisquis senescit redditur».

Theopompus: «Pueros bis esse recte senes dicuntur». — Antiphon: «Senem nutrire perinde est, quasi nutrices puerum». — Lucianus: «Sic enim fiet, ut verum videatur adagium, quo dici solet, senes rursum repuerascere».

Huc pertinet quod in libro *De lingua latina* III scribit Varro, identidem in Atellanis haberi pupum senem, quod Osci suapte lingua vocent *casnar;* nam veteres pupum vocabant puerum. Neque vero proverbium ideo tantum esse dictum, quod senes aetatis culpa desipiscant; verum etiam quod omnibus modis in senibus iam velut exacta vita ad initium recurrere videntur, quemadmodum scite dixit Aristoteles in problemate quodam, in quo quaerit quonam pacto sint accipienda quae priora dicuntur, ac posteriora. Primum enim redit albor simul et raritas capillitii, quorum utrumque pueris familiare; deinde balbuties, velut altera infantia. Praeterea gingiva exarmata dentibus, aut certe perpaucis, et eis vacillantibus instructa, quod et ipsum cum infantibus commune. Quin etiam senibus omne corpus ad puerilem decrescit modum: consimilis virium imbecillitas. Iamvero cibi quoque

consimiles utrique congruunt aetati. Postremo morum ineptia, levitas animi, et hoc ipsum nihil sapere in senibus infantiam quamdam referre videtur. Auctor est enim in *Politicis* Aristoteles, post annos duodequinquaginta ingenii vigorem evanescere coepisse. Unde fit ut senes pueris mire delectentur, quasi similes ad similium amorem propensi.

Unus vir, nullus vir.

Sensus est, nihil egregium praestari posse ab uno homine, omni auxilio destituto. Huc pertinet quod ait Euripides in *Heraclidis:* «Solitariae manus invalida pugna est». Item illud eiusdem: «Vir unus haud videt omnia».

Poterit ad varios usus deflecti proverbium: vel ad insuavem vitam, si non adsit convictor amicus; vel ad iudicium haudquaquam uni committendum; vel ad studium litterarum, quod citra socium et eiusdem, ut aiunt, aemulum Musae, plane friget: vel ad quodvis denique peragendum negotium, quod citra alterius adminiculum commode confici nequeat.

Adagii mentionem facit Zenodotus.

Asinus inter Simias.

Ubi quis incidit in homines nasutos et contumeliosos, ipse stolidus, a quibus impune rideatur, dicitur Asinus inter Simias.

Exstat paroemia apud Aulum Gellium (lib. II, cap. XXIII); constat autem simiam animal esse petulantissimum, adeo ut non vereri dicatur etiam leonem agitare. Dicunt etiam vulgo: «Noctua inter cornices,» ubi stupidior aliquis in homines petulantes ac dicaces incidit. Nihil vero vetat quominus generaliter usurpetur ubi quis in negotium incidit vehementer molestum, aut in infortunium aliquod, unde se non queat exstricare.

Unguibus notari.

Dicitur quod soleat ungue signum apponi, ubi quid parum placet. Horatius dixit: «transverso calamo signum apponere» pro eo quod est: «damnare». In eundem sensum «Censoria virgula» legitur identidem apud S. Hieronymum pro castigandi notandique auctoritate. Item apud Quinctilianum *(Inst.*, I): «Qua quidem ita sunt severe usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare», etc.

A censoribus Romanis traductum, quorum partes erant notare si quid in moribus civitatis dignum emendatione iudicassent, ac mulctam dicere.

Eodem pertinent spongia - lima - caelum, quae in emendationis proverbium abierunt. Spongia deletur, quod non placet; lima detrahitur atque expolitur quod redundat, quodque incultum est; caelo deformatur item ac fingitur id quod est rudius. Proinde in spongiam incubuisse dixit Augustus Aiacem suum, quem deleverat, et sculpturam orationis cultum dicunt, etc.

Sus tubam audivit.

In eos quadrabit, qui res quidem egregias audiunt; verum eas neque intelligunt, neque mirantur. Aut in eos, qui iis quae audiunt, neque gaudent neque commoventur. Equum tubarum clangor concitat ad bellum: suem abigit citius, quam animet ad pugnam.

Exstat apud Suidam de re senarius quidam, qui latine reddi potest:

Asinus lyram, sus audiit stolidus tubam.

Nihil graculo cum fidibus.

Id est: Nihil stolidis et imperitis cum bonis litteris. Nam graculus avis est ineptae molestaeque garrulitatis, atque adeo obstrepera, ut a voce qua sonat, nomen ei inditum putent, auctore Quinctiliano (*Instit.*, lib. I). Tum sui generis conventus amat, quo mutuo garritu strepitus fiat odiosior; porro cithara fidesque silentium postulant atque aures attentas.

Aulus Gellius (*Noct. Att.* elucubr. postrema) hoc adagium torquet in quosdam pinguiore ingenio homines, stolidaque loquacitate praeditos, ac profanos, id est a Musarum sacris alienos.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Decretum de sacerdotibus ad munus «deputati» in Gallia concurrentibus.

Quum sub exitum huius anni finem accipiat in Galliis lex civilis quae vetat ecclesiasticos viros eligi ad munus «Deputatorum» in aula legislativa Reipublicae et ad alia similia officia, et idcirco sacerdotes in proximis futuris electionibus possint ad illa assequenda concurrere; quaesitum est a nonnullis locorum Ordinariis num adhuc vigeat dispositio a SSmo. D. N. Pio PP. X data per officium S. Congregationis a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis die 2 Aprilis 1906, qua statutum est nulli sacerdoti licere sese candidatum sistere ad memorata munera absque consensu proprii Ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt.

Porro, audito Consultorum voto et re mature considerata, S. Congregatio Consistorialis respondendum censuit vigere memoratam praescriptionem pro omnibus cuiusvis ordinis et conditionis ecclesiasticis viris, etiam si forte antea munera praefata fuerint assecuti.

Ssmus. autem D. N. iussit hanc resolutionem publici iuris fieri, et ab eis ad quos spectat religiose servari.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die IX mens. Maii, MCMXIII. — Sign. C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. XVI mens. Iunii MCMXIII damnantur, proscribuntur atque in Indicem librorum prohibitorum referuntur opera, quae sequuntur:

Luigi Renzetti. *Lotte umane; romanzo di vita russa.* — (Roma, 1911).

Sebastian Merkle. *Vergangenheit und Gegenwart der katholisch-theologischen Fakultäten.* — (Akademische Rundesehau; Leipzig Oct. et Nov. 1912).

L. Laberthonnière. *Sur le chemin du catholicisme.* — (Paris, 1913).

— *Le témoignage des martyrs.* (Ibid., 1912).

Stephen Coubé. *Ames juives.* — (Paris s. a.).

M. D. Petre. *Autobiography and life of George Tirrel.* — (London, 1912).

H. A. Van Dalsum. *Er is geene tegenstelling tuschen de beginselen van de fransche Revolutie en die van het Evangelie.* —('S. Gravenhage, 1912).

Ex eodem decreto innotuit Henricum Bremond, decreto S. Indicis Congregationis, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus fuerat, laudabiliter se subiecisse.

Ex Sacra Poenitentiaria Apostolica.

Declaratio circa Iubilaeum.

Proposita quaestione: «An Iubilaeum indictum litteris apostolicis *Magni faustique eventus,* datis d. XIII mens. Martii huius anni, pluries acquiri possit, si iniuncta opera repetantur», declaratum a S. Poenitentiaria est, prout alias, occasione praecedentium iubilaeorum, «praedictum Iubilaeum, quoad plenariam indulgentiam, bis aut pluries acquiri posse, iniuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero, idest prima tantum vice, quoad ceteros favores, nempe absolutiones a censuris et a casibus reservatis, commutationes aut dispensationes».

(Ex decr. d. VI mens. Iunii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Bruno Chaves doctor, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Brasiliensis civitatis apud Apostolicam Sedem, officio functus suo; Angelus De Estrada doctor, ab Argentinensis reipublicae praeside ad Pontificem missus ad grates agendas quod Argentinensis civitatis centenariis sollemnibus recens habitis particeps et Ipse esse voluerit. Denique et in Consistorii aula et in cavaedio magno Vaticani palatii, cui nomen a S. Damaso PP., peregrinorum manipulis sive ex Italia sive ex exteris gentibus simul cum Romanis civibus congregatis pluries in mense sollemniter Sanctissimus benedixit.

Peregrinorum adventus in Urbem.

Per Iunium mensem, ad indulgentias Constantiniani Iubilaei lucrandas, peregrini in Urbem advenerunt ex Hetruria, ex Liguria, ex Samnio, ex Campania, ex Monacensi principatu atque ex dioecesi Bergomensi.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesiae Matanzensi praefecit sacerdotem Carolum Warren Currien, archidioec. Baltimoren.; titulari eccl. archiepiscopali Chalchidensi revmum. d. Carolum Pietropaoli, hactenus episcopum Triventinum et nuper Delegatum apostolicum in ditione Venezuelana renunciatum; metropolinanae eccl. Varsaviensi sac. Alexandrum Kakowski, canonicum Varsavien. et rectorem academiae ecclesiasticae in civitate Petropoli; metropolitanae ecclesiae Viennensi sac. Fridericum Piffl, in saeculo Gustavum, abbatem Lateranensem ac praepositum canoniae Claustroneoburgensis; tit. eccl. arch. Metymnensi revmum. d. Thomam Fennelly, hactenus archiepisc. Cassiliensem; tit. eccl. episc. Cibyrensi sac. Sigismundum Wartz, professorem theologiae moralis in seminario Brixinensi, quem constituit auxiliarem revmi. d. Francisci Egger. episc. Brixinen.; cathedr. eccl. Dunkeldensi sac. Robertum Fraser, rectorem collegii Scotorum in Urbe; cathedr. eccl. Nicosiensi seu Herbitensi r. p. Augustinum Addèo, in saeculo Felicem, ex ordine Eremitarum S. Augustini, priorem in conventu S. Augustini, Papiae: tit. eccl. episc. Tiberiensi sac. Iacobum Sinibaldi, canonicum patriarchalis basilicae Vaticanae, rectorem collegii Lusitani de Urbe; cathedr. eccl. Venusinae sac. Angelum Petrelli, dioecesis Licien., parochum loci vulgo «Arnesano»; tit. eccl. episc. Modrensi revmum. d. Stefanum Iulium Gaxaniol, hactenus episc. Constantien,; tit. eccl. episc. Domitiopolitanae sac. Arthurum Béliveau, parochum cath. eccl. S. Bonifacii, quem constituit auxiliarem rmi. d. Ludovici Philippi Adelardi Langevin, archiep. S. Bonifacii; cath. eccl. Constantiniensi sac. Iulium Alexandrum Leonem Bouissière, archidioec. Albien., vicarium generalem Oranensem.

Brevi autem apostolico nominati sunt: Episc. tit. eccl. Gortiniensis et coadiutor cum futura successione archiep. Wellingtonensis r. p. Thomas O'Shea, Societatis Mariae alumnus; episc. tit. eccl. Milopotamensis et Vicarius apostolicus Guamensis r. p. Augustinus ab Artesa de Segre, in saeculo Ioseph Bernans et Serra, ex ordine Minorum Capulatorum; episc. tit. eccl. Myndensis, cum munere ordinandi clericos Maronitas in Urbe, r. d. Nematallah Carame, rector collegii Maronitarum in Urbe; episc. tit. eccl. Gindarensis et Vicarius apostolicus novi vicariatus de Fianarantsoa in insula Madagascar r. p. Carolus Givelet, Societatis Iesu alumnus; primus episc. novae dioecesis Aimerensis in Indiis Orientalibus r. p. Fortunatus a Turone, in saeculo Henricus Caumont, sacerdos ordinis Minorum Capulatorum; episc. tit. eccl. Gerrhensis et vicarius apostolicus Laosiensis r. p. Constans Ioannes Baptista Prodhomme, alumnus seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteros; episc. tit. eccl. Ionopolitanae r. p. d. Henricus Doulcet, translatus ab ecclesia Nicopolitana.

— Rev. d. Antonius Stoppani, ex Instituto Veronensi Filiorum SS. Cordis Iesu, Praefectus Apostolicus de Bar-el Gazal in Africa centrali nominatus est.

— Illmus. et revmus. d. Carolus Pietropaoli, archiep. tit. Chalchid., legatus extraordinarius mittitur ad Venezuelanas foederatas civitates.

— Emus. P. D. Octavius Card. Cagiano de Azevedo, Pro-Praefectus dicitur S. Congregationis Religiosorum.

— R. p. Aegidius Bertolotti Sch. Piar. inter Consultores adsciscitur S. Congnis. Indicis.

— Illmus. et revmus. d. Dominicus M. Valensise, archiep. tit. Oxyrynchius, inter episcopos Pontificio solio adstantes adnumeratur.

Varia.

Die XXVIII mens. Iunii, sub vespere, SSmus. D. N. Pius PP. X in Vaticanam basilicam de more descendit, sepulcrum Apostolorum Petri et Pauli veneraturus.

ANNALES

Turcarum et Balcanicae gentis nova discrimina.

Et hodie de Orientalibus Europae populis sermonem habentibus iterandum id nobis est, quod alias adnotavimus, illam necopinatorum eventuum esse regionem. Re quidem vera, ut in superiore Ianuario mense civilis Turcarum perturbatio tum obiecta Europae est, quum videbatur Londini pax inita; sic, proximis hisce diebus, pace tandem certa vix composita, Supremi Turcarum Administri caedes omnium animos graviter et acerbe nimis occupavit.

Mahmud Chefket Pacha in pubblica via manuballistulae ictibus est interemptus a quorumdam coniuratorum globo, quos qui procuraverit haud facile liquet. Sunt enim qui in nefando facinore privatam amicorum Nazim Pacha ultionem repetant; sunt qui supremum conatum factionis, cui ab Unione et Progressu nomen, videant, non uno eo fine ut Iuvenum Turcarum aemulorum potentiam frangerent, sed ad ipsum senem Abdul Hamid Sultanum in regnum restituendum.

Quae quidem postrema excogitata nisi veritati apprime respondeant, ad utilitatem certe Iuvenum Turcarum illorum cessit, qui statum, ut ita dicamus, terroris per imperium omne instituerunt, in vincula detrudentes, in exilium, ad ipsamque mortem iuxta libitum suum trahentes quos sibi aliquo modo obstaculo esse aut futuros reputarent: exercitus atque classis duces, populi legatos, diariorum scriptores, ne regiae domus quidem principibus parcentes. Ex facile quibus apparet, minime nunc virtutem eam oriri posse, qua Turcarum imperium omnino indiget, ut morbis tot tantisque mederi queat, unde ipsum vexatur.

Neque melior Balkanicarum gentium sors obiicitur; quarum discordiis, a nobis in superiore Iunii mensis fasciculo enumeratis, ut finis imponeretur, Russorum Caesar suum arbitratum interposuit. Praetereamus aemulationem aliquam apud nonnullam aliam Europae civitatem ex huiusmodi actu, - qui ceterum in foedere, a Bulgaris cum Serbis ante recens bellum facto, praevidebatur - exortam, et bona animorum voluntate facile compositam; gravius id fuit, neque Bulgaros hinc, nec inde Serbos invitationi obsecundasse; contra, conditiones ponere, causam intersere, nugas agere; imo ad ipsa arma venire; quemadmodum nuncii hodie attulere, quos equidem falsos ominamur. Id vero heu! certum, in re adhuc omnes versari periculorum plena.

***

Mauritanae decertationes.

Quae mense Maio Italis in Lybia contigerunt, Gallis et Hiberis nunc in Mauritania evenere. Aciem enim Maugin chiliarcae Mauritani adorti sunt, quae centum et quinquaginta milites aut necatos aut vulnere affectos reportavit; ad Tetuan autem Hispanorum negotia valde iterum facessunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** navalis rei administer Churchill apud populi legatos classem praeter terrestres copias augendam et tutandam vehementer adseruit.

In **Austria** publicae rationes acceptorum et expensarum ad tempus ratae habitae.

In **Batavia** nova comitia favorabilia factioni cesserunt administris obstanti, qui deinde a munere abdicarunt.

In **Borussia** contra, nova comitia factiones easdem, quae antea erant, reliquerunt.

In **Dania** novum administrorum collegium suffectum, praeside Zahle.

In **Gallia** apud populi legatos lex de militia reformanda post acerrimam disceptationem tandem approbata; apud Senatum gubernii propositum de vectigali in successionis iuribus augendo, reiectum.

In **Germania** de re militari novanda adhuc disputatur.

In **Hispania** administrorum coetus, cui Romanones praeficitur, bis dimisit ac bis resumpsit imperium.

In **Hungaria** ad gubernacula imperii Stephanus Tisza, Comes, rursus vocatur.

In **Italia** «legislatura», ut vulgo audit, tempus suum absolvit, ita ut oporteat nova comitia brevi indicere.

In **Lusitania** legationes nonnullae apud exteras gentes, quas inter et apud Summum Pontificem, sive lege sive administrorum decretis ablatae.

PER ORBEM

Die II mens. Iunii MCMXIII nova via ferreis axibus strata inter Bernicas Alpes publice patet.

— d. III Alafridus Austin, Anglicus poeta, Londini moritur.

— d. V Stoyovic, publici coetus legibus ferendis in Serbia quondam praeses, dum filio graviter aegrotanti multa cum pietate adstat, improvisa ipse morte corripitur.

— d. VI ad Hercyniam sylvam et iuxta Rheni fluminis medium cursum atra procella maxima damna apportat.

— d. XI Olysippone magno populi concursu in memoriam Camoëns poetae dies festus agitur.

— d. XV ingens terrae motus Balkanicam regionem quatit.

— d. XVI Berolini, ac per Germaniam universam, ob expletum a Gulielmo II Caesare feliciter XXV regni annum, sollemnia celebrantur.

— die XIX incendium, necopinato exortum, Neapoli navalia pessumdat.

— d. XXII, ad Waterloo oppidum, monumentum inauguratur in Francorum memoriam erectum, qui celebri in pugna, d. XVIII mens. Iunii MDCCCXV illic pugnata, occubuerunt.

— d. XXIII Augustae Taurinorum gravis annorum vita fungitur Iosephus Allievo, moralis philosophiae et de arte educandi magister insignis.

— d. XXIV Gallicae reipublicae praeses Poincaré, ad Angliam proficiscitur, Georgium regem salutaturus. In portu vero Roule, dum bellicorum tormentorum lacto fragore eius discessus salutatur, ex improviso ignitae pulveris glandes nonnullae simul incenduntur mortemque aliquot militibus heu! afferunt.

— d. XXV regalis Hispaniae domus novus princeps, paucos ante dies natus, baptisma percipit, nomine Ioannis ei imposito.

— d. XXVIII terrae motu ulterior Calabra regio concutitur.

— d. XXIX curruum series vapore actorum ob cuiusdam pontis ruinam ad Onday Duruah, Anglicae Indorum regionis oppidum, in flumen praecipitat. Viatores omnes misere aquarum impetu rapiuntur.

— d. XXX cuniculus sub Loetschberg monte effossus, adstantibus tum Italicae tum Helveticae civitatis administris, ferrivia primum transitur.

Sic facies, quaecumque facies, tamquam spectet aliquis.
SENEC., *Epist.*, XXV.

IOCI

Democritus ridens Rabulam.

— Quo properas cum isto chartarum scapo manans sudore?

— Ad agendam causam patrisfamilias.

— Estne inclusus in carcerem?

— Ne per somnium quidem: idcirco patronum me adscivit, fama notum, ut ne ullam poenam criminis daret.

— Cunctanter in arduis, amice: noli, quaeso, citius petere forum; quo enim serius defensionem clientis miserrimi susceperis, eo diutius ipsi frui praecaria, quam vocant, libertate licebit.

AENIGMATA

I.

Claro e patre traho magnae primordia stirpis:
Filius aspernor vilis et ater ego.
Cum patre producor, vitae dum pascor ab auris;
Planta coruscantes occupat atra vias.
Hoc de more meo: sana non mente renidet
Inclusum laribus, qui mihi frenat iter.
Opportuna mihi dant omnes tecta penates;
Vix patre productum pensilis umbra tegit.
Dum feror ad caelum ventis, iure esse superbum
Censeo, qui tumida dat mihi mente locum.
Si vitiis madeo, viola si sorte lacunar,
Haec vitiis virtus additur una meis.
Caelicolas veneror, festivis nempe diebus;
Gaudeo divinis semper adesse sacris.

II.

Ad caelum surgo frondoso vertice. Muta
vocalem: iam te semita tuta manet.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

MARCI MINUCII FELICIS
OCTAVIUS
ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS

Aenigmata an. XVI, n. IV proposita his respondent:

I. (vulgo REBUS):

Infelix cor cumulatur in ira.

II. **Anchora.**

Ea rite soluta miserunt:

Aloisius Cappelli, *Senis*. — Petrus Tergestinus. — Lad. Thyssen, *Dresda*. — Iac. Costa, *Dunio* — Diomedes Falva, *Constantia*. — R. Ferraris, *Augusta Taurin*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — P. Prado, *Venetiis*. — St. Lowinski, *Zerkòw*. — Alb. Kaiu, Ant. Whiteside, *Dublino*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Claudius Lucensis. — Iac. Gomez, *Caesaraugusta* — Carm. Zlinczky, *Cracovia*. — Io. Martins, *Philadelphia*. — Ant. Masia. *Tarragona*. — Alex. Piutauro; Vinc. Starace, *Neapoli*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — F. Correa, *Emerita*. — F. X. M., *Drepano*. — Fr. Xav. Ghion. *Ostunio* — I. Ciolli, *Papia*.

Sortitus est praemium:
ANTONIUS WHITESIDE,
ad quem missum est opus, cui titulus:
VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae *Societatis Editricis Romanae*.

AD ROMAM

10)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

3. — Quis autem Romae novit hoc latibulum?
Enim per obscuros truderunt abditus,
Praecinctos vinculis, velatis oculis.
Manemus donec lux beata affulgeat,
Qua nos ducamur forsitan supplicio!
1. — Foret si protinus!
2. — Quid moramur adhuc?
3. — Et cur?
1. — Sumus quia Christi discipuli.
4. — Dies dum Domini fulgidus pervenerit
Iuvabit, socii, rogare supplices
Deum pro nobis, nostris pro parentibus,
Et ipso nobis saevo pro Maxentio,
Duris qui vexat diu nos suppliciis.
Dei si donum nosceret miserrimus,
Nec nos inquireret tamquam adversarios,
Suos haberet subditos fidissimos.
1. — Deus, da lumen Maxentio et gratiam!
Da Romae pacem!
2. — Redde nos in patriam!
3. — Iesu, qui semper pueros nos diligis,
Eisque fausta Solimis precatus es,
Memor quae mundus admiratus repetit,
Iesu, nos salva, conduc nos in patriam,
Da libertatem nobis et Ecclesiae!
4. — Et usque Roma sit regina gentibus,
Non armis victis, domitis vel sanguine,
Novis sed placitis quae Petrus tradidit.
2. — Quod omen faustum sit et felix populis!
1. — Tacete, postes panduntur, fores crepitant.
Novi quid adest?
2. — Iudicium?
1. — Supplicium!

Scena IV.

Mutius *et* Octavius, *qui introgrediuntur caute.*

1. — Adest quis?
2. — Mutius!
1. — Quod infortunium!
2. — At, at venit...
3. — Quis?
2. — Alter infelix puer!
Hic est Octavius, nepos Anicii!

Octavius (*more puerorum*).

Feci quid tibi? Cur huc me ducis, miser?

Mutius.

Resumas pervelim paulatim spiritus.
Bonus redibis ad patrem mox denuo;
Sed antea nobis sunt agenda plurima.
(ad milites)
Heu! vos venite citius ad me, milites!
Tenete hunc pucrum vestra sub custodia,..
Istos sed subito in carceres trudite!
(*Milites Mutii sententiam sequuntur, et deinde redeunt; obtortis oculis adspiciunt Octavium).*

Mutius (*egrediens*).

Eundum tandem sacerdotes monitum,
Heic captivum mea sub custodia
Detrusum pucrum mihi concreditum.
Nec parvus puer, de familia Anicia! (*Exit*). (1)

Scena V.

Octavius, *solus.*

Octavius.

Quid sibi vult haec longa rerum novitas?
Cur huc duxere clanculum? Quis intelligit?
Premunt me mille circumstant angustiae!
Modo scio nihil; sed quid in posterum?
Hoc unum novcrim Patris angustias...
Si possim! subito meus custos angelus
Ei daret nuncium... Moneret placide
Adhuc me tenuem respirare aërem,
Deum fateri fido Christum pectore.
Ut olim Romae, Christo nunc Anicii
Suam dant fidem semper citra invidiam.

I. Miles (*accedens pavide*).

Hanc lege chartulam!

Octavius.

Quam?

I. Miles.

Tibi porrigo!

Octavius (*legit*)

« Deus cras mittet redemptionem populo,
Erunt et omnes concaptivi liberi! »
Quod nuncium! Quot sunt agendae gratiae!

(Ad proximum numerum).

I. B. Francesia.

(1) I^us *Mites eum caute sequitur. Postea redit.*

Ann. XVI. ROMAE, Mense Augusto MCMXIII. Num. VIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

« Chiliasmus Milienium, Millenarismus ».
Selecta ex bibliothecis et archivis. De utilitate ac praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores.
Horae subsecivae. Ad iuvenes Beneventanos, qui litterarum studiis rite confectis, ex lyceo dimittendi sunt, carmen.
De Leone XIII P. M. Commentarius.
De Crypta Benedicti Patris beglieri ad Montem Casinum splendido artis cultu nuper decorata.
Paroemiae sive Adagia. Stylum vertere. — Omne tulit punctum.
Ex Batavia. De exitu certaminis poetici Hoeufftiani an. MCMXII.
Acta Pontificia. Constitutio Apostolica de novo ad Lateranum Seminario deque aliis institutis in Urbe pro romano italoque clero.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione S. Officii. — Ex Congregatione Rituum. — Ex Pontificia Commissione de Re Biblica.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones.
Annales. Balkanicum novum discrimen. — Ex ultimo Oriente.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romam.

"CHILIASMUS, MILLENIUM, MILLENARISMUS,,

Circa veritates eschatologicas, idest de ultimis hominis, vel *de Novissimis,* primis Ecclesiae saeculis, non leves surrexerunt errores.

Quidam ex iudaica religione ad Christianismum conversi, ac propterea Iudaeo-christiani appellati, antiquae Legi nimio addicti amore, in Montanismum atque Chiliasmum prolapsi sunt. Ab Iudaeorum fabulis atque a gentis iudaicae conceptionibus sine dubio originem ducit error, qui triplici donatur nomine, idest « Chiliasmi, Millenii, Millenarismi », quique saeculis secundo et tertio inter aliquos ex Christianis diffusus fuit. Ista credentes, ait S. Augustinus, (1) « Chiliastas appellant graeco vocabulo, quos verbum e verbo exprimentes, nos possumus Milliarios nuncupare ». Chiliasmi error, qui saeculo quinto non supervixit, a protestantibus quibusdam saec. XVII et XVIII, immo et a catholico theologo Schneider († 1881) in forma tamen mitigata, iterum eductus fuit. Recolendum igitur est, quid Millenarismus docuerit, quaenam occasiones originis illius, quinam fautores, quaenam repugnantiae eiusdem cum Ecclesiae doctrinis.

***

Chiliasmus idem sonat ac « Regnum Christi mille annorum in terra ». Videlicet: « Filius hominis gloriosus in terram descendere debet, atque cum iustis in civitate nova Ierusalem per mille annos regnare. Post regnum huiusmodi, generalis resurrectio, iudicium et finis omnium rerum, necnon aeterna bonorum felicitas locum habebunt; ita ut retributio, quae statim post mortem datur, ad tempus sit, et nonnisi post finale iudicium fiat definitiva ».

Duplex fuit Millenarismi forma, altera *subtilis et mitigata* altera *crassa.* In forma Millenarismi mitigata et subtili gaudia sensibilia excluduntur; in forma vero Millenarismi crassa, gaudia sensibilia spiritualibus iunguntur. (1)

In origine Millenarismi assignanda, praeter scripta apocrypha, ad Iudaeorum ideas et fabulas, atque ad non rectam interpretationem nonnullorum verborum Apocalypsis S. Ioannis recurrendum est. Iudaei siquidem, regnum Iesu Christi temporale per mille annos duraturum exspectabant; quia vero Iesus Christus exspectationem huiusmodi suo primo adventu non adimpleverat, ideo quidam inter Christianos existimaverunt Christum secundo novoque adventu exspectationem illam esse adimpleturum. Praeterea, in sensum Millenarismi a quibusdam christianis fuerunt intellecta verba S. Ioannis (Apoc. II, 5, 7): « Haec est resurrectio prima. Beatus est sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo ».

***

Eusebius refert (2) verba Caii Ccrinthum de Millenarium errore accusantis. Verba eius haec sunt: « Post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines Hierosolymis degentes cupiditatibus et voluptati obnoxios fore ». Cerinthus propterea defensor Millenarismi et quidem crassi fuit. Tertullianus etiam Millenarismi errorem admisit, et in eiusdem favorem, Ezechielis Ioannisque auctoritatem invocat: « Confitemur in terra, - inquit ipse, (3) - nobis regnum promissum; sed ante caelum sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos, in civitate divini operis Ierusalem caelo delatam. Hanc et Ezechiel novit (XLVIII), et Apostolus Ioannes vidit - (Apoc. XII) ».

A paucis inter Millenarismi defensores, S. Iustinus et S. Irenaeus adnumerantur. Primus, quia de partiali

(1) *De Civitate Dei,* 20, 7,

(1) Cf. TIXERONT, *Histoire des dogmes,* I. *Les Hérésies du 2.e siècle,* §. 8.
(2) *Hist. Eccl.,* l. 3, c. 28.
(3) *Adv. Marcionem,* l. 3, c. 24.

resurrectione a Millenarismo edocta videtur loqui dum scribit: (1) « Ego autem et qui recte in omnibus sentiunt Christiani, et earnis resurrectionem futuram scimus, et mille annos in urbe Ierusalem aedificata et ornata et amplificata; quemadmodum Ezechiel et Isaias et ceteri prophetae promittunt ».

Alter, quia in Millenarismi defensionem Isaiae et Ezechielis textus afferre videtur dum ait: (2) « Ipse Isaias manifeste annuntiavit tale gaudium in resurrectione iustorum futurum... Hoc idem et Ezechiel... Si autem quidam tentaverint allegorizare haec, quae eiusmodi sunt; neque de omnibus poterunt consonantes sibimetipsis inveniri ». Assertioni huiusmodi contradicunt alii pro quibus tum S. Iustinus, tum S. Irenaeus asseruerunt (3) errorem Millenarismi a christianis orthodoxis non admitti, et qui non admittunt, putantur, recte eredidisse; vel fatentur praedictos Patres Millenarismi « formae mitigatae » nobiliorique adhaesisse, prouti videlicet Millenarismus, statum quemdam idealem felicitatis Ecclesiae designabat. (4)

S. Augustinus (5) de Millenarismi errore loquens, scribit: « Etiam nos hoc opinati fuimus aliquando »; postmodum vero, Apocalypsis (XX, 4) verba recte interpretatus est.

***

Millenarismus, alienus est a mente Christi, qui nunquam de gaudiis sensibilibus, a « forma crassa » Millenarismi assertis, loquutus est. Scriptura rursus, nonnisi de uniea universali resurrectione loquitur, non vero de prima et seeunda, uti Millenaristae affirmant. Nonne Christus (Ioa. V, 28) ait: « Nolite mirari hoe, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient voeem Filii Dei? » Et (Ioa., VI, 32): « Omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die »? Nonne Apostolus, bonorum malorumque simultaneam resurrectionem describit ad Corinthios (I. *Ep.* c. XV, 52): « In momento, in ietu oeuli, in novissima tuba: eanet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur »? Ex Ecclesiae magisterio edocti, scimus praemium vel poenam alternam animabus post mortem tributas definitiva, non temporanea esse. Contrarium a Millenarismo asseritur. Propter quae omnia, dum Millenarismum reiieimus, verba S. Hieronymi prae oeulis habemus: « Quae qui recipiunt mille quoque annorum fabulas, et terrenum Salvatoris imperium iudaico errore suscipient, non intelligentes Apocalypsim Ioannis, in superficie litterae medullata Ecclesiae Sacramenta contexere ». (6)

Reginaldus Fei O. P.

(1) *Dial. cum Tryph.*, 80, 81.
(2) *Cont. Haeres.*, 5, 34-35.
(3) Tixeront, l. c. S. Iust. *Dial.*, 80. S. Iren. *Adv. haeres.*, V, 31, 1.
(4) *Specht. Dogmatik*, II, B. § 174.
(5) *De Civit. Dei*, 20, 7.
(6) *In Isaiam*, l. 9, c. 30, in fine.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

De utilitate ac praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores. (1)

Permultos esse intelligo, qui de his litteris, quae humaniores voeantur, eam animo imbibêre sententiam, ut earum tractationem leve quidam esse, ac nugatorium existiment, neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas iuventuti tradant, aut eorum magnopere fructuosam esse Reipublieae industriam, in iis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed eircumforaneam quandam, haustamque de triviis ac eireulis requiri doetrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam, neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut maiores in Republica pariant fruetus; doetrinae denique a nullo hominum genere maiorem aut eopiam requiri, aut varietatem arbitrer, eonstitui hodierno die, eam mihi ad dicendum materiam sumere, et nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu atque intolerabili ineruditorum hominum insolentia vindieare. Et vero quid aut huie tempori, aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quae mihi studia eelebritatis aliquid eum aliis in locis, tum hac ipsa in civitate pepererunt, a quorum ego veluti fontibus ad hane quantumlameunque profluxi hominum famam; iis quoque vieissim oratione mea splendoris ae claritatis afferre aliquid coner? Praesertim cum qui hoc litterarum genus aspernantur, facere nullo modo possint, quin de vestra, patres amplissimi, singulari, spectataque in omnibus rebus, ae pene divina sapientia non nihil eadem superbia detrahant. Etenim si haec tota res tam levis est, quam isti eam videri volunt, quae vos tandem eausa eommovit, ut proximo superiore anno, propositis publiee libellis, studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doetrinaeque contentionem excitaretis, utque iis, qui vobis in eertamine probati essent, honestissimum postea praemium ex aerario deceneretis? Quae certe una res ad coereendam istorum temeritatem satis ponderis habere debebat, ut si habetiores eos natura, stolidioresque finxisset, quam ut pervidere harum rerum praestantiam possent, quod tamen vestro, talium virorum iudicio probatum foret, magnum esse aliquid, ae praeelarum suspicarentur. Sed quoniam eum iis, qui auctoritate non moventur rationibus, agendum est, adeste animis, mihique breviter ostendenti, quam varia, quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores doeent, eademque opera quantos ex eorum navitate atque industria Respublica percipiat fruetus, non aures modo, sed mentes quoque attentas, quaeso, paulisper adhibere. Atque adeo, ut haec tota controversia melius diiudicetur, operae pretium est, initio, quaenam sit istorum eontemptorum humanitatis oratio, eognoscere. Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere maioris momenti negotium adhiberi vident, non ad iudicandas lites, non ad agendas eausas,

(1) Cfr. num. sup. — Oratio haec habita est Venetiis postridie non. Octob. ann. MDLV.

non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam; facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poeticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas, et aliquot levia comendae ac poliendae orationis praecepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquiunt, in puerorum consessu de eiusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano, modo de Troiano bello, modo de Ulixis, aut Aeneae erroribus, molli, et ad inanem oblectationem composito sermonis genere disserere; identidemque velut e quibusdam arculis accommodata colorandae orationi pigmenta depromere? Ecquae autem magna eruditio est scire, quot navibus Graeci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenae simulacrum, ut Euripides prodidit? quod emolumentum ex istorum omnium scientia; quod detrimentum ex ignoratione percipi potest? Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim dialecticos spectes, ab iis certa quaedam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur; quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio, tenere, et alios docere prae se ferunt. Quid physici? qui rerum principia causasque tractant, qui, quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum, fulminum, tempestatumque causas; qui corporum caelestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institiones; qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras; qui stirpium, qui omnium ferme rerum, quae gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis caelo, mari, terra, ut poetae loquuntur, praetermissa sit; haec cum tractant, mediocriter ne reipublicae prosunt? Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt philosophiae partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur; ii vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium; quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat; quot sint virtutum, quotque vitiorum genera; quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus; quo modo exsultanti, iactantique se et detrectanti rationis imperium, frenos iniicere oporteat cupiditati; tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo quo nihil pulchrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius, ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandae sint civitates; quibus illae modis fundari atque institui, quibus augeri, atque amplificari; quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint. O res praeclaras, et ardentissimo studio, summaque corporis atque animi contentione dignissimas! O vitae philosophia gubernatrix! O virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix! Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere, tuum est omnem inanitatem et errorem amputare ac circumcidere; tuum est vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina extinguere. Merito divinus Plato nihil te praestantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuisse dicebat. Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti, perfricent frontem, si quam habent, et se ulla ex parte cum philosophiae doctoribus conferendos esse praedicent. Qui si aliquid forte paulo abstrusius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, aut quampiam paulo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant, nonnunquam etiam de eiusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut pro aris et focis certamen suscepisse videantur, Haec fere est eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio; qui quod philosophiam laudant, libentibus id nobis, atque approbantibus faciunt; nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet, plurisve faciat; quod autem nullum censent studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium; in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quae dicturus sum, intelligetur. Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus, nihil aliud nobis quam poeticas fabulas, et exornandae orationis praecepta tradi, non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam, et ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque alio, quam ad puerorum animos, vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poetarum fabulae, quas isti tantopere exagitant, et frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; immo vero sub eis, velut involucris, atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continentur. Eratosthenem quemdam fuisse aiunt, qui poeticem ita contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, ac Aristoteles, quorum non paulo maior est, quam nescio cuius Eratosthenis, auctoritas, ita saepe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quae tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari solco, cum quidam, qui se philosophos videri cupiunt, et quidem eiusmodi philosophos, ut tamquam Atlante caelum, ita philosophiam supercilio suo niti putent, ita despicatui ducunt poetas, ut eorum scripta adspicere se dignari negent. Qui quidem cuiusmodi philosophi sint, ipsi viderint, cum eos contemnant, quos philosophorum coryphaeus Plato, modo sapientiae patres ac duces, modo deorum interpretes, modo deorum filios vocat. Aristoteles autem, cuius isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis identidem poetarum testimoniis utitur, verum etiam libro primo de sapientia, philosophum omnem, fabularum amatorem esse confirmat. Quod igitur Aristoteles esse se aiunt; fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent; hunc enim ex omni memoria unum fuisse philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinae, tum poetarum praecipue scripta contemnerct. Quod quidem se negligendis poetis, ex Aristotelis disciplina ac familia censeri volunt, in eo, meo quidem iudicio, faciunt et impudenter, et imperite. At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poetarum laude dicam; quod si esset, facile os-

tenderem, omnia praeceptae vitae, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam a philosophis ipsis, doceri. Non igitur, cum poetarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quandam virtutis atque doctrinae facimus; non in levibus, minimeque frugiferis rebus operam sumimus, sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid, cum ornate ac copiose loquendi praecepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quae semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Haec enim est illa virtus, quae quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos, eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos, quibusdam velut habenis numerosae orationis regit. Haec illa est, quae consolatur maerentes, afflictos excitat, iacentes erigit; quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefarie in patriam inita consilia dissipavit: hac togatus superavit armatos, ut vel inimicorum confessionem omnibus triumphis maiorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, maius omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Siquidem tyranni possunt illi quidem corpora constringere; animis nullam adhibere vim possunt: hi vero dominantur in animis; quaeque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt; illi invitis imperant, hi volentibus; illi et oderunt omnes, et odiosi sunt omnibus, hos in omne hominum genus benefícos, perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero qui eloquentiam contemnere se simulant, illius praestantiam intelligunt; sed quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri. Orationis igitur meae summa eo redit denique, etiam si nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poetarum fabulas, et iuventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus: tamen neque mediocriter reipublicae prodesse nos, neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cuius non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos et alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris dialecticorum, physicorumve, aut in iis quibus medicinae iurisve civilis scientia continetur, quidquam reperias, cuius intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis; at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui cum scripti sint a viris omnium scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque ceteri, etiam si eam unam artem teneant, quam docent, aliorum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur; neque unquam, aut medico turpe habitum est, nescire leges; aut iurisperito, vel medicinam, vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas non pertractanda quidem, ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen, et delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes iuris civilis ignoratio fefellerat? Libros eiusdem de finibus nunc ipsum interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? quid terrarum situs? nisi qui haec utraque uteumque teneat, satis ne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen, usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos, ac iocari, et nihil docendo aliud, quam puerilem voluptatem aucupari putent! Nam illud quoque minime praetermittendum est, quod agrariorum artium doctoribus neque ornata, neque elegans, neque multis quidem in locis, latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, et inpure, improprie, barbare loquantur: suo id eis quodam iure licere creditur. At nobis dicentibus sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant; ut si quid exciderit parum expolitum, diem nobis continuo dicant violatae latinitatis. Quodque postremae iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in iis etiam, quae subito fundimus, plurimi illigati sint, et verborum, et sententiarum lepores. Quae cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum exspectationi huius professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse nobis labores exhauriendos? Desinant igitur, desinant isti alienae industriae contemptores, gloriae obtrectatores; comprimant vocem stultitiae atque invidentiae indicem. Vos vero, patres amplissimi, pergite, ut facitis; benignitate vestra labores nostros fovete; ut haec florentissima, et bonarum artium studiis deditissima iuventus, exercitationibus hisce nostris ad virtutem praeparata atque praeculta, vestram olim in hac felicissima Republica gubernanda sapientiam facilius imitari queat. Dixi.

M. A. Muretus.

HORAE SUBSECIVAE

AD IUVENES BENEVENTANOS QUI LITTERARUM STUDIIS RITE CONFECTIS EX LYCEO DIMITTENDI SUNT

CARMEN

Advenit tempus, iuvenes, diesque
Claustra quo ludi nimium petentis,
Vinculis fractis rigidi laboris,
Linquere fas est.

Nempe vos omnes studii palaestra
Terruit monstrum quasi turpe visu,
Pressit et longos humeros per annos
Pondere magno.

Ut metum fictum pueris anile
Inicit multis, referens triformem
Vel feram, aut Orcum ingluvie voraci
Nil miserantem...

Hinc iuvat, curis vacuos, per oras
Ire, laetantes per aperta terrae,
Cursu et effreno validas novasque
Cogere vires.

Strata pratorum zephyris tepescunt,
Effluunt rivi laticum sonantes,
Imperat campisque Ceres b atis
Aurea circum.

Ilicis ramis philomela cantat
Abdita et cantu varii tenoris
Gnara concentus modulatur omnes
Aemula plectri...

Dulce, dum caeli nimio calore
Cuncta labuntur, medius diesque
Saevit aestivus, nemoris sub umbra
Degere densa.

Dulcius vero renovare cursum,
Quaeque et hoc anno, studiis vacando,
Ceperit quisquis meminisse grata
Mente placebit.

Vidimus Plauti numeros salesque,
Et quibus verbis parasitus aures
Subdole placet domini, superba
Fercula carpens.

Iamque Lucreti licuit gradatim
Artis insignis penetrare quaedam:
Vidimus parvas atomos fluendo
Gignere mortem . . .

Ille nec scriptor brevis et profundus
Cuius est causas penitus referre,
Arduus quamquam, Tacitus palaestra
Unus abivit.

At quid o Flacci memorem poësis
Uberem fructum? Quid acumen eius
Mentis? et praecepta? quid et levamen
Illius artis?

Nonne ditavit lepidus poëta
Singulum multis monitis acutis?
Scripta quam mox num decet inscienter
Edere vulgo?

Nonne picturae similis poësis?
Optimum vatem decet et litura
Nonne? scribendi et sapere est origo
Maxima recte?

Verba provisam poterunt libenter
Rem sequi: punctum tulit omne dulce
Utili miscens: rude nil valebit
Ingeniumque...

Multa nam quisquis monet aestimanda
Versus, ut rerum pretiosa gaza,
Unde tu plenis manibus per aevum
Sumere possis...

Mitto nec dulcem Sophoclem, Creontis
Iura qui pinxit populis timenda,
Quique fraternum celebravit aestum
Antigoneum.

Euge: tollantur studiis vetustis
Gratiae et plausus, animique sensus
Palpitent illis, velut ob figuram
Dulce canentis.

Ite: splendescat, tenebris fugatis,
Iugiter sidus, generosa Samni
O iuventus: et tibi vita donet
Commoda multa.

Flamma virtutis micet usque luce
Fulgida: pulchri species ocellos
Excitet, sensus graviore nisu
Vilia spernant.

Corda nunc sursum: petere est cacumen
Laudis, ut caules gelidas viator
Alpium fortis petit et pruinas
Despicit altas.

Scande confidens iuga: ridet illic
Praemium metae procul atque nictat:
En gradum, spretis nivibus geluque
Perge, animosa.

Atque ubi dulcis patriae vocarit
Sors amoenas et lituus per oras
Italas stridet, gladio coruscans
Fortiter insta...

Nonne pugnantes Libycis arenis
Gloriae sertis caput haud caducae
Vinciunt? fama super atque noti
Aethera surgunt?

At procul specta memoranda signa
Istius terrae, tibi quae alimentum
Dulce largita est gremioque fovit
Mater ut alma.

Hic enim aetatis monumenta priscae
Atque honor, rerum seriesque fulget
Longa clararum: micat inde fastus
Urbis avitae.

Quidquid attingis, pede vel peragrans
Conteris, volvisve leve et minutum
Frustulum, testis decoris superbi
Assula stabit.

Nititur pilis sinuata moles
Fornicis, prisci monimenta fastus:
Prostypis surgit redimita circum
Aurea porta. (1)

Principi Nervae genito dicatus
Arcus Augusto, notat et triumphum
Numinis clarum et bene facta belli,
Marmore sacrans.

Cernis alata ut mulier decoro
Vestis ornatu facieque pulchra
Flamulam victrix reserare iussa
Brachia tendit?

Virgo et insignis pharetra triformis,
Cruribus nudis, speciosa vultu,
Vestit angustam tunicam, pulcnter
Pexa capillos?

Splendor et clarus capitum decusque
Funditur longe, foliis superbum
Caule ut incincto calicem recenti
Lilia tollunt?

Pontium cernis veterum ruinas,
Signa pilarum ruta, compitorumque:
Illius cernis quoque dicta quae Re-
[gina viarum est...

Est et hic duplex obeliscus, arae
Isidis quondam celebri dicatus,
Sunt et, heu terra, miserum, theatri
Rudera tecti!

Non ego scurrae memoro Vatini (1)
Quatuor nasûm calicem, nec illam
Asperam nodis ferulam unde Flaccus
Verbera sensit.

Ast tuam laudem celebrans tuamque
Gloriam, laetor, quasi fastus omnis
Priscus occurrat mihi, laude digna
Urbs Beneventum.

Hinc mihi salve, docilis iuventa,
Cuius est factis decorare pulchris
Hoc solum, laudum caput et novarum
Cingere sertis.

Perge, quo tendis, salebrasque temne,
Flosculos carpens per amoena prata,
Et ove sensus animi levaque
Membra quiete.

Gaudium exopto comitetur usque,
Ausa dum effingis valide parentum,
Sors et haud fallax referat laborum
Praemia iusta.

Nec tui excedat vigilis magistri
Mente, per vitae spatium, figura:
Heu fluit quidquid, tamen ipse restat
Pectore sensus!

Beneventi, a. d. XI kal. Iul. a. MCMXIII.

MARCUS GALDI.

(1) Ita, monumentum hoc, scilicet Arcus Traianus, appellatum fuit usque ab anno 774. Vide DE VITA: *Thesaurus antiquitatum Beneventanarum* (Romae, ex typogr. Palladis, 1754).

(1) Vatinius, Beneventanus, alumnus sutrinae tabernae, facetiis scurrilibus notus, corpore detorto fuit ac grandi naso. Vitreorum artifex, calices effingebat rostra quatuor, velut nasos, protendentes: ab eo enim *Vatiniani calices* appellati sunt.

De Vatinio vide IUVENAL., *Sat.* V:

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor.....

V. etiam MARTIAL. Lib. 14, *Epigramm.* 96, et TACIT. *Annal.* 15.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS (1)

In omni procuratione rei publicae omnes eum actorem auctoremque habebant.

Utinam sententiam eius essent omnes secuti! Sic Parentem christianae gentis supremum improbi calumnia haud obruissent. Namque hi passim subito atque in posterum in Pontificem iacere consueverunt, quam falso vocabant, Perusinam caedem. Ipse enim ne in suos vel criminis insimulatio caderet, proposuit ut, in rebus Perusii componendis, supremus militum dux ex Gallorum copiis agmen reciperet, quod Romae versabatur. Ne verbum quidem quis esset ausus in Gallorum imperatorem, tunc faustum Subalpinorum socium, hac de re promere?

Apud Perusium enim, ad regni confinia positum, colluvies hominum confluxerat, idque a principe rebellavit, rebusque novis extemplo insolescens studuit. Sed ecce adfuit Pater, qui benignitate docuit, impotentiam animorum auctoritate refraenavit.

Improborum convicia et audaciam aspernatus, novis rerum ordinibus advenientibus, certus cuilibet se obiectare periculo, christianae sapientiae vindex adstitit, et sollertissimus consilio, scriptis iura Ecclesiae mordicus retinuit atque adseruit. Difficillimo illo tempore in Eum nedum fideles ipsi concrediti, sed omnes fere Itali tamquam in acerrimum veritatis magistrum respiciebant.

Iuvabat enim identidem in civitatis commotione vel suos monere de sancta religionis institutione, vel a

(1) Cfr. num. sup.

falsis praedicantium erroribus eos prohibere, et diuturnam doloris acerbitatem, quantum in se esset, Patri lenire. Idque sapientissime obsequitur modo Epistolis suo nomine ad populum datis, modo omnium quoque Provinciae Episcoporum officio. « Quis ipso, aiebant, rectius, quis aptius hoc poterit munere fungi, ad haec maiore fruitur auctoritate vel apud novos rerum arbitros, dum Galli, sub ductu imperatoris Napoleonis III, et Subalpini, ductore suo rege Victorio Emmanuele II, graviter adversus Austriacos in Insubria praeliantur? »

Ephebos in religionis spem succrescentes, legibus datis, apertisque novis gymnasiis, auctis ministeriis, sanctiore disciplina instituere alacer studuit. Quo melius voti compos esset, in iis pietatem erga Virginem Matrem impense fovit, et verbis atque exemplo impigre ad hanc promovendam populos excoluit. Uno verbo, per omnes temporum vices, veteris disciplinae atque optimorum studiorum sospitator adparuit.

Aedes pontificales novo cultu exornavit, eo tamen admodum spectans, ut ad puerorum Collegium facilius ipse accederet, et portas, qua posset pro arbitrio in Seminarium introgredi, aperuit. Illue se se, dato tempore, conferebat, et laetus inter pueros versabatur, quo se modo haberent peramantius postulabat, eorumque studia curiosius curabat. Quadam die, absente forte schola magistro, ipse ultro illue adiit, et, ne quid esset discipulis detrimenti, pro re nata, admirantibus, iuvenili eruditione, locum ex oratione Ciceronis enucleandum tradidit atque interpretatus est; dum alumni, incerti sunt, quid potius laudibus extollerent, doctorisne sapientiam an patris duleedinem.

Sic quoque sacrorum administros, quibus excelsi animi firmitate ac doctrina praelucet, ad exemplar vitae prioris optime in se animatos fingit. Qui coniunctissimi eum ipso vivebant in Dei amore et religionis studio, eumque parentem dulcissimum intuebantur.

Mutuo pectoris amore, ipse excellentes aliquo genere sacerdotes carminibus laudare, item ex sacris virginibus optimas quasque celebrare consueverat.

Inter eos, veluti princeps vel ingenio vel erga Parentem voluntate, adnumerandus est Ieremias Brunellius, politiorum litterarum magister idemque poeta suavissimus. Ei saepe carmina dicavit Noster, quae identidem laudatus in italicum sermonem eleganter reddebat. Prae ceteris paucula memorabo, quibus et Parentis amorem eruere poteris filiique benevolentiam, qui gratulabundus officiosissimas Ei litteras dabat:

Dum Senae Adriacis, Cancri sub sidere, in undis
Mersor, caerulei mulcet et aura freti,
Me salvere iubes, et pignus mittis amoris,
Vota, adfert Ioachim quae mihi sacra, dies.
Quae sit par dono, dulci iucunda Poëtae,
Quae, Brunelli, animo gratia digna tuo?
Carmina carminibus, votis et vota rependam.
Te bonus incolumem sospitet usque Deus.

Antequam vero ad maiora accedo, aliud carminum specimen hoc loco proponendum optime putaverim. Et nobis se se primus offert sacerdos antiquae pietatis et continentiae, nomine Nicolaus Pompilius, qui erat recti tenax, ad consilia prudens, et Curionis munere apud Prunetenses diu integreque fuerat functus. Quo facto canonicus maximi Perusini templi canonicatus est, sacroque Seminario regundo praeficitur. In eius honorem haec carmina composuit, mira simplicitate animique candore eximio:

Pastor ad exemplum, Pruneti *in dulcibus arvis*
Suffecit tenero pascua laeta gregi.
Rector ad exemplum, fingenda pube peritus,
Florere hanc studiis, hanc iter atterere,
Se duce, virtutis docuit: laus inde superstes,
Famaque Pompilium non peritura manet.

Quid excogitari dulcius, quid et dictu rapidius, quam carmen, quod in honorem Petri Penna mox exaravit? Petrus Penna, curio sanctissimi exempli fuerat, admirabili pectoris simplicitate, multorumque recte factorum memoria clarus. Eum sic Noster laudat:

Fortunate senex, dulcis dum vita maneret,
Te candore animi, te pietate, fide,
Aequabat nemo, laetis in rebus, in arctis
Delicium populi, Tu, bone Pastor, eras!

Haec aliaque multa ex compluribus quae passim, arrepta occasione, componebat, e communi naufragio ad nos enatarunt, sicque adhuc doctorum solatio oculisque usurpantur. Quae vulgo omnes admirabantur ac saepius inter se familiares per ludum memorabant, etiam nunc leguntur; cetera nobis aetas invidit, ni potius dicam, ipsa auctoris modestia.

Obiter memorabo anno millesimo octingentesimo tertio et quinquagesimo, a Pio IX P. M. omnium laetitia Nostrum inter Patres Cardinales adnumeratum fuisse. Quod iamdiu ipse Leopoldus Belgarum Rex, ut aliquod esset suae admirationis testimonium ei proficiscenti praenuntiaverat, quodque universi auspicari consueverant, compositis tandem in Urbe rebus, plaudentibus omnibus, perfectum est. Incredibile dictu est, quo gaudio, quibus populi solemnitatibus, rem acceperint Perusini, quorum animi erga Parentem in immensum creverant, quod vir singulari virtute ac pietate praeditus, tot esset honoribus decoratus.

Ipse enim per triginta et amplius annos antiqua fide atque vitae integritate ita se omnibus probaverat omniumque ad se benevolentiam devinxerat, ut nihil ei quod ad res suas spectaret confidentius abderent, vel pleraeque civium controversiae ad eius arbitrium componerentur. Nupturis puellabus pauperioribus eius consilio erant publice dotes adsignatae. In urbe receptum puellis aperuit inopia laborantibus, ut magisterio virginum Deo dicatarum, christianis moribus instituerentur.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

DE CRYPTA BENEDICTI PATRIS LEGIFERI
AD MONTEM CASINUM
SPLENDIDO ARTIS CULTU NUPER DECORATA

Montis Casini celeberrimum illud atque notissimum coenobium nova quasi vita vivere nuper apparuit, convenientibus illuc ex omni Italia, imo ex orbe universo,

Ex toreumate sanctas Virgines referente ex Ordine S. Benedicti in crypta Casinensi.
(Beuronensis scholae specimen).

filiis eius viri, qui vitae sanctimonia, gratia et nomine vere Benedictus apparuit; ut Patris sui, eiusque sororis Scholasticae, sepulcrum merito decore exornatum dedicarent.

Eventus memorabilis est, quippe legatorum coetum congregavit ex omni illo Ordine, qui Magistri ac Legiferi sui vestigiis per saecula quindecim insistens, Christianae Crucis sub umbra, *orans et laborans*, barbarorum quascumque ruinas semper et ubique coercuit, ab eorum impetu humanitatis opera servans; quin etiam nova instituens, quae a sodalibus suis assidue culta, ea tum litterarum, tum artium specimina ediderunt, unde non semel novus ab integro studiorum processus, isque praefulgens, initium sumpserit.

Atqui ornationis species, qua crypta veneranda, ubi Benedicti Patris ossa recondita sunt, nunc splendide nitet, ea quidem est, quae lapidem huiusmodi miliarium posuisse facile dixeris; in illa scilicet christianae artis renovandae ratione, cuius necessitatem sentimus omnes, qui e puris fontibus haustum sanctae religionis nostrae cupimus sensum, et vehementer dolemus artem ipsam nomine tantum, non re esse quidem nunc sacram, quum, iudicii sanitate sensim apud fideles corrupta, hac animi depravatione abutens, in templis, ipsisque augustissimis, ineptam insulsamque suorum operum rusticitatem impudenter proterveque explicat.

Ingenua, contra, simplicitas fere primigenia; apta linearum compositio et concinnitas; rerum congruentia et aequalitas; convenientia consensusque lucis ad colores et umbras; sublimis denique nobilisque humanae vitae per religionem informatio, cuius vi per templum omne pars aliqua saltem immensi, ut ita dicam, Christiani poematis revocetur, penitus inter se congruentibus tabulis, sculpturis, ipsaque aedificii fabrica; ut omnia simul itemque Deum loquantur et concelebrent: hae rationes, caput id ac summa novae huius Benedictinae artis scholae, quae Beuronensi ex coenobio circa an. MDCCCLXXX prolata, Beuroncusis nomine distinguitur, et singularem suam perfectionis imaginem animo et cogitatione conceptam in Casinensi crypta hodie amplissime ostendit.

Ex novis ornamentis cryptae Casinensis.

Nolo tamen ne quis eiusdem scholae specimina videns, quae sub lectorum oculis in hisce paginis pono, me rerum praeconem insimulet, quarum communem intelligentiam fugiat vis atque notio. Scio enim notiones

Germanicorum in mente informatas longe aliter atque Italorum, ac genceratim singulorum populorum esse, quorum quisque habet suos, quas sequi eum oporteat qui omne apud cives suos ferre punctum expetat; id unum contendo, artem eam in sacris esse necesse, quae ex intimo religionis sensu genita, per animorum elevationem ad Deum educata atque confirmata, ad templum schola rigiditate sua nondum aperire valuit, potuerunt quidem Angelicus Fesulanus eiusque discipuli animorum delectationi quondam praebere; — cum hac, inquam, sacra arte religiosi cultus nostri res omnis harmonice informata, religiosae fidei sublimi, ut nostra est, reapse inserviet; divinisque Gregorianis concentibus, quorum nunc suavitatem pulcritudinemque percipere coepimus,

Musivum novum opus in crypta Casinensi. (Beuronensis scholae specimen).

unice apta, peculiarem suam, puram, severam, hieraticam formam imponat, cum arcana illa liturgiae nostrae nostrique ecclesiastici cantus gravitate apprime concordem; praecipue autem cum prece nostra, nostraque fide.

Cum huiusmodi sacra arte, — cuius intimam comprehensionem si universorum intellectui Beuronensis tamquam naturali socio adiuncta, auxilio nobis profecto erit, ut spiritum ex terrae angustiis liberemus ac sublimem ad caelum tollamus, in Deo nos colligentes, animumque in aeternae pacis spe recreantes, ad quam sacra haec ars una cum illo cantu placide, blande invitat.

I. F.

CRYPTA VENERANDA
QUAE IN MONTE CASINO
BEATISSIMI BENEDICTI
MONACHORUM CONDITORIS AC PATRIS LEGIFERI
OSSA
A SAECULIS SERVAT
NUPERRIME INSTAURATA ET EXORNATA.

—

CRYPTA QUAE IN URBE NURSIA
EIUSDEM CAELITIS BEATI INCUNABULA REFERT
RECENTIBUS OPERIBUS
PARI MAGNIFICENTIA ET PIETATE
INSTAURATUR ET IPSA, AC DECORATUR.
ANNO CHR. MCMXIII.

CARMEN

BENEDICTUS *qui venit in nomine Domini.*
(MATTH., 25.)

Quidnam portendat, nostris quod cernimus oris,
Prodigium patrii cultus, et pignus amoris?
Quum novo et insigni prorsus fulgore nitescat
Crypta Patris sacra quae Benedicti continet ossa,
Ipsius et cunas, quas Altrix Nursia servat,
Pulvere deterso, miro splendore refulgent.

Anne novus nobis seclorum nascitur ordo,
Ut demittatur caelo Benedictus ab alto,
Visat ut Ausonias pollentes artibus urbes
Omnigenis, cives largis opibusque potentes?

Ferrea si mundum aetas, Te nascente, premebat,
Sterneret ut passim densa caligine terras,
Sol velut exoriens noctem depellit et umbras,
Italiae tu barbariem, Benedicte, fugabas.

Arma Tibi pietas dedit et sapientia lumen;
Quin, Phoebo potior, tu blanda voce piisque
Demulces modulis hominum rigidissima corda.
Quis neget heu! alias nunc incubuisse tenebras
Gentibus excultis, animos moresque protervos?
Hanc tu barbariem procul, o BENEDICTE, repelle,
Quae Italiae urbibus exitium parat, atque ruinas:
Unde Tibi grati rursus plaudemus, et aras
Iam Tibi sacratas merito cingemus honore.

Albintimilii.

CALLISTUS AMALBERTI.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Stylum vertere.

Ex Horatiano illo in *Serm.:* «Saepe stylum vertas», est mutare quod scripseris. — Antiquitus, uti notum est, in tabellis ceratis scriptitabant stylo graphiario, cuius altera parte, nimirum acuta, per aequor cereum ducta, litteras exarabant, altera latiore rursus obliterabant, quod exarassent.

S. Hieronymus adversus Rufinum: «Quamdiu non renuebam laudationem tuam, sequebaris ut magistrum; fratrem et collegam vocabas, et catholicum in omnibus fatebaris. Postquam vero non agnovi laudes tuas, et me indignum tanti viri praeconio iudicavi, vertis stylum, et omnia laudata prius vituperas, de eodem ore et dulce proferens et amarum». Hieronymus imitatus est Ciceronem, qui in Verrinarum actionum IV scribit: «Timuit aliquando et commotus est; vertit stylum in tabulis suis; quo facto causam omnem evertit suam».

Invenitur et «stylum infigere», et «stylo appetere» pro eo quod est scriptis insectari atque invehi.

Omne tulit punctum.

«Omne tulit punctum», itemque «cunctorum calculis» legimus pro eo quod est «omnium sententia et comprobatione». Quorum prius translatum est a consuetudine comitiorum, ubi tabella circumferri consuevit, in qua puncto apposito significabant, cui candidatorum suffragarentur; posterius a iudiciorum sortibus. — Notum est Horatianum illud in *Art. poet.:*

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci;

quibus significatur, qui iucunda modo scribant, iis dumtaxat placere, qui voluptatem appetant; contra, qui utilia, iis tantum probari qui utilitatem quaerant; at qui voluptatem cum utilitate coniunxerit, eum omnium suffragio laudari.

Idem in *Epistolis:*

Discedo Alcaeus puncto illius, ille meo, quis?
Quis, nisi Callimachus?

Et in epigrammate choriambico, quod refertur a Porphyrio:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis:
Suffragiorum puncta non tulit septem.

Aristides in *Themistocle* communem Graecorum calculum dixit pro eo quod erat totius Graeciae consensus. — Cicero *(Tuscul.* II): «Quae flamma est, per quam non cucurrerunt, qui haec olim punctis singulis colligebant?» Agit nempe de magistratibus, qui singulorum civium suffragiis mandabantur. — Appuleius denique *(Asin.*, lib. VI): «Certe calculo cunctorum, utcumque mors ei fuerat destinata»; id est omnium suffragiis sententiisque.

EX BATAVIA

De exitu certaminis poetici Hoeufftiani an. MCMXII.

A Regia Nederlandica Academia haec de exitu certaminis poetici Hoeufftiani an. MCMXII ulterius accepimus, quae libenter edimus:

Exitus certaminis in hunc annum indicti hic fuit. Praemium aureum reportavit Raphaël Carozzari, poeta *Amaryllidis.* Deinde hoc ordine magna ornata laude legati Hoeufftiani sumptibus in lucem edentur haec carmina: *In funere Ioannis Pascoli* poetae Petri Rosati, *Alumnus Virgilii* poetae Adolphi Gandiglio, *Titanicae interitus* poetae Henrici Padberg, *Alma quies* poetae Petri Helberti Damstè, *Duo insontes* poetae Francisci Sofia-Alessio, *Vox patriae* poetae Antonii Giovannini, *Aeriae vocis* poetae Ios. Albini.

P. D. Chantepie de la Saussaye,
Ordinis litterarii Academiae Regiae Nederlandicae praeses.

ACTA PONTIFICIA

Constitutio Apostolica de novo ad Lateranum Seminario deque aliis institutis in Urbe pro romano italoque clero.

PIUS EPISCOPUS
Servus servorum Dei
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In praecipuis et maximis apostolici officii muneribus hoc Nos iam inde ab initio Pontificatus habuimus, studiose diligenterque curare, ut qui in sortem Domini vocati essent, ad tantum ministerium et virtutis et doctrinae ornatu quam plenissime instruerentur. Cuius quidem Nostrae curae illa sunt argumento: sacrae seminariorum visitationes decretae et pluribus iam locis peractae; novae, praesertim Italiae seminariis, leges datae de disciplina ac pietate refovenda deque studiis ad tempora accommodandis; aedes, item per Italiam maxime, adiuvantibus locorum Ordinariis, ab inchoato exstructae, ubi segregati a natu minoribus maiores clerici plurium dioecesium, qui proximi sint sacerdotio, communiter sub delectis moderatoribus et magistris exquisitiori quadam magisque sacro ordini congruenti ratione conformentur; ad haec sacro Consilio Consistoriali, cui Pontifex ipse maximus praeest, peculiaris seminariorum demandata curatio, aliaque in hoc genere opportune constituta.

Consentaneum enimvero erat, ut huius diligentiae studiique partem non postremam alma haec Urbs Nostra sibi vindicaret, ubi inter plura omnium fere nationum ephebea, sacrae iuventuti instituendae providentissime condita, floret quoque a tempore SS. Concilio Tridentino proximo seminarium Nostrum Romanum; et cum eo aliis temporibus erecta seminaria Vaticanum, Pium, SS. Ambrosii et Caroli, nec non collegia Capranicense, Leonianum, et in Romano Seminario Cerasolium; ad

quae non modo ex Urbe, sed ex tota ferme Italia alumni confluunt, rite, inspectante Sede Apostolica, ad sacra instituendi.

Ac primum omnium, quum ex relationibus Nobis factis et ex peritorum consultatione cognovimus sedes, quas Seminarium Romanum una cum Pio ad Sancti Apollinaris inhabitat, necessitatibus pares non esse, eisque carere commoditatibus rerum, quae ad tuendam adolescentium valetudinem requiruntur, de nova sede comparanda res esse videbatur. Ergo quum cogitaremus de idoneo ad aedificandum loco, menti Nobis occurrit antiquissima illa ac omnium celeberrima schola, quae in Patriarchio Lateranensi primitus instituta et dein aucta firmiusque constabilita, sanctorum ferme seminarium fuit ac tot tantosque Dei sacerdotes per saecula Ecclesiae donavit; quam ob rem in solo privato Sedis Apostolicae ad Archibasilicam Lateranensem ampliorem commodioremque domum seminario Nostro a fundamentis excitari iussimus, non sine spe vetustas Cleri Romani glorias, Deo favente, revocandi.

Hisce autem aedibus ingenti molitione exstructis, opus esse videbatur efficere, ut ipsum seminarium Romanum et alia, quae diximus, pro Italis clericis urbana seminaria et collegia mutatis temporum conditionibus iam aptius congrucrent.

Quare nonnullos S. R. E. Cardinales in consilium adhibuimus, qui omnia diligenter considerarent, ac Nobis quae sibi visa essent opportuniora proponcrent. Itaque ipsorum Nos consulto atque ex matura deliberatione Nostra haec statuimus et iubemus:

I. — Seminarium Romanum duplex esto, minus et maius;

II. — Seminarium minus eos habeat alumnos, qui studiis litterarum in *gymnasio* dent operam; idem locum sedemque seminarii Vaticani occupet. — Ita seminarium a clarae memoriae Pontifice maximo Urbano VIII in cultum venerandae S. Petri Basilicae erectum atque ab aliis decessoribus Nostris munifice amplificatum, nunc, salvo eius fine naturaque incolumi, seminarii Romani honorem nanciscitur;

III. — Seminarium maius alumnos philosophiae ac theologiae studiis deditos complectatur; sedem vero in novis apud Archibasilicam Lateranensem aedibus habeat;

IV. — In aedes easdem seminarium Pium, a decessore Nostro sanctae memoriae Pio IX conditum, transferimus, salvis pariter, quod ad finem eius naturamque pertinet, legibus conditoris;

V. — Ibidem sit SS. Ambrosii et Caroli collegium, quod Seminario Romano adiungimus;

VI. — In collegium Leonianum posthac ne recipiantur nisi sacerdotio iam initiati, qui, studiorum et amplioris eruditionis causa, sui quisque Episcopi permissu, Romam se contulerint;

VII. — Facultates philosophiae ac theologiae, ut in seminario Romano sunt a Pontificibus maximis constitutae, ita in seminario maiori ad Lateranum perseverent;

VIII. — Facultas vero disciplinae iuris, quae item in Seminario Romano usque adhuc fuit, iam nunc cum suis alumnis apud collegium Leonianum sit: ea tamen a seminario Romano avulsa ne habeatur, sed semper in ipsius seminarii scholis numeretur;

IX. — Academia theologica, olim in magno lyceo *Sapientiae* instituta, in aedibus ad S. Apollinaris, quas Consistoriali decreto diei XXV Ianuarii MCMXI pio operi cessimus pridem erecto in religiosa domo a SSma. Trinitate penes Curiam Innocentianam, perpetuo maneat;

X. — Legitimo studiorum curriculo in Urbe ad sacerdotium tendere iam nemini ex Italia liceat, nisi vel in Lateranensi vel in Vaticano seminario commoretur. Hac tamen lege ne ii teneantur, qui ad Evangelium infidelibus praedicandum sese in propriis Urbis collegiis parare velint; neu quibus in collegio Capranicensi, ex primigenio eius instituto, locus pateat.

Quod reliquum est, de hac exsequenda Constitutione Nostra peculiares praescriptiones mox edituri sumus; quas quidem sancte inviolateque, ut ea quae his litteris constituimus, ab omnibus servari volumus.

Iam vero divitem in misericordia Deum imploramus, ut super hanc domum, quam quasi alterum Patriarchium magnis impendiis excitavimus, oculi Eius aperti sint die ac nocte; opus a Nobis singulari studio ad Eius gloriam pro animarum salute susceptum, perficiat Ipse et confirmet; alumnisque sacri ordinis, Apostolorum principum et utriusque Ioannis patrocinio commendatis, benignus adsit, ut sacerdotes evadant integrae fidei, actuosae caritatis, probe doctrinis exculti, solide humilitate constituti, quales Ecclesia sancta omnibus sibi precibus et votis exposcit.

Haec autem statuimus et sancimus, decernentes has Nostras litteras firmas et efficaces esse ac fore, contrariis quibusvis, etiam peculiari mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Iunii, natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, anno Incarnationis Dominicae MCMXIII, Pontificatus Nostri decimo.

A. CARD. AGLIARDI
S. R. E. Cancellarius.

C. CARD. DE LAI
Secretarius S. C. Consistorialis.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Dubia circa iuramentum antimodernisticum.

Ordinarius Verapolitanus ad oras Malabaricas in Asia, ad S. Congregationem Consistorialem dubia quae sequuntur proposuit circa iuramentum antimodernisticum, nempe:

I. — An Ordinarius in casu concedere possit sacerdotibus extradioecesanis latini ritus, a suis Ordinariis pro sua respectiva dioecesi iam adprobatis, facultatem audiendi confessiones sive pro una alterave vice sive ad aliquod plus minusve longum temporis spatium, quin cogatur ab eis denuo excipere iusiurandum praescriptum in Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* contra modernistarum errores. — *Resp.* Affirmative.

II. — An idem possit Ordinarius, si agatur de sacerdotibus ritus syromalabarici, qui, etiamsi in suo ritu adprobati fuerint ad confessiones; nunquam tamen dictum iusiurandum praestiterunt. — *Resp.* Si agatur de facultate concedenda per modum actus transeuntis, affirmative; aliter, negative.

(Ex decr. d. XX mens. Iunii MCMXIII).

Declaratio de novis legibus a Republica S. Marini circa bona ecclesiastica conditis.

Civile Reipublicae S. Marini gubernium, nulla pertractatione cum ecclesiastica auctoritate praemissa, imo ne hac quidem praeventa, die XXVII mens. Aprilis MCMXII legem tulit, cui adiecit aliquas exsecutionis normas, quibus, supremum dominium in bona ecclesiastica sibi arrogans, ius sibi vindicabat bona ipsa concedendi, vel non, parochis aliisque ab auctoritate ecclesiae electis; eademque in vacatione beneficiorum occupandi; imo semel concessa, unius potestatis civilis iudicio et arbitrio, auferendi et sequestrandi, nedum « *quando siansi* « *commesse malversazioni o gravi negligenze nell'am-* « *ministrazione;* sed etiam « *quando sia necessario per* « *motivi di ordine pubblico* » ; ac denique in casu vacationis aut sequestrationis bonorum, reditus erogandi in finem alium ac a fundatione praefinitum.

Ad S. Congregationem Consistorialem delatam rem Emi. Patres semel et iterum expenderunt, ac denique, probante SSmo. Dno. N., haec quae sequuntur declaranda et publici iuris facienda iusserunt: « Memoratam legem et additas exsecutionis normas spolium constituere iuris ac status, quibus a saeculis in Republica S. Marini legitime Ecclesia fruebatur, tanta maiori offensione patratum, qua sine ullo praenuntio, sine ulla plausibili ratione statutum et consummatum est. Quae enim adducitur patrimonii ecclesiastici tuendi ratio commentitiam esse evinci, tum ex eo quod canonicae leges, si libere riteque applicentur, abunde sufficiant ad conservationem rectamque bonorum ecclesiasticorum administrationem; tum ex eo quod plures legis et normarum articuli nil ad bonorum conservationem conferant, sed ad id unum intendunt, ut privationis aut sequestrationis bonorum minatione sacerdotes terreant, eisque iustam libertatem adimere et civilis potestatis ditioni et arbitrio mancipare nitantur. Quapropter eamdem legem, utpote iniustam, laesivam iustae libertatis Ecclesiae et dissolutivam ecclesiasticae disciplinae, nullo modo ab Ecclesia acceptari posse; quin imo a canonicis legibus iam esse damnatam, prout liquet ex art. XI Const. *Apostolicae Sedis,* quo contra usurpantes aut sequestrantes bona ecclesiastica poenae statutae sunt ». — Dat. d. XIV mens. Iunii MCMXIII.

Ex Congregatione S. Officii *(Sect. de Indulgentiis).*

Dubia circa ss. numismata scapularibus sufficienda.

I. — Utrum sacerdos pollens facultate scapularia imponendi, possit unico signo crucis pro unoquoque scapulari benedicere publice omnia ss. numismata quae habent fideles in ecclesia vel in quodam conventu, quin haec numismata videantur, nec in individuo cognoscantur? — *Resp.* Affirmative.

II. — Utrum benedictio impertiri possit ss. numismatibus pro personis iam non adscriptis scapularibus per impositionem, sed postea vel serius adscribendis; quae numismata gauderent favoribus scapularium, tempore quo personae erunt adscriptae per regularem impositionem? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

III. — Utrum benedici possint numismata multa, quae distribuenda sunt quibuscumque personis, quarum aliae iam scapularibus adscriptae sunt, et aliae non adscriptae; et in hoc casu, numismata, saltem personis iam scapularibus adscriptis data, eruntne benedicta? — *Resp.* Provisum in II.

(Ex decr. d. V mens. Iunii MCMXIII).

Decretum seu Declaratio circa pia obiecta a Summo Pontifice benedicta.

SSmus. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia r. p. d. Adsessori supremae Congregationis sancti Officii impertita d. XII mens. Iunii MCMXIII, benigne declarare dignatus est, Indulgentias, quas Ipse solet adnectere crucibus, crucifixis, rosariis, coronis, ss. numismatibus et parvis statuis, sibi a fidelibus porrectis, illas tantummodo esse intelligendas, quae in elencho, a S. C. Indulgentiarum d. XXVIII mens. Augusti MCMXIII edito, recensentur quaeque apostolicae nuncupantur; nisi expressis verbis significet, alias insuper velle adnectere, v. gr., S. Birgittae, vel Crucigerorum, specifice ac nominatim eas designando.

Ex Congregatione Rituum.

Decretum de mutationibus in Breviario Romano faciendis ad normam Constitutionis Apostolicae « Divino afflatu ».

Per decretum S. Rituum Congregationis *Urbis et Orbis* diei XXIII mens. Ianuarii MCMXII iniunctum fuit ut Breviariis et Missalibus Romanis iam editis et apud typographos adhuc exsistentibus adiiceretur fasciculus, iuxta prototypum vaticanum adprobatus, cui titulus: « Mutationes in Breviario et Missali Romano faciendae », etc., ne utriusque textus liturgici exemplaria iam impressa inutilia evaderent. Quum vero sacra eadem Congregatio ceteras omnes mutationes, ad normam Constitutionis Apostolicae *Divino afflatu* et Decretorum, tum Breviarium tum Missale Romanum concernentes

una cum praedictis iam evulgatis, non solum ad modum appendicis, sed suis locis respective adiungendas et inserendas censuerit; interim praehabito specialis Commissionis liturgicae suffragio, has mutationes, Breviarium tantum respicientes, distincte et ordinate dispositas atque collectas, sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X supremae sanctioni demisse subiecit. Sanctitas porro Sua, referente Cardinale S. Rituum Congregationi Praefecto, easdem mutationes, prouti in novo exstant prototypo, ratas habere et adprobare dignata est, simulque mandavit, ut ipsae, in futuris Breviarii Romani editionibus suis respectivis locis aptatae, rite inserantur. Attamen eadem Sanctitas Sua benigne indulsit, ut Breviarii Romani editiones huc usque impressae adhuc acquiri et adhiberi licite valeant; dummodo utentes observent normas pro Horis canonicis persolvendis in Constitutione *Divino afflatu* aliisque Apostolicae Sedis dispositionibus praescriptas. — Dat. d. x mens. Iunii MCMXIII.

Ex Pontificia Commissione de Re Biblica.

I.

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate libri Actuum Apostolorum.

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. — Utrum perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se, sive in sua ad tertium Evangelium relatione considerati, et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione (*Luc.* I, 1-4; *Act.* I, 1-2), uti certum tenendum sit volumen, quod titulo Actus Apostolorum praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem? — *Resp.* Affirmative.

II. — Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stylo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinae, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere; ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

III. — Utrum, in specie, pericopae in Actis conspicuae, in quibus, abrupto usu tertiae personae, inducitur prima pluralis *(Wirstücke)*, unitatem compositionis et authenticitatem infirment, vel potius historice et philologice consideratae eam confirmare dicendae sint? — *Resp.* Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

IV. — Utrum, ex eo quod liber ipse, vix mentione facta biennii primae romanae Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum deperditum conscripsisse, aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit post eamdem captivitatem differri; vel potius iure et merito retinendum sit, Lucam sub finem primae captivitatis romanae apostoli Pauli librum absolvisse? — *Resp.* Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

V. — Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae Palaestiniensis fundatoribus nec non cum Paulo gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit; tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis; tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis; certo teneri debeat, Lucam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse, eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse; adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet? — *Resp.* Affirmative.

VI. — Utrum difficultates quae passim obiici solent tum ex factis supernaturalibus a Luca narratis; tum ex relatione quorumdam sermonum, qui, cum sint compendiose traditi, censentur conficti et circumstantiis adaptati; tum ex nonnullis locis ab historia sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus; tum demum ex narrationibus quibusdam, quae sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur; tales sint ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquo modo minuere possint? — *Resp.* Negative.

II.

De auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli Apostoli.

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. — Utrum prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quae pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorumdam haereticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero paulinarum epistolarum, nulla reddita causa, eraserunt, ab ipso apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas? — *Resp.* Affirmative.

II. — Utrum hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam recentioribus criticis invecta et varie proposita, qui, nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistoliis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve praeiudicium inferre possit? — *Resp.* Negative.

III. — Utrum difficultates quae multifariam obiic

solent sive ex stylo et lingua auctoris, sive ex erroribus praesertim Gnosticorum, qui uti iam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticae hierarchiae, quae iam evoluta supponitur, aliaeque huiuscemodi in contrarium rationes, sententiam quae genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirment? — *Resp.* Negative.

IV. — Utrum, quum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, Ss. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, necnon ex indiciis ipsis quae tum ex abrupta conclusione libri Actuum tum ex paulinis epistolis Romae conscriptis et praesertim ex secunda ad Timotheum facile eruuntur, uti certa haberi debeat sententia de duplici romana captivitate apostoli Pauli; tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli? — *Resp.* Affirmative.

(Dat. d. XII mens. Iunii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. per mensem Iulium coram se admisit peregrinorum manus ex dioecesi Bergomensi ac Berolinensi, quibuscum plures alii Germanici cives sese congregarunt; praeterea ex Sardinia et Dalmatica regione. Ad Pontificem etiam accessit Catholicorum alumnorum acies ad nauticum ministerium addicta apud Civitates Foederatas Americae Septentrionalis.

Pontificiae electiones.

R. p. Franciscus Iosephus Dautin, e Congregatione Missionariorum «de la Salette» Praefectus Apostolicus de Betafo nominatus est.

— R. p. d. Petrus Zanolini, episcopus Fabrianen. et Matelicen, ad cathedralem ecclesiam Laudis Pompeiae transfertur.

— R. p. Philippus Maroto, Procurator generalis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. inter Patres Consultores Supremae S. Congregationis Sancti Officii adsciscitur.

ANNALES

Balkanicum novum discrimen.

Bellum quod inter fratres Balkanicos populos nuper exarsit, licet brevi ad finem pervenisse apparuit, id tamen fuit, ut Berolini non immerito vocatum sit omnium rerum infitiatio, quae humana mente concipi possint. Bulgari, qui profecto bellicae suae virtuti nimis confiderant, contra Serbos et Graecos simul operantes in campum descendere non dubitarunt; malo tamen auspicio, quia ad Coscianam, Doiram atque Strumnitza superati, deperditisque Istip, Serres, Ghergelique oppidis, abiatam a se omnem triumphi spem viderunt. In gravi hoc discrimine Rumeni ecce, iamdiu parati, maiores utilitates sibi optantes, favorabilem occasionem nacti, integris copiis Silistriam, Turtukai, Dobric, Balcik occupatis, Sophiam usque pergere minitantur, ubi civium iram rerum per seditionem evertendarum cupidam componere necesse est Danefium, gubernii praesidem, eiusque collegas per novos administros Radoslawoff, Gheradieff atque Ghescioff sufficiendo, qui pacis actionem cum proxima Rumenorum civitate inire satagunt.

Neque haec satis Bulgaris; imo et Europae omnis anxietatibus. Turcae enim et ipsi, quamquam Londinensis pactionibus devincti, memoratis eventibus abutentes, ad Enos Midia constitutos sibi fines castra ponunt, deinde ad Maritza flumen progrediuntur, denique Adrianopolim ipsam urbem indefensam repente iterum occupant, eidemque suos administros sollemniter imponunt.

Adversus audacem hanc agendi rationem, Europae civitates quid reapse agendum sit ne peiora gignantur non clare adhuc perspiciunt: dum enim in unum facile conveniunt, Turcas neque debere neque posse Adrianopoli in urbe manere, quid consilii capiendum sit ut illi illinc excedant inter se dissident. Certe rei exitus facilior eo erit, quo citius inter Balkanicos populos concordia restituatur; ad quam indutiarum consensus, qui hodie quum scribimus nunciatur, fore ut brevi adducat speramus.

***

Ex ultimo Oriente.

Belli rumores ex ultimo quoque Oriente insonant. In Sinis enim dum conflictiones impendere dicuntur, ob concessiones a Russico gubernio in Mongolia habitas, cives inter se intestinis discordiis digladiantur, gentibus australes magnae illius regionis oras incolentibus, rem publicam a septentrionali gubernio omnino separatam repetentibus. Quamquam huius conaminis exitus ob longe superantes ac disciplina coercitas Yuan-Sci-Kai, universae civitatis praesidis, copias non erit indubius, is tamen non sine sanguinis effusione fiet.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** apud publicorum legatorum coetum disceptatio inita de novarum navium constructione; apud Senatum lex tum de Hiberniae libertate tum de separatione, quae dicitur, inter statum et ecclesiam in Vallia rursus refectae.

In **Batavia** novum administrorum collegium constitutum, praeside Bos.

In **Gallia** leges de militiae ordine atque vectigalium renovando, post longam acremque disputationem, tandem iuxta administrorum consilium ratae habitae.

In **Germania** Heeringen dynastae, bellicae rei administro, Von Falkenhain, copiarum dux, suffectus.

In **Hungaria** Beoethy, commerciorum praefecto a munere sponte recedenti, Harkany substitutus.

In **Italia** Leonardi Cattolica, praetori navali, navalium rerum gubernationem dimittenti, Henricus Millo propraetor successit.

PER ORBEM

Die I mens. Iulii MCMXIII Italiae rex et regina ad Kiel et Stocolmam proficiscuntur, Germanorum Caesarem et Suetiorum regem visituturi.

— d. II octoginta et tres annos natus Aquis Allobrogum moritur Victorius Henricus de Rochefort Luçai, notissimus ille et acer sive in diariis sive in publico Gallorum coetu legibus ferendis disputator.

Incendia dolo, uti creditur, facta ingentibusque cum damnis nunciantur Neo Eboraco, Vindobona et ex vico Stamboul Constantinopolitanae civitatis.

— d. V Petropoli incendium aliud diversorium comburit cum hospitibus omnibus, qui centum ac quinquaginta fuisse dicuntur!

— d. XII Chatenay Robinson ad oppidum prope Versailles, in quodam latericio, caldarium ex improviso disrumpitur magna circum tum rerum tum hominum ruina, quorum septem necantur, ac decem gravia vulnera patiuntur.

— d. XIII Montisvidei in urbe vita fungitur Petrus Ramurez, iuris peritus in latina America valde celebratus.

— d. XIV Berolini obit Gastonius De-la-Touche pictor, «novi Watteau» ex peritia sua cognomine ornatus.

— d. XV Dresdae nosocomium flammarum late praeda fit, quum tamen aegrotos omnes in tutum prospere conferre licuerit.

— d. XVI in Siculorum castro Termini sulfuris fodina incenditur; cunicularii circiter triginta spiritu intercluso exstinguuntur.

— d. XVIII Leith in Anglia opifices ad sarcinas levandas ex condicto ab opere recedunt, tumultusque excitant, quos manu militari sedare oportet.

— d. XX per Wurtembergensem regionem omnem terrae motus fiunt non sine aedificiorum iactura.

— d. XXIII Ubach, Hungariae in oppido, in carbonis quadam fodina, putei recens effossi ex improviso delabuntur, cunicularios quindecim in ruinis sepelientes.

— d. XXV incendium, foeda tempestate furiente exortum, Posaldes, Hispanicum oppidum, omne solo aequat.

— d. XXVII curruum series vapore actorum Copenaghen, ex Daniae urbe capite, Esbjerg recta petens, ad Bramminge stationem ferreis axibus exit atque subvertitur, viatoribus viginti mortem afferens.

— d. XXVIII ex Belgica atrae procellae nunciantur.

— d. XXX Barcinone et per Catalauniam omnem textores, civili perturbationi studentes, seditiosam ex officinis desertionem late comparare dicuntur.

AENIGMATA

I.

Ut ferar excelsus descendo e vertice summo,
Unde ego conturbo murmur ab ore fluens.
Me cupit aequoreum numen; causa inde refulget,
Quae lato in regno det mihi saepe lares.
Una cavernoso multum quae pectore turget,
Horrendis lymphis comprimit atra sinum,
Cui geminum circumdo latus; bino ordine cingo,
Et stimulos addo, currat ut illa celer.
Turba virûm numerosa nimis sua corpora curvat;
Flectentem video corpora saepe mihi.
Deposito primum, capitis de vertice, crine,
Artus inde suos aptius illa movet.
Deservire mihi communi dicitur ore,
Non leve plebeiae dedecus esse domus.
Et tamen illucet veteri mihi sanguine nomen
Conspicuum, quando condita Roma fuit.

A. EPIRO.

II. (vulgo REBUS):



Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis opus accipiet, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM

Aenigmata an. XVI, n. V proposita his respondent:

I) **Fides**; I) **Fucus.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Raim. Silvan, *Londino.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Lad. Thyssen, *Dresda.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Claudius Lucensis. — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — P. Prado, *Venetiis.* — Ant Masia, *Tarragona.* — I. Ciolli, *Papia.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — B Ferraris, *Augusta Taurin.* — Alb. Kain, *Dublino.* — Carm. Zlinczky, *Cracovia.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Arch. Magliano, *Genua.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Fr. Xav. Ghiou. *Ostunio* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — F. X. M., *Drepano.*

Sortitus est praemium:

ARCHIMEDES MAGLIANO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE
latine conversae a FR. XAV. REUSS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

11)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

I. Miles.

Hanc cito chartulam puer disrumpito!
Tuosque socios mone ex composito.
I raptim puer, cave ne quis resciat. (1)

Scena VI.

Mutius. *(Praecedit sacerdotes, qui velato capite et simul verba serentes inter se arcane, procedunt).*

Mutius.

Vocare cunctos ad concilium placuit,
Ut aptius rebus certius remedium
Quaeramus una callidis sententiis.
Fugit nec vos divis quae sit calamitas:
Gravis diffunditur Christi perversitas,
Italiae surgunt subito provinciae,
Res omnis solvitur aerumnis publica,
Et fortes aemuli currunt ad praelium.
At imperator, (semper sit incolumis!)
Vult profecturus auspicari auguriis,
Queis cognoscat qui sit finis denique.

I. Sacerdos.

Dii spernuntur a Romanis undique,
Eis sint victimae, dignae criminibus.
Iuvat levare verbis et operibus
Impios cultus victimis feralibus.

II. Sacerdos.

Iuvant quid victimae, quid sacrificia,
Ii si vivunt peccant et impunius?
Erunt in primis extirpandi funditus
Christiani! Perdendos esse existimo
Vel gladio, aut fustibus, saevis tortoribus.

III. Sacerdos.

Quid hinc? Infundimus per vias sanguinem
Prius quin perfidi contemnant numina...
Suas polluerunt manus turpitudine...
Potest quis vocibus comparare crimina,
Queis se christiani macularunt turpiter?
Suis adlecti Romani fallaciis,
Sequuntur blanduli doctrinam sedulo,
Et ipsa misit sic radices altius!
Velim...

IV. Sacerdos.

Si mitius tractabis belluam
Erit ferocior!

III. Sacerdos.

Mactanda potius!

Mutius.

Simul componi in Concilium placuit
Vos, quos considero priores augures,
Quorum consilio detur sententia.
Nostis profectum Maxentium proxime
Ad arma in Caesarem Britanniae progredi.

Omnes (*adsurgentes*)

Sit omen faustum proximae victoriae!

Mutius.

Suis exsultat in copiis merito,
Timet tamen, rogat enixe augurium
Deorum, magnis vocat sacrificiis.

I. Sacerdos.

Erunt multae diis obferendae victimae.

II. Sacerdos.

Habemus inclytos infantes nobiles...

Mutius.

Et Aniciorum puerum prae ceteris!

II. Sacerdos.

Diis nunc, socii, mactemus alacres.

III. Sacerdos.

Erit quid carius diis innocentia?

I. Sacerdos (*ad pueros*).

Huc ferte statim pueri vos vascula,
Incensum, taedas et olivarum ramulos.
(*ad milites*)
Huc ferte victimam sacratam Numini!
Indutam rite candidis et vestibus.
Sit haec Octavius! Quae purior hostia?

Scena VII.

Octavius *manuductus a milite, velatus panno candido.*

Octavius.

Quo me, scelesti, quo me vultis ducere?

Mutius.

Veni, puer, dic... Christianis ritibus
Es initiatus? Quinimo Christianus est
Pater, materque, tota Aniciorum domus?
Aperte dic!

(Ad proximum numerum).

I. B. Francesia.

(1) *Eum in carcerem ducit et rediens suum iterum locum obtinet.*

Ann. XVI. ROMAE, Mense Septembri MCMXIII. Num. IX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis monitum.
De Seminariorum studiis notulae.
In Virginem Nascentem
De Heinio, Germaniae poëta.
De Leone XIII P. M. Commentarius.
De aulaeis, quae vulgo « arratia » nuncupantur.
Quaestiones philologicae. Unde eadem vocabula cum « in » composita, modo positivam, modo negativam significationem habeant?
Colloquia latina. Pecunia petitur; nemo datur.
Paroemiae sive Adagia. Sero sapiunt Cunani. — Quid, si caelum ruat? — Sinam ipsius umbram metuere. — Nimium tendendo, funis abrumpitur. — Momo satisfacere. — Multa cadunt inter calicem supremaque labra. Flamma fumo est proxima.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones.
Annales. Pax inter Balkanicos populos composita. — Mexicanum cum Septentrionalis Americae civitatibus discrimen. — Sinarum civile bellum.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: (Ad Romam).

SOCIIS MONITUM

Plures socii sunt, quemadmodum ex actis nostris apparet, qui nondum currentis anni subnotationis pretium solverunt; quin imo nonnulli, in quos cum pretio superioris anni in solidum sit quoque appellatio.

His omnibus, qui commentarium diligenter et continue missum retinuerunt, meminimus, ipsis pecuniam quasi creditam a nobis esse, cuius restitutio debeatur; eoque magis quod haec VOX, non litterarum tantum, sed omnis humanitatis vindex, nullo emolumento fulciatur, nisi favore et collata stipe sociorum; quae si defecerint, et ipsam deficere oportebit.

S. E. R.

DE SEMINARIORUM STUDIIS NOTULAE

Revertamur ad fontes!

Anceps ac salebrosum iis iniungitur obire munus, quorum curae « in sortem Domini vocatos, » ad tantum ministerium et virtutis et doctrinae ornatu quam plenissime instruere commissum est ac demandatum. Puerulus enim intra sacra moenia detrusus, tenellam illam aetatulam ceteramque insequentem illo loco, illis in scholis, in illa umbratili politiorum litterarum divinarumque disciplinarum palaestra aetatem agit, suosque mores ita componit, ut ex auditore, suo tempore, in praeceptorem vel animarum ducem suffectus, sedulam navet operam, ut illud quod a maioribus acceperat minoribus cum foenore reddat. Quo fit ut viri iam adulti animus non abalienatus ab illo sacro contubernio, ea semper erga Seminarium fide se gerat, constantia, pietate, quae liberorum est in amantissimam parentem.

Magnum equidem opus adulescentum fingere mores; sed longe maximum, sacerdotalem vitam effingere!

Fuit quoddam tempus felicissimis exorientis Ecclesiae primordiis, fuit beatissimum tempus, quo illius fundatores et administri una simul cum vocatione, atque electione caelitus facta scientiam quoque sacrosanctis mysteriis capessendis, peragendisque consentaneam et opportunam acciperent divinitus atque auspicarentur. Affluentissimo Spiritus Sancti illapsu perfusi, sub tanto caelesti magisterio ex indoctis protinus doctissimi, ex rudibus extemplo eruditissimi, atque ex discipulis statim orbis terrarum magistri ob repentinam illam omnigenae spiritualis scientiae infusionem et communicationem evadebant. Quibus etiam tamquam pedissequa ancillabatur miraculorum virtus, ut pervicacia ingenia quae scientia apostolica non revinceret, portentorum monstra frangerent et edomarent.

At vero Ecclesiae aedificio iam satis constituto, Christique religione longe lateque propagata, uti donum miraculorum impertiri infrequentius, ita quoque sapientiae infusae superni fontes lentius fluere, et ferme exarescere coeperunt, ut studio, labore, vigiliis ea deinceps scientia compararetur, quae antea nulla praemeditatione, cura et molimine divinitus satis abunde et affluenter immittebatur.

Multa sunt quae Ecclesia expetit a suis candidatis et administris; quorum nonnulla adeo necessaria, ut si eorum quidpiam desit, omnem aditum ad altiorem gradum interdicat penitus et intereludat; cumprimisque eo in numero recensetur vel probatae famae, vel praerequisitae scientiae defectus, qui ex Canonum praescripto ineluctabile ad ecclesiasticos honores et munia obiecit semper impedimentum. Inscitis enim istis et imperitis statim occurrit gravissimum illud Malachiae decretum: « Quoniam repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ». Ad hoc rigida et severa instituta sunt examina, in quibus nec favor, nec amicitia, nec preces ausint dominari; alias peccaretur turpiter adversus Apostoli monitum, quo cautum esse voluit consecratoribus, ne cito manus cuicumque imposuerint.

Non est enim huius loci neque temporis definire, quanta debeat esse quaesitae scientiae supellex, apparatus, instructio. Aliquid vero attigisse prorsus vanum esse non puto. Rem enim eiusque fines declarare difficile non est quum, pontificia auctoritate, sapientiae plenas doctissimi viri in lucem dederint leges de ratione studiorum habenda. Sed potius id unum prae oculis minus habitum est, legislatoris dicam voluntatem, quae enixe orat atque obsecrat, ne latinae linguae studium, quod Romanae Ecclesiae decus est et gratia vivax, a reliquarum disciplinarum cultu quasi dumis et vepribus compressum, in dies conficiatur.

In Pontificiis et Episcopalibus Seminariis, nostra memoria, nobilis ac princeps gloria fuit tirones latina graeceaque lingua ita eruditos habere, ut cultores clarissimi nulli secundi inde haberentur. In proverbio est id quod clarissimus Momsenius dictitabat: « Nos germanici grammatice, italici seminariorum alumni latine scribunt ».

Sed hisce volventibus temporibus, nos ipsi quibus latinae et hellenicae linguae magisterium est demandatum, nos ipsi, proh dolor! confiteri cogimur, patrum nomen illud ac decus in eo esse ut confici possit. Causas nonnullas huius rei, viri doeti in medium attulerunt; sed ratio princeps haec esse videtur, quod sensim sine sensu laicorum spiritus ac mens septa saerumque seminariorum vallum pervaserunt. Plerumque alumnorum ac parentum mens tota in eo est, ut licentiam vel ex Gymnasio vel ex Lyceo alumnus consequatur, non aliter ac si de futuris medicis, vel physicis, vel pharmacopolis ageretur, non vero de sacris ministris in sortem Domini vocatis. Inde fit ut maximi conatus ac vires in illud intendant, quod ex gubernii scholastieis legibus requiritur ad diplomata capessenda. Fatendum equidem quod saepius hic unicus finis, terminus hic unicus! quo perspecto, patrum nostrorum finis supremus omnique laude cumulatus obliteratur, ac non difficulter aliquando risui vertitur. Concedo in nostris seminariis alumnos reperiri rerum physicarum, mathematicarum, naturalium, historicarum cultu ea doctrina pollentes qua maioribus nostris superiores evadant, sed in Sacerdote id non omnino laudabile puto.

Quid enim haec scientia ad aeternitatem? quid ad animarum salutem? Quid, nisi ad illam inflantem scientiam a qua nos Spiritus arcet? Non est hic Spiritus Dei; mundi spiritus est ac tenebrarum, spiritus procellae ac tempestatis, quo seminariorum aulae invasae, itineris tenebricosi aditum aperuerunt sterilemque illam divinam vocationem effecerunt, qua Deus in alumnorum mentem intraverat ibique divinum tabernaculum instituerat.

Prae oculis habendum est, seminaria non esse laicorum collegia, (1) in quibus viri efformantur ad laicas professiones quamvis Christianae Reipublicae utiles; nec a nobis Christus quaeret quot medicos vel mathematicos efformaverimus.

Illud tamen in propatulo est atque exploratum, tum duobus veluti capitibus, pietatis scilicet et doctrinae, veras et solidas ecclesiasticas dotes contineri; tum ad eas obtinendas, amplificandas conservandasque Seminarii institutionem spectare. Id pro ea, qua insigniter praecellebant, sagacitate et accuratione, non sine divini Numinis ope, consilio et collustratione viderunt et prospexerunt Oecumenici Tridentini conventus proceres, qui inter tot immortalia beneficia Ecclesiae Christi tum maxime haereticorum insidiis et fraudibus periclitanti collata, hoc potissimum instituto armamentario et munimento, eam perpetuo sartam, tectam, servandam curaverunt. Post tria siquidem et amplius lustra absoluta demum iam fuerat ea Synodus praeclarissima, haereses detectae et profligatae, Fidei dogmata sancita et roborata, morum regula ad rectam Canonum rationem praestituta et conformata, ut nihil desiderari posse amplius videretur. Atqui tamen piissimos illos, sapientissimosque Christianae Reipublicae Senatores, dum in patrias oras remearent, dictitare consuevisse accepimus: reliquis rebus omnibus praetermissis, se vel ex hoc uno eapite solari, vel hac unica ratione suos labores satis compensatos iudicare, quod in illo concilio decreta esset Seminariorum institutio.

Revertamur ad fontes!

ALEXANDER AURELI.

(1) Opportune in: *Norme per l'Ordinamento educativo e disciplinare dei Seminarii d'Italia* (pag. 42). « I Seminari, sieno gelosamente mante- « nuti nello spirito proprio. e rimangano esclusivamente destinati a pre « parare i giovani, non a civili carriere, ma all'alta missione dei mini- « stri di Cristo ».

IN VIRGINEM NASCENTEM

Io! vocata longis
Mortalium usque votis
Inivit alma lucem
Hanc primulum Puella.

Io! colores explicat
Aurora pulcra amabiles,
Quae pulcriorem candido
Solem afferet dium sinu.

Videtis in labellis
Puellulae ut decorus
Renideat levesque
Risus serenet auras?

Atque ut beatis insidens
Festive ocellis torqueat
Amor sagittas, intimo
Quae corda tangant vulnere?

Iocetur ut venustas
Per colla perque frontem,
Per et rosas genarum,
Perque aureos capillos?

Ergo alitum frequens cohors
Circum supraque convolans
Miratur, ardet, exsilit,
Et mille lusus implicat.

Coniuncta utraque palma
Hic adspicit Puellam:
Hic osculum dat imo
Pedi, sibique plaudit:

Cunas at ille argenteis
Fundit pudicas liliis:
Hic flosculum pronus rapit
Et laetus in caelum redit:

Summum ad lacunar alter
Supinus ora versus
Mariae micante nomen
Pulcre colorat auro.

Tum lapsa summo ab aethere
Sertis revincta candidis
Et purior pura nive,
Dia haec Voluptas concinit:

« Hinc fletus omnis absit,
Procul et dolor facessat:
Stygii malas tyranni
Non sensit ista fraudes;

Sed matris in sinu suae
Timenda vindex emicans
Hiantis anguis asperos
Morsus minasque contudit ».

Haec tinniente voce
Iterat canens iocosa,
Pede plaudit et decentes
Argutulo choreas.

At tu, Puella, honoribus
Cui fulget ortus aureis,
Tot iure quamvis munera
Teque inclitum exornet decus;

Fastidias caveto
Nostras, Puella, sedes:
Rerum Pater tibi uni
Has maxime paravit.

Serena per noctem faces
Quae luna ducit igneas,
Mollem soporem languidis
Tuis ocellis offeret.

Croco rosisque picta
Aurora surget undis,
Diem ut reducat almum
Tuis, Puella, ocellis.

At sol eoo ab aequore
Dum fundit immensum iubar,
Lustratque montium iuga
Flexus et imos vallium;

Te frondei recessus
Nemorum vocant, et aurae
Lascivius iocantes,
Et fontium susurri.

Nam quidquid usquam amabile
Sensus beare gestiat,
Gestit tibi se conditum
Et te beare discupit.

Quod si scelesta fraudum
Et criminum caterva
Laxis ubique frenis
Licentius vagatur;

Per te sub imis sedibus
Pelletur exspes, et diu
Despecta virtus candidis
Terras reviset moribus.

H. N.

DE HEINIO GERMANIAE POËTA (1)

Nemo est — id ausim affirmare — quin, vel litterarum germanicarum rudis, Heinium noscat, unum e poëtis qui primo dimidio saeculi XIX floruerunt; nemo est, ut mea fert sententia, quin eius in carminibus legendis, scilicet illis in quibus amoris sensus tanta imaginum varietate distinguitur, tanta colorum suavitate perfunditur, tot luminibus verborum exornatur, magna commotione affectus sit, atque una cum poëta laetitia sit elatus, animo succubuerit, cupiditate arserit, moerore se confecerit curis vigiliisque vexatus... Namque Heinius plane suus est in canendo describendoque quidquid penitus sentiat, nullo artificio, nullo dicendi apparatu, omnibus lenociniis vel fucatis pigmentis sepositis: eaque vera poësis est ac poëtam immortalitati commendat, quae sinceros animi sensus referat pulchrique quamdam speciem et formam persequens, non exquisito, non opimo et inflato, sed simplici, vero et, ut ita dicam, nativo stilo obumbret. Hinc fit ut perrarus sit eorum numerus qui, poëtarum nomine digni, et maximam ab omnibus laudem adipiscantur et quasi divino in solio ob artis suae excellentiam collocentur.

Consules fiunt quotannis et novi proconsules:
Solus aut rex aut poëta non quotannis nascitur. (2)

Heinius autem is est auctor ut, mente perquam vegeta praeditus, et ingenii celeritate excellens, plura eaque luculentissima testimonia tum mentis agitationis, tum doctrinae insignis obtulerit. Acer in rebus inveniendis, uti solitus dissimulatione, ad facetias acerbas proclivior, in sensibus animi motibusque effingendis facile princeps, modo se impetu efferebat, violentam amoris vim in lyricis canendo, modo molliore versu et delicatiore sollicitudines ex ipso amore manantes effundebat, modo denique in satira stomachosius in omnes invehebatur, vel quibus praestare se maxime officiosum et gratiam referre debebat... Haec inconstantia mutabilitasque mentis quae scriptorem si respicis, late patet, latior manifestiorque apparet in privato. Neque ego meminisse scio qui possit cum illo comparari ob hanc vicissitudinem ne dicam oscillum, amoris et odii, laudis et criminationis, candoris et dissimulantiae... in qua eius vita continebatur. Scilicet Heinii natura et indoles mixtum quiddam fuit ex variis elementis, unde difficile est eum diiudicare. Quod si Seneca scribit: « Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit », ecquis ire infitias audebit haec verba apte in Heinium quadrare? Quid autem dicam de eius impigra in scribendo industria? Qui, etsi libidinosus et intemperans ac moribus dissolutis fuerit, etsi morbo lente tabesceret et oculorum infirmitate aegrotaret, numquam tamen a scribendo deterritus est, et ut sumptus in dies crescentes compensaret et ut in litteris, quarum amore flagrabat, sese continuo exerceret.

At omnibus ex scriptis eius, tum numeris adstrictis, tum oratione soluta, in quibus ingenium haud commune, mentis aciem, celeritatem, ardorem animi necesse est admireris, longe eminent amatoria carmina, opus affabre exaratum, in quo non loquitur poëta, non vates laureatus et numine sacro afflatus canit, sed ipsius cor se totum aperit, se totum effundit, eo canendi genere usum quod, imaginibus delicatulis intextum, venustate et concentu verborum pervasum, aureis coloribus pictum, ambrosios odores exhalans, quemque profanum fugit... O prodigium poësis! o singularis et sane admirabilis ingenii vis! Nam, etsi suavitate carminum capiamur, quorum etiam nonnulla memoriae committimus, et iocis et blandulis vocibus et mollitie numerorum allecti, vix possumus intellegere quonam miraculo artis et studii ac voluntatis — quum tot poëtae, idem argumentum tractantes, viribus et spe destituti, recto itinere lapsi plerumque deflectant atque ad imum vergant — Heinius tam varie, tam venuste, tam eleganter, tam delicate unam rem vel argumentum tractare potuerit, quum numquam eisdem verbis id reddiderit vel eamdem cantilenam cecinerit, quum numquam in molestas putidulasque dictiones dilapsus sit. Dixeris, ob eius meritum amatoriam rem evolvi, innecti, sinuose pandi, magnis orbibus explicari, ut nexilis pallensque hedera « sequaci fronde robora complectitur », vel ut in arcum fornicis pampinei curvata vitis, desuper impendens,

. . . racemiferis praetendit poma corymbis.

Quid mirum si subtilius ab existimatoribus de arte heiniana quaeratur, si Heinii poëmata in dies convertantur vel explicentur, si hodieque investigari velit qui privatus ipse fuerit, quanam indole, quibus moribus vixerit, ab incunte adulescentia usque ad extremam vitam?... Omnes enim existimatores, alii alio genio usi, si ita potest dici, evolvere et quasi enucleare eius animum amant, et vitae institutum, et amores, et studia, et vitia, et libidinem arbitriumque et . . . *omnes res et quasdam alias.*

En habes istiusmodi librum nuper editum, qui Heinium privatum praesertim attingit amplectiturque. (1) Expediam paucis, nullis ambagibus retentus: hoc libro tamquam optimo duce utemur, si penitus in naturam moresque poëtae inspicere volemus. Namque auctor, huc illuc ipsius Heinii verbis usus, qui saepe sui mentionem in operibus facit, et prudens adhibens consilium in notitiis litterisque secernendis, maxime quod

(1) Egregius huius elucubrationis scriptor - (licet nobis id animadvertere) - dum in Henrico Heine miram variamque facultatem poeticam exaltat, quam et nos ultro agnoscimus, non satis forte ad fontem respexit, unde poesis illa amatoria erupit. Fons autem erat animus violentis cupiditatibus, iisque mature depravatis, misere agitatus. Quare fieri non potuit, quin poesis inde enata satis frequenter limum amoris inordinati atque erotici secum traheret; quem flores poetici, veste quadam eleganti oductum, eo pleniorem periculorum reddunt, pravarumque illecebrarum.
Vox Urbis.

(2) Florus. *De qualitate vitae*, Fragm. VIII.

(1) Pierre Gauthiez. — *Henri Heine.* (ex officina Bloud et Cie, Lutetiae Parisiorum, MCMXIII. — Opus continetur sylloge quae inscribitur : *Les grands écrivains étrangers*),

attinet ad illos qui de eius vita exposuerunt, a prima origine, scilicet quum Heinius natus est d. 13 mens. Dec. a. 1799 usque ad mortem quae incidit in annum 1856, narrationem prosequitur. Nihil enim silentio praeterit: itaque videmus quibus parentibus ortus, quaque in urbe, infantiae initia exegerit; quomodo iam inde ab adulescentia sui ingenii celeritatis significationem dederit; qua fuerit animi inclinatione, quibus sensibus et gentem suam et natale solum prosecutus sit, quibus denique signis portenderit sese facile principem in amatorio carmine pangendo evasurum... Namque is, simul atque in patrui domum acceptus est, vehementi sororis patruelis amore flagravit; qui ardor tantum eum medullitus pervasit ut, etsi puella alii viro nupserit, numquam amatae imago ex poëtae animo excesserit. Tunc inde effluxere versus et poëta, *sacro percitus oestro*, se totum sensusque animi mollioris motusque patefecit:

Hat dich die Liebe so kleinlich gemacht,
Die Liebe, sie hebt dich wieder.
(Neue Gedichte).

Quum enim Heinii amatoria carmina, sive per otium sive de industria lego, magna laetitia et libera quadam animi oblectatione perfundor; illa colorum pulchritudo, illa imaginum venustas, in quibus velut nimbo circumfusa amatae imago exstat, illa tamquam conspiratio consensusque et florum et avium et nemorum, ille denique lusciniae concentus, qui per omnia carmina personat, ea sunt ornamenta ac deliciae, ut me magnopere mulceant teneantque. Seligo autem ex libro Gauthiezii, quem supra nominavi, nonnullas sententias Heinianam excellentiam in poësi amatoria confirmantes (iuvat vero id animadvertere, Heinium non esse a vulgari intellegentia remotum, quin immo illum simpliciter et secundum naturam scribere, idcirco eius poësim candidam esse, quippe quae ab ipsa natura res imaginesque derivet): « *Il (Heine) est le premier poète d'Allemagne* »; « *l'étranger même peut sentir, dans cette langue incorruptible et magnifique, les dons de ce génie précis, profond, d'une forme parfaite et d'un goût presque toujours sûr* »; — « *or, ce recueil, (Buch der Lieder) c'est un chef-d'oeuvre...* »; — *il savait posséder cette magie suprême de la poésie véritable: l'art de la concentration* »; — « *c'est le Livre des Chants, le Buch der Lieder, éternel honneur du lyrisme allemand* »; — « . . . *c'etait un chef-d'oeuvre, pourtant, ce petit bouquin de trois-cent soixante douze pages. Le reproche qu'on lui faisait, d'être trop voisin du lied populaire, c'est le principe même de sa valeur et la cause de son éternité...* »; « *jamais on n'oubliera que ce poète fut le plus grand poète d'une des passions maîtresses qui éternisent l'être humain: l'amour, le désespoir d'amour . . .* ». Quibus sententiis necesse est ut astipulemur; iure enim hodie, omnium iudicum consensu, affirmatur nihil dulcius, nihil elegantius, nihil omnibus numeris absolutius his carminibus inveniri posse, idcirco Heinium *monumentum aere perennius exegisse*.

In capitibus quae sequuntur, Gauthiezius et vitae et studiorum et munerum Heinii cursum evolvit: tali modo poëta, qui vere variis casibus iactatus fuit quique, ubicumque est moratus, difficilis et, ut ita dicam, morosi ingenii signa quam plurima reliquit (ecquem latent, ex. gr., omnia quae sibi imposuit ob suas impares nuptias?) penitus a nobis dignoscitur.

Hoc unum doleo, quod auctor libri, cuius censuram facimus, potuerit scribere, multis de causis, scilicet vita publica et privata et natura et moribus animoque ipsius perspectis, Heinium miscrum quemdam hominem fuisse! (*un pauvre homme, dans tous les sens de ce mot, et rien que cela*). Negare non possum quin ille inordinatam atque incompositam vitam degerit, et praesertim amoris odiique fuerit impotens; sed pernimium interest inter hoc et auctoris sententiam!

Ceterum, Gauthiezius, in Heinii vita ad trutinam perpendenda, praeiudicata quadam opinione in Iudaeos atque Iudaismum, huc illuc inspersa, utitur duce: quae res efficit ut, etiamsi Heinium, poëtam amatorium, admiratione celebret, in eum privatum severe acerbum se praestet. Nec silentio praetermittere possum, in indice conficiendo, eorum, qui plurimum ingenii sui atque operae in heiniana studia contulerint, vel Heinii vitam accurate narrantes, vel eius artis et poësis occulta et prope dixerim miracula patefacientes, Italos tantum illum neglegere et omittere potuisse! Atqui apud nos magno amore colitur Heinius; nec desunt optimae conversiones optimaeque et eruditissimae disputationes de eo, ex quibus primas memoratu dignas illas Bonardii non iniuria esse censeo.

Scribebam Beneventi, kal. Iul. a. MCMXIII.

MARCUS GALDI.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS [1]

Ad aegrotantium subsidium atque ad iuvenum utilitatem aere conlato domum constituit alendisque atque docendis. Quibus omnibus non se modo, sed suam quoque substantiam devolverat. Ad haec, ut sui intelligerent quam magnum vectigal sit parsimonia, suo consilio, princeps fortasse in Italis, mensas commodiores cum usura condidit, ubi modicus quisque pecuniam fenori daret. Sciebat enim vir prudens, annonam nunquam ingravescere iis, qui sibi tempestive consulunt; idque suis altius persuaderi studebat. Si qua casu adsurgeret ex improviso necessitas, ei rara prudentia erat adiumento, et omnibus plagis remedium sagaciter ferebat. Ad omnia veluti cumulus accedit, quod, saeviente hieme, instituit vulgo *le cucine economiche*, ubi tunicatus popellus atque opifices parvo quidem pretio sibi atque familiae succosius pulmentum invenirent.

(1) Cfr. num. sup.

Sic omni cuique suorum necessitati levamini erat. Quamobrem omnes eum in oculis ferebant, et ipse Perusium, ceteris posthabitis urbibus, deamabat. Quum Pius IX P. M. devexa iam aetate, Perusinorum Episcopum volens ad latera sua, ut saepius prudenti eius consilio uteretur; *Camerlengum* quem dicunt, elegit, ei tamen est permissum ut Perusii usque maneret. Qua in re, uti opinor, non modo dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, quum suspiciones quoque vitaret invidiae. Quo fiebat, ut eius observantia omnibus esset carior, qui eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

Sed quum primum vox allata est Perusium, defuncto Pio IX, ipsum renuntiatum esse Pontificem Maximum, omnes cives dolere, ingemiscere et maestos esse, ut in communi parentis luctu fieri solet; Romani vero, qui mentem novi Pontificis novissent, laetitia gestientes et gratulabundi precantur ut in augusta Sede diu placideque populo christiano intersit.

Quid dicam? Laetabor et ego, quod et per omne tempus quo Leo XIII ad rerum gubernacula sedit, ipse et Perusium unum atque idem sonabant: adeo erant mutua atque eximia honoris et voluntatis benevolentia devincti! Ac propterea et ego aptissima haec eius carmina promam:

Laetare, Etrusca civitas,
Tanta refulgens gloria:
Attolle centum gestiens
Caput decorum turribus. (2)

X. — Leo XIII, Pontifex Maximus.

Novus nimirum Pontifex Maximus, opimis iam spoliis onustus undique relatis, multis comitantibus Cardinalibus stipatus ad nos venit, nobis a Deo omnia fausta adprecaturus; ei obviam effusis una voce adclamandus:

Adgredere o magnos, aderit iam tempus, honores!

Quo die Ioachimus Peccius Pontifex est Maximus renuntiatus suffragiis Cardinalium, ipse sudore diffluens, pallore conspersus adparuit. Tunc Donnetus, Cardinalis idemque archiepiscopus Burdigalensium haec tacite auribus electi mussitavit: « Macte animo, iam non de Te hic agitur, sed de Ecclesia, imo de universo terrarum orbe! »

Sic semper res erit cum de Pontifice Maximo Nominis Christiani agitur. Non enim Ipsum fugiebat quam humanae fragilitati sit pondus formidandum Romani Pontificis auctoritas omnibus scilicet temporibus, sed maiorem in modum illis, quibus, animis infensis, magnum in eius sacrum Principatum bellum exardesceret, et omnes fere populi a voluntate Pontificis dissentire viderentur.

Quis in tot rerum difficultatibus amplius animum sustulit, quam Pius IX, qui paullo antea fato cesserat; quis tam invicta fortitudine hostium audaciam fregerat, quis demum tot insignes de ipsis triumphos retulerat?

(2) Sic ipse Leo XIII in Hymno ad sanctum Herculanum.

Haec secum Peccius mente volutans, trepidus omnino ad suprema rerum catholicarum gubernacula accedebat.

Incredibile dictu, quo erat tunc orbis terrarum, nedum Roma, moerore adflictus, cum sanctissimus Pontifex, vita perfunctus, flebilis omnibus ad caelestes advolaverat. Omnes enim paullo antea praesentia sua, et quamquam iam infirmo corpore, vegeta tamen mente, hilarare solebat, qui ipso vivo minus res humanas sentiebant divinasque modo respicientes. Illo enim quis clarior? Vix Pontifex Maximus renuntiatus, a motuum civilium oblivione, clementiae laude inclaruerat, et omnes circa populi, concordi plausu, eum restitutorem felicium saeculorum salutarunt. Quot postea labores, quotque angustias a nefariis passus est! Pietate insignis Virginem matrem ab origine immaculatam, magno Patrum Cardinalium Episcoporumque numero stipatus Romae, cunctis esse credendam solemniter decrevit.

Ut hostes christianorum uno ictu contunderet errorumque tenebras discuteret, romano ausu, sapiens veritatis magister magnum Romae Concilium cogi iussit atque in ipso Petriano Templo ad aedes Vaticanas. Sic enim lumen veritatis recentioris pravitatis errores iis verbis perculit, quae liberrime ad extremos terrarum fines aeternum duratura perrumperent.

Novo anno exoriente octingentesimo octavo et septuagesimo supra millesimum, parenti optimo, faustis ominibus et donis gratam suam voluntatem Italis cum omnibus bonis testantibus, per Urbem primum vox fertur incerta atque vaga, mox latissime percrebrescit Pontificem Maximum gravi morbo interceptum, magno in periculo versari, imo in eo esse ut animam exhalet.

Tum omnes, vel incerti gravi moerore perculsi, ad Vaticanum adcurrere, anxius quaerere quo se habeat modo Pontifex, an sit ei periculum certum, an sit proxima mors.

Cum tandem sub vesperum, septimo idus februarii eodemque anno, sanctissimis religionibus rite perfunctus, Pius IX diem obiit supremum, timor et moestitia irruit in Urbem. Nec vero iam remisso animo quisquam omnium fuit, qui ea nocte conquieverit. Tanta erat summa rerum exspectatio, quid Cardinalibus, quid Romae, quid demum universo terrarum orbi accideret, qui quosque eventus exspectarent.

Ioachimus Peccius iam non Cardinalis sed Pontifex Maximus, attonitus, confusus, haerens animo, nihil in praesentia respondendum putavit archiepiscopo Donneto, qui eum submisse monebat, ut munus sibi divinitus demandatum laetus sumeret festinanterque exornaret. Sed oculis ad caelum conversis, adstitit diu silens atque gravibus in illis rerum adiunctis immotus, quasi a Deo consilium postularet.

Certus postea pro Ecclesia omne obiectare periculum, supremam Ecclesiae auctoritatem animis refectis in numine caelesti adsumsit, atque in obsequium Leonis XII, cuius fortitudinem admodum adulescens adprobaverat, vocari iussit eius nomine, Leo XIII. Ut primum Romae

nuncium pervagatum, omnium consensu festive accipitur, ac subito incredibili civium laetitia percrebrescit. Ei enim ob animi aequitatem, atque imprimis studiorum sapientiam et in litteris latinis elegantiam praecipuus honos habitus est; quibus rebus omnibus, opera eius magni futura esse repetatur. Itaque nemini fuit illis praesertim temporibus dubium in eius potestate maximam gloriam vel eo nomine rem christianam mereri posse.

Et reapse etsi res erant adflictae, cum primum tamen regnare coepisset, eo est animo munus adgressus, ut non quaerere videretur ubi ipse tuto viveret, sed unde praesidio posset esse commissae sibi Ecclesiae. Et primum quidem in ipsis laudibus, quas ex more ad Cardinales recitavit de Pio IX, ea fuit dignitate verborum sententiarumque elegantia atque altitudine, ut omnes spiritus recrearentur. Plerique futurum quasi praesagientes, cum novus Pontifex referret quodammodo defunctum, una voce dicebant, ut animum ei adderent:

Tu longe sequere, et vestigia pronus adora!

Iuvat ipsum magno ore sonantem alloquentem Patres Cardinales audire:

« Virtutum suarum splendore - aiebat - hanc Apostolicam sedem illustravit, et universam Ecclesiam amore atque admiratione sui complevit. Insignis ille Catholici gregis Rector, qui pro veritate et iustitia invicto semper animo certavit, magnis laboribus in christiana republica administranda fuit in exemplum perfunctus».

Ipse peritissimus iuris humani eiusdemque divini et percomis omnibus est vel ab initio probatus. Omnes eum praedicant acceptam a maioribus gloriam multis augere virtutibus, disertum esse, impigrum ac multarum litterarum peritum, neque minus civitatis regendae.

Sed propius rem adgrediamur.

Ab amicitia Pontificis Maximi, sic tristia tunc tempora se ferebant, omnes fere respublicae defecerant, et ipse statim, usu rerum sapientiaque praestans, ita effecit, ut in omnibus esset spes ut amissa cito possent recuperari. Primum utile est arbitratus, hostes, ut ita dicam, insequentes supprimere.

Gallia, post insignia vulnera in bello Borussico accepta, iterum valens, multa moliebatur, et amicitiam cum Pontifice Maximo vix retinebat. Populus enim ille in primis acer, suspicax, ob eamque rem, mobilis, adversarius, invidus, Oratorem Pontificis remisit, accusatum propemodum proditionis.

Hispania contra omnibus praestitit in obsequii munere erga Pontificem obeundo; mox et Lusitania natio, praeeuntibus regibus.

Belgae, ad quos antea fuerat Nuncius, ut aliquod erga Eum coram omnibus adstaret venerationis antiquae atque voluntatis testimonium, incredibili omnium ordinum frequentia, Romam peregrinantur gratulabundi ac Pontifici omnia fausta ominantes.

In signum pietatis non ultimus venit Franciscus Iosephus, Austriae imperator idemque Hungariae rex, ut ita rei Christianae laboranti volens adesset et propitius.

At minax instabat agmen Caesaris recentis Germanici, universum imminebat, opera potissimum Othonis Bismarcki, qui summam omnium rerum potestatem facile obtinebat. Hic unus multum impedivit, saepeque pacis consiliis obstitit. Acerrimo enim odio in catholicos exardescens, elatior ob victorias quas proxime de Gallis retulerat, totus erat, ut subditos novi Germanorum imperii ab obedientia Pontificis abalienaret. Immane tunc bellum animisque infensis in catholicos exorsum est. Acerbitatibus Parentis christiani, praeter omnium expectationem subvenit primum quaedam solida hominum compago, cui datum est nomen, Italorum more, *Centrum*, a loco ubi plerique in publicis consiliis adsidebant, pugnaces atque illius conatibus in fidem obsistentes; et pari quoque felicitate in ea re ita se gerere coeperunt, ut maiores in dies appeterent res. Namque Bismarckus cum factiosior esset atque audacior, sic sibi indulsit, ut eius potissimum opera, in maximum odium Germanicis sociis Borussi pervenirent. Ipsius nutu omnia geri palam omnes praedicabant. Cuius deferitate et perfidia satis est referre in religiosos homines legem tulisse qua omnes ex imperio essent expellendi. Ad incitas iam iam res reductae videbantur, cum Deus virum excitavit, qui adhuc paene ignotus, mox ardenti religionis studio atque eloquentiae omnibus fit carus acceptusque.

Hic enim superbissima Bismarcki imperia aspernatus, Ecclesiam libero ore cum veritate defendit, ab iniustis criminationibus vindicavit. Tunc aequales didicerunt, Germanorum pietatem erga Pontificem Maximum tam altis defixam esse radicibus, ut non paucorum vafritia, commodis suis unice inservientium, non impiorum voce, non imperatorum minis labefactari posset. Sub Windhorsti ductu atque consilio complures oratores a populo delecti legibus ferendis atque annuis vectigalibus decernendis, veluti agmine facto, propositi tenaces, invictam excelsi animi firmitatem retulerunt et communem christiani Nominis hostem contuderunt. Et ipse in exemplum maxime enituit, divinam Ecclesiae compagem, quae XIX saeculorum consilio et virtute coaluit, convelli sine exitio convellentium non posse.

Namque superbissimus ille administer, tot triumphis impotens, quibus tanta tamque subita virium accessione ad summam altitudinem brevi iam pervenisse videbatur, ad meliora ducitur, quod Deo sic disponente, ex improviso fortuna saevire, eiusque consiliis coepit obluctari. Bismarckus sic, quem ferreum adpellitare vulgo populi consueverant, et praedicabant supremam vel de re religiosa auctoritatem regi suo fuisse erepturum, innumeris difficultatibus circumventus, ut Hannibal a Scipione dicitur petiisse, ipse a Leone XIII solemniter itemque omnibus gentibus admirantibus demisse pacem postulavit.

(Ad proximum numerum). SUBALPINUS.

DE AULAEIS

QUAE VULGO "ARRATIA„ NUNCUPANTUR

De aulaeis nonnulla hodie scribere aggredior, non quae uti stragula in lectis, vel peripetasmata pro lacunaribus aut in scaena maiores adhibebant; verum de rectagonis iis, thesauro regio dignis, quae a media quam dicimus aetate, ad nostros usque dies, celeberrimorum artificum tabulas aemulata sunt, atque arduo incognitoque prius filorum magisterio, differenti colorum specie ac varietate intextorum, terras, pontum, virorum

Gobelinianum aulaeum Amalecitarum pugnam referens.

ac mulierum imagines, pugnas, fabulosos aut historicos eventus, atque etiam interiores Franco-Belgarum aedium partes, escariis vasibus ex cyprio aere lucentes, initio reddiderunt. Atrebate ex urbe primum huiusmodi aulaea confecta putantur, exque gallica ipsius urbis voce Arras, *arazzi* nomen vulgo coepisse, quorum celebratissimi artifices ac magistri Gobelins fratres evasere.

Non tamen primae « arratiorum » - (sit venia latino heic hodie conflato verbo) - peculiari officinae Lutetiae Parisiorum saec. xv inter vicum Mouffetard torrentemque Bièvre positae, fortuna arrisit; non enim eam Rabelais ille mordaci carmine tantum perstringebat, sed Panurgius calumniosam historiam in populo circa ipsam diffundebat, rubrum in aulaeis illis a nullo homine prius adhibitum neque facile imitabilem colorem maleficio tribuens. Itaque Gobelins artifices in ius vocati sunt, iisque ex facto praestandum fuit colorem ipsum a peculiari quorumdam salium, quibus Bièvre torrens abundabat, saturationi deberi!

Arratiorum fama, pretium et usus eo in Gallia crevit, ut Aloisio XIV rege, auctore Colbert administro, civilis de re industria constituta fuerit, impensisque publicis schola condita, quam, in rerum publicorum illa occidentis saeculi XVIII summa perturbatione, Maratus primum, ac deinde Robespierre aboleverunt. Sed Napoleo consul arratiorum arti avitum honorem reddidit: quem restitutum Gallorum imperium auxit, aulaea innumera aptis artificibus committens, imo, an. MDCCCXLVIII, antiquam scholam restituens.

***

Ex Flandria arratiorum artifices in Italiam quoque transmigrarunt: quae huiusmodi artis, non minus quam ceterarum, digna sedes facta est. Venetiis circa dimidium saeculi XV invecta arratia sunt a Ioanne Brugensi atque Valentino Atrebatensi; deinde Ioannis Rost ibidem invenitur, tamquam de re « procurator Ecclesiae S. Marci ». Ferrariae, an. MCDXXXVI ducali aulae ad aulaea reficienda novoque stylo efformanda addicitur « Iocomus de Flandria de Angelo », et an. MCDXLI « Magister Petrus de Andrea » ex Flandria et ipse. Florentiae Lavinius Giglius Brugensis primus, uti videtur, hanc artem excercuit, qui apud « Artium Priores » laudibus effertur tamquam « vir utique probus et artifex excellentissimus in contexendis mirabilique artificio figurarum componendis pannis thapetalibus ». Revera is comunalium aedium parietes per mille ac trecenta brachia quadrata operuit tam pulcra ratione tamque conspicuis figuris, ut iis « solum spiritus et vox deficere viderentur et vera corpora dici possent ».

Anno MDXLVI, auspice Cosimo I e Medicea gente, publicus aulaeorum discendorum ludus Florentia ipsa in civitate aperitur, eique praeficiuntur Ioannes ille Rost, qui Venetiis hucusque fuerat, et Nicolaus Kerber, hisce positis conditionibus, ut scilicet optimos artifices sibi adsciscerent; tamquam tirones admitterent iuvenes omnes ex Hetruria, qui artem percipere vellent, neve fas esset illos nisi probante Principe dimittere; ut denique toto animo ac studio operam suam, congruo tri-

buto pretio, non solum in schola darent, sed ubicumque Principi placeret. Sic Mediceorum urbanae aedes et rura locupletata et ornata sunt splendidis illis pannis,

Arratium primum ab Italis artificibus Florentiae contextum.

ex aureis, bombycinis lanisque filis contextis, quos etiam nunc admiramur; atque Italici quoque clarissimi artifices habiti sunt Franciscus de Pescina, (a. MDXLIX) Michaël Sopelli, Bastianus Sconditi, Guaspar Papini Bartholomaei filius, Ioannes Pollastri, Ioannes ac Stephanus Termini, Bernardinus Masi, Matthaeus Benvenuti, Nicolaus Bartoli, Leonardus Bernini, Victorius Demignotti, Ioannes Sagrestani.

Ioannes Gastonius, Magnus Dux, ultimus arratiorum artis Moecenas in Hetruria recensendus est; eo demortuo, Franciscus Lorenensis, in imperii procurationem suffectus, an. MDCCXXXVII, publicam arratiorum officinam clausit.

Tusci artifices tunc huc illuc discesserunt; nonnulli sedem Neapoli posuere, a Carolo III e Borbonica gente liberaliter excepti. Quamquam Ferdinandus I, qui ei successit, vere Neapolitanae arratiorum scholae conditor exstitit, sub eoque aulaea Cervantesii, hispanici poetae, herois gesta referentia fabricata sunt, quae tum perfectione operis tum Gallicis inscriptionibus in ambiguo fuit, utrum Gobelinensi officinae potius tribuerentur. Sed Neapolitana schola et ipsa cessit an. MDCCCLIX.

***

Romanorum Pontificum erat hoc etiam decus Italiae servare. Iamque Leo PP. X Raphaëli Sanctio commisit ut historias ex Novo Testamento exque Apostolorum actis depromptas lineis describeret totidem arratiis reddendas, quae reapse summa arte Atrebate confecerunt Van Orley atque Michaël Coxie, et adhuc in Vaticano asservantur. In illam arratiorum viginti ac duorum seriem admiratione perculsus Franciscus Card. Barberini, Urbani VIII Pontificis nepos, utile, imo necessarium duxit officinam quae cum Atrebatensi, Parisiensi ac Florentina certaret, Romae condere. Arcessitus inde in Urbem Florentia est, unde Barberiniana familia et ipsa repetebat originem, Iacobus de la Riviera, qui secum aliquot egregios peritosque discipulos duxit; splendidisque in aedibus Barberinianis Romae ad collem Quirinalem tunc arratiorum prima urbana fabrica collocata est, unde centum et ultra pretiosissima aulaea edita sunt, quae inter et Constantini Imperatoris cognomine Magni, et Urbani VIII Pontificis gesta referentia. Urbano VIII vita functo an. MDCXLIV, non operis qualitate atque artificio, sed numero, Barberiniana officina aliquantum defecit. Brevi tamen; nam ineunte saeculo XVIII Clemens PP. XIII splendidiore loco atque cultu in magno illo apostolico hospitio S. Michaëlis ad Ripam

Barberinianae officinae aulaeum Constantini Magni navalem pugnam referens in Chersoneso Thracica pugnatam.

trans Tiberim eam posuit, eique praefecit Victorium de Mignò, tune temporis arratiorum artificem celebratissimum. Qui successerunt Pontifices eidem scholae stimulum omnes verbis ac re addiderunt; nec frustra: eius enim nomen per orbem universum ad nostros usque dies summis laudibus manavit. Quum denique, post an. MDCCCLXX, S. Michaëlis hospitium una cum adnexis artium scholis in Italiei gubernii dieionem cesserit, nova a Leone XIII Pontifice arratiorum fabrica in ipsis Vaticanis aedibus eonstituta est, Petro Gentili eam etiam nune moderante, arratiorum artis, quam a maioribus suis, in hospitio S. Michaëlis magistris, exeepit, cultore et ipso probabili, illustratore et historieo.

Sic ipsa ars, Pontificum praesertim opera Italorum faeta, nobilissimam gloriosamque saeculorum traditionem in Urbe servat, fovet, alit.

FORFEX.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Unde eadem vocabula cum "in„ composita, modo positivam, modo negativam significationem habeant?

Quaestio hodie proposita similis est eius, quam quondam de Graecorum *a* negativo et *a* intensivo traetavimus; (1) atque res maxime mira est, quaestionem hanc graecarum voeum ope solvi posse et solvendam esse; quae duae voces sunt altera particula *ne*, sed non ea, quae pro *nâi,* (nae) usitatur; altera praepositio *en;* quarum prior cum voeabulis eoniuncta signifieationem rerum, ut scimus, negat; posterior servat, aliqua ex parte eam nonnisi definiens. Quare illa latinae particulae negativae «ne»; haec autem latinae praepositioni « in » respondet.

En exempla eomposita cum *ne* negativo: *nepios* (ex *ne* et *epo*) idem proprie est, quod latinum « infans » (pro *nefans*), eompositum ex « in » negativo et « fans», quod inusitatum est participium verbi « fari », unde *nepia tecna* de pullis passerum (HOM. *Ilias,* II). Eiusdem generis exempla praebent etiam *necerdes*, (non lucrosus), *neceros* (non eornutus), *necestos* (insanabilis), etc.

Composita eum praepositione *en*, ut latina cum praepositione « in », innumerabilia sunt, ut *endidomi* (in manus do), *endocsos* (inclytus, eeleber), *endrome*, (incursus, impetus), *eneimi* (insum), etc.

Quid igitur illis exemplis edoeemur? Id, quod iam supra est notatum, Graecorum *ne* respondere partieulae latinae negativae « in », *en* autem praepositioni « in ».

De praepositione *en* « in » res faeile elareseit; sed quo modo etiam *ne* negativum partieulae latinae negativae « in » respondet? Qua ratione rem explanemus?

At ratio elarissima est. Satis est voeabula latina negativa eum « ne » composita respieere, ut « neeessarius » (res neeessaria ea est, quae *non cessat*), « nemo » (ex ne-hemo-homo), « nefas » (unde iam *nefandus, nefarius*), « nefrens » (ex *ne* et *frendo*), quod de poreis usitari potest, « nequeo », « nescio », « nevis» aut « nevult » (pro *non vis, non vult,* ut apud Plautum); nonne iam perspieuum est latinam negationem « ne », ut, inter alias Gallorum « ne », Slavorum « në » (nie), eandem esse, quam Graeeorum *ne?* Eam autem negationem in vocem « in » saepe mutatam esse faeile intellegitur, si animadvertimus exempla, ubi « ni » pro « ne » pronuneiatur, ut « nisi » pro « ne-si », aut « nihilum » pro « ne-hilum » (ex *ne pilum,* ut Cie. Att. 5.20.6, ne pilum quidem). Quid enim hominibus obstabat, quominus euphoniae, aut alii rationi satisfaeientes, litterarum metathesim adhiberent et pro *ni* pronuneiarent « *in* », ut id in variis linguis et populis nobis occurrit? Iam Graeci aut *cartistos, cartos,* aut *cratistos, cratos,* pronuneiabant; Polonorum plebs pro *koldra* dieit *kordla;* pro *wilk* (lupum) voeat *wlik;* quod etiam reetius et rationabilius est; nam radix graecae vocis *lucos* eum digammate *flucos* est.

Itaque etiam Latini pro *ni,* saepe pronunciabant *in;* quod videmus in eiusmodi vocabulis, ut *infandus* (ex *nifandus*) pro reeto *ne fandus,* quorum utrumque in usu est; *integer* pro *niteger* (neteger); *ingratus* (pro *nigratus — negratus*).

Qua dupliei natura voeis « in » eognita, iam faeile intelligitur, quare voeabula eum « in » ut graeca eum *a* (*an-am*), eomposita modo positivam modo negativam signifieationem habeant, quod praeter alia sequentibus exemplis etiam evidentius probare liceat: *inclaresco* dieo, si elarus fio, eontra *inclarus* est non elarus; *inclinis* voeatur, qui se (re)elinat, aut qui se non elinat; *inerrantes* stellae sunt, quae non errant (CIC. N. D. 2, 21, 54), eontra, memoria imaginis oculis *inerrat* (- oberrat); *inaequare* est aequum faeere (CAES. B. C. 1, 27), *inaequatus* autem est non aequatus (TIBUL. 4, 1, 43); *infucatus* est fuco obductus (CIC. DE OR. vitia infueata), eontra, verba *infucata,* idest non obducta fuco, sed vera audire (ARNOB. 2, 47); *infrenatus* equus est equus eum freno aut equus sine freno; *insomnium* est Graecorum *enupnion* aut *aüpnia;* eubile *instratum* dici potest, si non est stratum; equi autem *instrati* appellantur etiam elitellis ornati; *illacrimare* (pro *inlacrimare*) eaedibus parentum (TACIT.) est eas deflere; *illacrimabilis* autem pro *nilacrimabilis* est *adacrutos,* qui aut non excitat laerimas (HORAT., *Od.* 4, 9, 26), aut non fundit (HOR., *Od.* 2, 14, 6), *illaqueatus* dieitur et laqueatus et non laqueatus.

Quibus exemplis iam prorsus quaestioni satisfaetum arbitramur.

Varsaviae Polonorum.

IOS. WABNER.

(1) Cfr. num. X, ann. MCMXI.

COLLOQUIA LATINA

Pecunia petitur; mutuo datur. (1)

IUVENALIS. — Vis a me magnam inire gratiam, Clemens, amicorum optime?

CLEMENS. — Nihil libentius quam tibi gratificatus fuero, si quidem penes me res ipsa erit.

I. — Malo nimis omine hodie cum vicinis nonnullis ludere volui: omnem amisi pecuniam.

C. — Numquid crumenam tibi praecidit?

I. — Lubet tibi ridere; mihi non item.

C. — Quidni?

I. — Exhausti sunt loculi perdendo.

C. — Quo lusu certasti?

I. — Ut hodie ego scopulum transfixerim. Irascor mihi quum recogito. Non secus deerravi ac si captus fuissem oculis.

C. — Sed quid est in quo tibi commodare possim?

I. — Da mihi mutuam libellam unam, plus minusve.

C. — Non tantum nunc habeo praesentis pecuniae.

I. — Quantum, quaeso?

C. — Nescio nisi crumenam inspexero. Ecce tibi centesima sexaginta.

I. — Da mihi mutuo dimidium, nisi incommodum est.

C. — Totum, si usus est, accipe.

I. — Inurbanus sim si te prorsus pecunia spoliavero.

C. — Hodie non egebo: universam accipe.

I. — Accipiam ergo; sed quod sine incomodo tuo fiat.

C. — Ne verere.

I. — Amo de te, ista tam prompta benignitate.

C. — Si quid aliud poscis, ne parcas.

I. — Reddam tibi obolum, Deo volente, quum primum cras te videro.

C. — Illam mitte sollicitudinem: nondum est opus mihi.

I. — Nolo esse in alieno aere: ego vero reddam, nec sine foenore.

C. — Apage! Ego domum me confero. Vale.

I. — Ego sodales revisam ut lusum repetam.

C. — Faxit Deus, ut meliori auspicio iteres.

I. — Alit ludentem spes victoriae; et ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est. Vale in crastinum.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE passim retractavit I. F.

Fides est fundamentum societatis humanae; perfidia vero eiusdem pestis.

PLATO, *De leg.* V.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Sero sapiunt Cumani.

Id adagium refertur a Strabone *(Geograph., XIII)*, putatque eos vulgo male audisse, tamquam stupidos atque insulsos, ob hanc causam, quod ducentis annis portus vectigalia hoc nomine exegerint, ut urbem aedificarent, quae dare tamen non desierunt, quum iam urbs esset exstructa. Adiicit et aliam fabulam: Cumanos, publica pecunia mutuo accepta, porticus construxisse; deinde, quum pecuniam eam ad praescriptum diem non reddidissent, a deambulatione fuisse prohibitos. Aliquanto post, quum ingens esset pluvia, creditores ludibrii causa praeconem misisse, qui publicaret edictum, uti Cumani porticus subirent. Atque ita voce praeconis admonitos subiisse: inde natum adagium sero sapere Cumanos, qui nonnisi moniti senserint defugiendam esse pluviam.

Notat et Stephanus Cumam atque Lesbum male vulgo audisse stupiditatis nomine. Proverbium autem non sentit de Cuma Italiae, sed Aeolidis, quae eadem dicta fuiss t Amazonium et Phriconitis, aut - ut Herodotus (lib. I) - Phriconis.

Simillimum illi: « Sero sapiunt Phryges »; nihil enim vetat quominus et in illos dicatur, qui nonnisi suo malo docti parent recte monentibus.

Quid, si caelum ruat?

Ironia proverbialis in eos, qui tutissimis etiam in rebus ridicule timent. Hoc unde manarit, Aristoteles indicat in *Physic.* lib. V scribens priscis illis et rudibus mortalibus persuasum fuisse, caelum hoc, quod videbant imminere, Atlanticis humeris sustineri; quod si ille subduxisset, fore ut sublimi in terram decideret. Idque non solum poetarum figmentis fuisse proditum, verum etiam a physicis nonnullis affirmatum.

Plutarchus in libello de facie quae apparet in orbe lunae, citat Phenacem quendam, qui metuerit ne luna decideret in terram, quique commiseratus sit vicem eorum, qui lunae forent subiecti, cuiusmodi sunt Aethiopes ac Taprobani, si tantum pondus in eos rueret; idem veritus de terra caeloque, nisi columnis Atlanticis fulcirentur.

Theognis haec de re habet, quae latine sonant:

Deinde meo vastus capiti illabatur Olympus
Ferreus, antiqui quod metuere viri.

Ac Terentius in *Eautontimorumenos:* « Quid si redeo ad illos, qui aiunt: Quid si nunc caelum ruat? »

Allusit huc denique Horatius in *Odis:*

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Suam ipsius umbram metuere.

Suam ipsius umbram metuere dicuntur, qui pueriliter trepidant, ubi nihil omnino sit periculi. Translatum vel ab iis, qui, forte conspecta corporis sui umbra, subito expavescunt; vel a melancholicis quibusdam, qui, auctore Aristotele, propter oculorum imbecillos spiritus, in aere proximo veluti suam quamdam imaginem contemplantes, arbitrantur sese suos videre manes. Socrates in *Phaedone* Platonis: « Tu vero tuam, quemadmodum dici solet, metuens umbram, id est tibi ipsi diffisus ». — Quintus ad Ciceronem de consulatu petendo: « Alter vero, quo, dii boni, splendore est? Primum nobilitate eadem, qua Catilina. Num maiore? Non, sed virtute. Quamobrem, qui manium umbram suam metuit, hunc negliges quidem ». (1)

Nimium tendendo, funis sbrumpitur.

Ex Graecis inductum proverbium in eos dici solet, qui dum extrema experiuntur, alienant a se eos quibuscum agunt, et universae rei iacturam faciunt, dum plus satis attenti sunt ad lucrum. Sed generaliter trahi poterit ad quemlibet conatum immodicum et ob id in malum aliquem erumpentem. Nec abhorret Mimus ille Publianus:

Furor fit, laesa saepius patientia.

Atque alter huic consimilis eiusdem creditur, etiam si Senecae nomine feratur: « Bonus animus laesus gravius multo irascitur ».

Momo satisfacere.

Hesiodus in *Theogonia* Momi cuiusdam meminit, quem ait Nocte matre, Somno patre progenitum. Huic deo mos est ipsum quidem nihil operis edere, sed aliorum deorum opera curiosis oculis contemplari, et si quid est omissum aut perperam factum, id summa cum libertate carpere. Atque *Momos* graece reprehensionem sonat.

Aristoteles autem (*De part. animal.*, lib. III) Momum inducit naturam incusantem, quod bobus cornua in capite ac non in armis potius addiderit, videlicet quo vehementius possint ferire.

Momi etiam Lucianus cum aliis compluribus locis meminit tum in *Dialogo de haeres.*, huiusmodi quamdam de eo fabulam referens: Minervam, Neptunum et Vulcanum de principatu artificii inter se contendisse; et, ut quisque artis suae precipuum aliquod specimen ederet, Neptunum taurum quemdam finxisse, Minervam domum excogitasse, Vulcanum hominem composuisse. Momus delectus arbiter certaminis et artis expensor. Ille, inspecto uniuscuiusque opere, praeter alia, quae in reliquorum operibus reprehendit, illud potissimum in hominis opificio notavit, quod artifex non in pectore fenestras aut ostiola quaedam addidisset, quo perspici posset, quid in corde lateret, quod illi specuosum alioqui, multisque recessibus sinuosum finxisset.

Hic igitur Momus varias adagiorum formas suppeditavit. Vel quum Plato (*De rep.*, VI) scribit, philosophiae studium esse huiusmodi, ut ne a Momo quidem possit reprehendi; vel quum Cicero scribit ad Atticum (Lib. V): « Quod me maxime hortaris, et quod pluris est, quam omnia in quo laboras, ut etiam Ligumio Momo satisfaciam, moriar, si quidquam fieri poterit elegantius ».

Ergo proverbii speciem habebunt omnes id genus formulae: Haud dubitem tecum vel Momo iudice decertare. — Inculpatior est eius viri vita, quam ut vel Momus ipse possit carpere. — Hanc faciem ne Momus quidem possit reprehendere. — Nec Momum iudicem recusarim; etc.

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

Sulpicius Apollinaris grammaticus apud Aulum Gellium (*Noct. Att.*, lib. XIII, 17) duo quaedam adagia notat, alterum Graecum, alterum Latinum; quorum eadem sit sententia: « Multa inter calicem et suprema labra cadunt ». Qua monemur, nihil tam certum sperari, nec quidquam tam esse vicinum, quod non repentinus aliquis casus queat intervertere; adeoque non esse tutum venturis fidere, ut vix etiam illa sint certa, quae manibus tenemus.

Originem adagii quidem ad huiusmodi fabulam referunt. Ancaeus, Neptuni et Astypaleae Phoenicis filius, quum vitem sereret, graviterque ministris instaret urgeretque, quidam, operis taedio commotus in herum, negavit futurum ut ex ea vite herus unquam vinum gustaret. Post, ubi vitis provenisset feliciter, atque uvae maturuissent, herus exsultans ac gestiens, servum eumdem accersit, atque, ut sibi vinum infundat, praecipit. Deinde iam calicem admoturus ori, servo quae dixisset redegit in memoriam, quasi vanam exprobrans divinationem. At ille sententiam hanc hero respondit, inter calicem ac summa labia multa posse intervenire. Servili sententiae favit eventus. Nam inter loquendum, priusquam ille vinum hauriret, alter quidam minister ingressus nunciat vinetum ab apro quopiam immani vastari. Quibus auditis, Ancaeus, deposito poculo, protinus in aprum fertur, a quo inter venandum percussus, interiit.

Interpres adagii citat Aristotelem auctorem, quum tamen de Ancaei nihil fabula meminerit; Lycophron alio detorsit, nempe ad Agapenorem patrem, et Ancaeum, Actoris et Eurythemistidis filium, et ad aprum Calydonium. Dionysius apud Zenodotum mavult paroemiam ad Antinoum referre, de quo Homerus in *Odyss.* XXII. Is Antinous erat unus

(1) Hic vero locus non uno modo in codicibus invenitur.

ex procis, cui, poculum tenenti iamque bibere paranti, Ulysses ingulum telo transfixit. Atque ita, manibus elapso poculo, concidit, atque interiit.

Flamma fumo est proxima.

Exstat apud Plautum in *Curculione* adagium, id commonens, mature fugiendum esse periculum; quique malum evitare cupiat, ei vitandam prius occasionem. Ut qui corrumpi nolit, ab improborum abstineat consuetudine. Nam et illud protinus addit poeta: « Fumo comburi nihil potest; flamma potest ». Fumus enim indicium est flammae mox erupturae.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

De manuscriptis Religiosorum.

Religiosi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, eiusdem dominium non habent, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant.

(Ex deer. d. XIII mens. Iulii MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

Decretum de precibus in fine Missae recitandis.

A nonnullis locorum Emis. Ordinariis, Sacr. Rit. Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum: « An, attentis S. R. C. decretis n. 3697, *Ordinis Min. Capuccinorum,* 7 Decembr. 1888, ad III, de Missa Conventuali sine cantu; et n. 4271, *Baionen.,* 8 Iunii 1911 ad II, de Missa votiva lecta S. Cordis Iesu prima feria VI cuiusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex gr. occasione primae communionis generalis, saerae confirmationis vel ordinationis aut pro sponsis, haberi possit uti solemnis; eique applicari valeant praefata decreta quoad preces in fine Missae, a Summo Pontifice praescriptas, omittendas? » Et Sacr. Rit. Congregatio, audito Commissionis liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit: « *Affirmative,* si Missa eum aliqua solemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium ».

(D. XX mens. Iunii MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. per mensem Augustum coram se admisit peregrinorum agmina ex Dalmatia, ex Hetruria, ex Sardinia exque Cenedensi dioecesi.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta ecclesiis proprio pastore, viduatis, provisum est prout sequitur: Titulari ecclesiae Castabaldensi praefectus est sac. Marcus Zapata, archidiaconus catedr. eccl. S. Ioannis de Cuyo, auxiliaris constitutus revmi. d. Iosephi Americi Orzali, episc. S. Ioannis de Cuyo; cathedrali ecclesiae Casertanae revmus. d. Marius Palladino, hactenus episc. Isclanus; cathedr. eccl. S. Severini revmus. d. Adam Borghini, hactenus episc. tit. Carpasiensis; cath. eccl. Adriensi sac. Anselmus Rizzi, dioecesis Mantuanae, ibidem parochus loci vulgo Ostiglia; tit. eccl. episc. Gerasensi sac. Carolus Iosephus Eugenius Ruch, vicarius generalis Nanceyensis, Coadiutor constitutus cum iure futurae successionis revmi. dni. Caroli Francisci Turinaz, episcopi Nanceyensis; cathedralibus ecclesiis Parentinae et Solensi sac. Typhon Pederzolli, parochus eccl. S. Antonii thaumaturgi in civitate Tergestina; cathedr. eccl. Peterboroughensi sac. Michaël Iosephus O' Brien, parochus ecclesiae SSmi. Cordis in urbe Peterboroughensi; cathedr. eccl. Florianopolitanae sac. Ioannes Borges Quintão, Congregationis Missionis et rector santuarii Curitybensis de Parana; cathedr. eccl Hajdudoroghensi graeci ritus sac. Stephanus Miklósy, parochus loci vulgo Satoraljanjhely; tit. eccl. episc. Castoriensi sac. Franciscus Gossmann, canonicus cathed. eccl. Vaciensis, Auxiliaris constitutus rmi. dni. Caroli Emmanuelis Csaky, episc. Vaciensis

Brevi autem Apostolico nominati sunt: Episcopus titul. eccl. Adrahensis et Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Urubamba et Matre Dei, r. p. Raymundus Zubieta, Ordinis Praedicatorum; Vicarii Apostolici Cameronensis Coadiutor cum iure futurae successionis rev. dnus. Franciscus Hennemann, Societatis Missionum.

— Rmo. dno. Carolo Francisco Turinaz, amplioris honoris causa, conlatus et additus personaliter est a SSmo. archiepiscopalis titulus Antiochiae de Pisidia, retentis simul Nanceyensi ab eo sede, atque ecclesiae Tullensis titulo.

— Emus. P. D. Benedictus Lorenzelli inter PP. Cardinales Sacr. Rituum Congregationis cooptatur.

— Rmi. dni. Stephanus Iulius. Gazaniol, episc. tit. Modrensis, et Iacobus Stammler, episc. Basileien. et Luganen. inter episcopos Pontificio solo adstantes adleguntur.

— Rr. pp. Stanislaus Federici S. I. et Placidus Lugano, ex Ordine S. Benedicti Congnis. Olivetanae, inter Patres Consultores S. Congregationis Studiorum adnumerantur.

ANNALES

Pax inter Balkanicos populos composita.

Indutias, quas in superiore numero enunciavimus inter Balkanicos bellantes populos initas, legatorum ex iis Bucarestinus conventus sequutus est, unde pax, fausto auspicio, brevi genita. Huius novi foederis vi, Cavalla urbs eiusque territorium Graeciae attributa sunt; Strumitza Bulgariae, Vardar denique fluminis dextera ora omnis Serbiae addicta est. Neminem fugit, Bulgariam non solum ab arrogantia huc usque habita, verum etiam a postulationibus, quae non omnino iniustae videbantur, facile recessisse; quod ita absonum apparuit, ut huiusmodi ratio non aliunde explicari posset,

nisi in spe exterarum nationum interventus, ad pacis foedus hic illic retractandum.

Re quidem vera Austria primum, ac deinde Russia, eius excussionem, antequam definitive ipsum comprobaretur, postularunt: obstiterunt Germania et Gallia, dum Angliae atque Italiae haud difficile est damna opportune colligere, quae inde forent oritura, atque suadere ne quieta, tanto labore parta, nunc illico saltem moverentur. Quum igitur Gulielmus, Germanorum Caesar, litteris suis ad Carolum, Rumenorum regem, missis aperte declaravit, se ob pacis rationes definitive conciliatas ipsi gratulari, quasi gravi pondere levati, remissi omnium animi sunt atque refecti.

Interim Londinensis etiam Europaeorum legatorum coetus munus suum prosequutus est de Balkanicarum rerum, post recens bellum, nova constitutione. In postremis hisce quae habitae sunt sessionibus Albaniae fines ad meridiem positi, deque insulis duodecim quae, uti patet, in Italorum manibus sunt, Gallia quamquam repugnante, est recognitum, disceptari non licere, priusquam Lausannensibus pactionibus, quae Turcas inter atque Italos vigent, fuerit omnino satisfactum.

Restat Adrianopolis urbis possessio, quam Bulgari iure belli et initi foederis sibi repetunt; Turcae autem vindicant suam.

Heic etiam videtur res posse componi sine ulteriori sanguinis effusione, sed mutuo consensu bonaque partium voluntate: quod quidem ex animo ominamur.

***

Mexicanum cum Septentrionalis Americae civitatibus discrimen.

Mexicanam civitatem intestinis discordiis acriter iamdiu vexari nemo ignorat. Huiusmodi rerum status tam longo tempore productus Septentrionalis Americae civitates iure commovit, quibus tot negotia cum vicino populo sunt; apud quem immo tot cives sui domicilium posuerunt. Itaque Wilson praeses, Lind legatum ad Mexicanum gubernium misit tamquam pacis suasorem; quae quidem non facile componi poterit, nisi Huerta imperator a procuratione reipublicae discesserit, liberum populum in comitiis relinquens novum virum ad illud officium deligendi. Sed Huerta huiusmodi sollicitationes despicere videtur, ita ut Washingtoniensi coetui Wilson litteras dederit de acris rationibus fortasse in Mexicum a Nordica America adhibendis ad necessariam quietem restituendam. Quid inde? Eventus indicabunt.

***

Sinarum civile bellum.

Sinensium, inferiorem civitatis partem incolentium, rebellio nondum remittitur, habita a factiosis aliqua de gubernii copiis victoria, quae eo usque eorum arrogantiam incendit, ut Germanicam bellicam quamdam navem aggredi quoque ausi sint; quod quidem eorum sortem in peius vertet.

Ceterum omnes adhuc credunt, eam esse Yuan-Sci-Kai praesidis vim atque virtutem, ut rebellium conatus is demum sit ad nihilum redacturus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** apud Senatum de navalium rerum statu disceptatum.

In **Batavia** novum administrorum collegium suffectum, praeside Cord van der Linde.

In **Belgica** scholasticae reformationes in disceptationem ante ferias adduci non potuerunt.

In **Gallia** apud Senatum leges militares ac de reditibus publicis ratae habitae.

PER ORBEM

Die III mens. Augusti MCMXIII Neoportus ex urbe nunciant sexaginta et tres annos natum vita functum esse Ioannum Milne, sysmologiae magistrum praeclarum, quam in Iaponia primum, deinde in Oxoniensi athenaeo summa cum laude professus est. Ipse sysmographicam chartam totius orbis descripsit, in quo opere decem annos adlaboravit.

— d. IV Mediolani opifices omnes ex condicto ab operibus suis recedunt, tumultusque excitant, quos manu militari cohibere oportet.

— d. V antiquitatis magister Loat regiae disciplinarum societati Londinensi refert, Abydi coemeterium avium, Ibis praesertim, a se repertum esse.

— d. VI Peruvianae urbes Caravai et Guisasha ingenti terrae motu solo prope aequantur.

— d. XI Catalauniensis operariorum a laboribus desertio, sub finem superioris mensis inita, tandem remittitur.

— d. XII Neoeboracensis civitas ventorum immani vortice affligitur, gravi tum rerum tum hominum iactura.

— d. XIII septuagesimum vitae annum agens Passugg in oppido ad Coiram repentino fato corripitur Augustus Bebel, socialistarum factionis per orbem universum facile princeps.

— d. XV Centumcellis monumentum dicatur Alberto Guglielmotti, Sacerdoti ex Ordine Praedicatorum, historico navalium rerum apud Italos summo.

— d. XVII Divoduri (vulgo Metz) in urbe sexagesimus catholicorum Germanorum conventus sollemni ritu inchoatur.

— d. XVIII Franciscus Iosephus, Austrorum Im-

perator Hungarorumque rex, quartum supra octogesimum aetatis annum feliciter explet.

— d. XIX Macao ex portu Hong-hong usque, turbo (vulgo *typhon*) ingentissima damna apportat.

Tacubaya, in vico ad Mexico urbem, currus electrica virtute actus, dynamite ignita pulvere onustus, incenditur, centum et ultra hominum corpora misere lanians.

— d. XX ad thermarum stationem Sancti Gervasii supremum diem obit Aemilius Ollivier, Napoleonis III, Gallorum quondam imperatoris, administer, sub quo infelicissimum contra Germanos bellum an. MDCCCLXX peractum est. Natus erat Massiliae d. II mens. Iunii MDCCCXXV, fuitque etiam vir multarum litterarum.

— d. XXI Saccorgiane in litore ad Polam urbem, dum tormentorum bellicorum experimenta fiunt, ex improvisa machinae cuiusdam fractura pyrogranaeque inde incensione, milites tres necantur, atque Lanjus Wellemburg, Comes, propraetor navalis gravi vulnere afficitur, cuius causa et ipse insequenti die mortem occumbit.

— d. XXII officinae plures in urbe Jersey ad Neoeboracum, flammis, ventorum vi diffusis, maximis cum damnis vorantur.

— d. XXVII Catalauniensi in oppido S. Antonii nitratae pulveris ingens receptaculum fulmine incenditur. Pagi proximi Tremp, Salas ac Talaran graviter inde pessumdantur.

— d. XXVIII coram Batavorum regina, praesentibus universi orbis legatis, «pacis aedes» Hagae ad urbem sollemni pompa aperiuntur.

— d. XXX atrae procellae in Iaponia furiunt, quibus pontes innumeri destruuntur, Tokioque ipsa in urbe multa aedium millia aquis inundantur.

— d. XXXI tempestates quoque violentae ex Gallia omni nunciantur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

De cognitione sensuum externorum. — Inquisitio psyeologico eriteriologica eirea Realismum eritienm et obiectivitatem qualitatum sensibilium. auctore P. Ios. Gredt O. S. B. in Collegio d. Anselmi de Urbe philosophiae professore. — Romae, edid. Desclée et soc., MCMXIII. (Ven. lib. 1, 25).

Ramirus Marcone O. S. B. — *Historia philosophiae scholarum usui accommodata.* Volumen I. Philosophia orientalis et graeca. — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

P. A. Pederzolli. *L'editto di Milano e la libertà della Chiesa.* Note, raffronti, considerazioni. — Indid. (Ven. lib. 0,75).

Egilberto Martire. *L'anima di Federico Ozanam.* Discorso. Indidem. (Ven. lib. 0,50).

AENIGMATA

I.

Illa ego sum, notas hominum quae pnuio sordes;
Ut purgem pleno iure statuta fui.
Mors me et vita tenent, mea dant et funera vitam,
Quum tenet oppressum pectoris aura sinum.
Ad sua prata vocant omnes me tempore certo;
Sed membris cupiunt me procul esse suis.
Quum rno de sphaeris artusque in frusta secantur,
Vos dolor excruciat, vos quoque poena ferit.
Quae me progenuit gaudet non luce serena,
Quum grave me proprio in pectore gestat onus.
Syrmate septa nigro lacrymantes inter amictus,
Me parit in terris, quam tenet ante Polus.
Libertas mihi cara placet, nec comped.e possum
Vinciri: e manibus labor, ut aura, notus.
Si me nonnulli servire penatibus optant,
Illuc vi interdum debeo fune trahi.

II.

Quum miser absumit cunctas et devorat escas,
Qui me progenuit denique orexe perit;
Non semel extinctum, soboles pia, corpore texi;
Altera non potui vota replere patris.
Torrida zona dedit vitae primordia flammis:
Sum, nigros inter, candidus ortus ego.
Sed mea vita fuit nimium damnosa parenti;
Me nascente, suos perdidit ille dies.
Dum mea stringebant genitorem brachia, lethum
Oppetiit: purus trivit ad astra vias.
Avolat ad caelum; infelix ego deseror orbe:
Pellendi maculas, hic mihi munus erit.
Nomina symbolico Metanoeae dicor amicus,
Cui cycladem proprio saepe colore tego.
Sed cave, ne multum credas in veste colori:
Saepe etenim mendax contegit illa dolos.

Augustinus Epiro.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet, IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI Milesiam fabulam, cui titulus:

ARRAE GORGONIAE.

Aenigmata an. XV, n. VI proposita his respondent:

I) **Flabellum**; II) **Falx.**

Ea rite soluta miserunt:

P. C. Peltenburg, *Sosterwonde apud Lugdunum Batavorum.* — Petrus Tergestinus. — Diomedes Falva, *Constantia.* — Iac. Costa, *Dunio* — Lud. Thyssen, *Dresda.* — Alois. Geyer, *Ratisbona* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Claudius Lucensis. — Rich. Brondel, *Brugis.* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — B. Ferraris, *Augusta Taurin.* — Lud. Bernard, *Gratianopoli.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — F. Arnori, *Mediolano.* — F. Correa, *Emerita.* — Alex. Pintauro; Vine. Starace, *Neapoli.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — E. Burg, *Monachio.* — Carm. Zlinczky, *Cracovia.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* — St. Lowinski, *Zerkòw.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Io. Martins, *Philadelphia.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* ,— Leonardus Feher, *Chicagine.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Iac. Menendez. *Madrito.* — Alb. Kain, *Dublino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — F. X. M., *Drepano.* — Fr. Xav. Ghion. *Ostunio.* — P. Prado, *Venetiis.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Arch. Magliano, *Genua.*

Sortitus est praemium:

IACOBUS COSTA,

ad quem missa est IOANNIS BAPT. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus:

SATURIO.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae. — Officinae *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

12)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

OCTAVIUS.

Sum Christianus equidem,
Et ipse fortior divino auxilio,
Fatebor alte coram vobis, iudices!

MUTIUS.

At imperator... punit vos sententiis
Magis ne fundatur Christi perversitas.

OCTAVIUS.

Christi perversitas? Vobis ignoscat Deus!
Iesu quid castius, quid purius, sanctius?
Deos vestros stulte quos vos colitis,
Quos foedos omnibus scitis criminibus,
Asperno maximis verbis et spiritu.

MUTIUS.

Quam si vitam vis salvare, et liberum
Domum redire... oportet contemnas Iesum
Colis quem stulte! Tibi quid hoc prodest?

I. SACERDOS.

Novam relinque legem, quam vos docuit
Magister ille venit qui de Solimis,
Suo qui meruit damnari crimine.

OCTAVIUS.

Dicam liberius, quamvis paene puer.
« Suo » dixisti? Die « nostro » potius.
Eramus omnes saucii criminibus,
Et ultro lapsi, misere, in ira Numinis.
Erat sors tristis vivens et post funera.
Poetae nostri, qui erravere turpiter,
Haec vera passim nos fecerunt monitos.
Adest salus nulla; labendum in baratrum!
Dabit quis mercedem salvandis fratribus?
Quis exsules duxerit laetos in patriam?
Fuit sed ipse qui redemit sanguine.

MUTIUS.

Alumnos quaerit.

I. SACERDOS.

Nos Christianos autumat.

OCTAVIUS.

Quod ignoratis vos iniuste temnitis.
Sic olim celeber pro Roma Curtius
In foveam vitae non avarus cecidit.
Quis audet illum ineusare crimine?
Iesus colendus est omnibus gentibus,
Suum qui prodigus profudit sanguinem.
Laetor puer Christi cultum defendere
Mori paratus duris et cruciatibus.
Et esse Christianum, mens iam praesagit
Mihi, qui venerint, dicent, historici,
Agant qui fortiter, patiantur duriter!

MUTIUS.

Lubet quam, iudices, ferri sententiam?

I. SACERDOS.

Et hic qui audacior iudicium provocat?

II. SACERDOS.

Diis placandis est mactanda victima!

OMNES.

Deos adora, ni velis pleeti gladio!

OCTAVIUS.

Adoro Christum, veneror suaviter;
Nec praeter ipsum venerabor in posterum.

OMNES.

Tenax eris?

OCTAVIUS.

Quin pertinax, ad sanguinem!

I. SACERDOS.

Necem tibi petulans imputabis, puer!

OMNES.

Adeste ferris, taedis, vos sacrificuli...

OCTAVIUS.

Adoro Christum! Veneror!

(*Interea captivi qui chartulam legerunt, gestientes laetitia, elata voce concinunt*):

Deus eras mittet redemptionem populo
Erunt et omnes coneaptivi liberi
Contritus laqueus liberati sumus.

I. SACERDOS (*Exaudiuntur diversae voces*)
Qui strepitus?

OMNES.

Quid huc profani turbatim introeunt?

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Octobri MCMXIII. Num. X.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis monitum.
Erroneus revelationis conceptus penes Modernistas.
M. Antonii Mureti notitia.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur.
Horae subsecivae. Peregrinus.
De Leone XIII P. M. Commentarius.
Autumnales excursiones. De domo Georgii Washington.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Decretum S. C. de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis quo statuuntur mutuae relationes disciplinares inter episcopos canadenses et episcopum ruthenum illius regionis, nec non inter clerum et fideles utriusque ritus.
Diarium Vaticanum. Coram SS.mo admissiones — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clariores.
Annales. Balkanicae novae nubes. — Sinenses res. — Italorum proelia in Lybia.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: (Ad Romam).

SOCIIS MONITUM

Socios iltos, qui nondum subnotationis pretium solverunt, iterum iterumque rogamus ut debito nobiscum contracto Commentarium nostrum ditigenter et continue missum retinentes, quamprimum exeant, pretium ipsum, quod est in Italia tibelt. 6; ubique extra Itatiam tibelt. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9) Societatis nostrae Administratori (Romae - Via del Tritone, 46) *satisfacientes.*

Causa nostra — ne sit supervacaneum repetere — in Sociorum auxilio unice posita est; quo deficiente, ab incepto, cui tam diu acriterque vires nostras sacravimus, necessario erit nobis recedendum.

VOX URBIS.

ERRONEUS REVELATIONIS CONCEPTUS
PENES MODERNISTAS

Penes theologos, quoties in ordine supernaturali de actione Dei in mentem humanam fit sermo, tria haec «assistentia, inspiratio, revelatio» continuo occurrunt, eaque non raro usurpantur promiscue, licet immerito. *Inspiratio* siquidem, intellectus et voluntatis motionem, in qua nulla quandoque est veritatis manifestatio, importat; *assistentia* vero immunitatem quidem ab errore, non autem veritatis manifestationem includit; *revelatio* denique praeter haec praedicta, in proprio conceptu veritatis manifestationem dicit. Revelare enim est velum removere, et ipsamet revelatio iuxta vim etymologicam est veli remotio et ablatio.

Haec veli remotio, h. e. veritatis manifestatio, propter obiectum modumque quo fit, triplex esse potest. Siquidem vel in ea manifestatur *res*, et tunc «revelatio *quoad rem*» habetur; vel non manifestatur res, sed potius *iudicium* circa rem ferendum, et «revelatio *quoad iudicium*» habetur. Vel denique res, ipsumque de re iudicium manifestantur, et «revelatio *quoad rem simulque iudicium*» habetur. Audiatur Angelicus: (1) «Quandoque igitur cognitio est supernaturalis secundum acceptionem tantum, quandoque secundum iudicium tantum, quandoque secundum utrumque».

Modus quoque, quo menti humanae veritas a Deo manifestari potest, triplex distinguitur; videlicet, vel per signa sensibilia, vel per actionem in facultatem imaginativam exercitam, vel per actionem exercitam in intellectum; seu, ut verbis Angelici (2) utamur, manifestatio veritatis fieri potest «secundum visionem corporalem, quando aliqua corporalibus oculis divinitus

(1) Ed. *De Verit.* 12, a. 7.
(2) Ibid.

demonstrantur, ut manus scribentis Balthassari; et secundum imaginariam visionem, quando divinitus aliquae rerum figurae Prophetis ostenduntur, ut olla succensa Hieremiae, et equi et montes Zachariae; et secundum intellectualem, quando aliqua intellectui ostenduntur supra naturalem facultatem ».

***

Revelationis catholico sensu acceptae conceptus continetur et exprimitur per verba P. Pesch, (1) dum scribit: « Quaevis revelatio definiri potest: Veritatis per divinam testificationem manifestatio »; vel per verba d. Tanquery (2) scribentis: « Revelatio est manifestatio alicuius veritatis a Deo creaturae intellectuali factae praeter consuetum ordinem naturae ». Magis complete, revelationis catholicae conceptus traditur a Card. Zigliara (3) per verba: « Magisterium divinum, quod praeter exigentiam naturae docet creaturas rationales veritates divinas, quae, sive per se et absolute, sive per accidens et relative, excedunt vires intellectus creati ». Per huiusmodi definitionem, revelationem tum immediatam tum mediatam, veritates tum naturales tum supernaturales complectuntur. « Revelationem dicimus, - ait ad rem Card. Billot (4) - omnem locutionem Dei ad nos, sive per organum coniunctum, quod est humanitas hypostatice unita Verbo, sive per instrumenta separata, cuiusmodi fuerunt sancti illi Dei homines, de quibus 2 Petri I-21. Quae etiam locutio terminata est, partim ad verbum orale, seu ore ipsius Christi, vel apostolorum eius, Spiritu Sancto dictante, sive scripto probatum, et partim ad verbum scriptum per ministerium hagiographorum tam veteris quam novi testamenti ».

Neminem latet, revelationem divinam, mentis divinae ac mentis humanae unionem importare; est enim actio quaedam vitalis, quidam mentis tactus, quaedam Dei locutio, quaedam divinae locutionis perceptio.

***

Modernistae, duce ipso Loisy, revelationis notionem a theologis catholicis traditam, tamquam « anthropomorphicam, ethnicam necnon scientiae hodiernaeque philosophiae contrariam » reiiciunt, simulque revelationis notionem tali modo corrigere atque explicare conantur.

Quod revelatio appellatur, - asserunt illi, - nonnisi conscientia relationis hominis cum Deo, per hominem ipsum acquisita, est, sicut christiana revelatio, in anima Christi est perceptio relationis, quae Deum cum Christo omnesque homines cum Patre caelesti unit. - Revelatio fit realis *(se réalise)* in homine; sed est opus Dei in ipso et per ipsum. Causa efficiens revelationis est supernaturalis, sicut supernaturale est obiectum eius; causa enim haec, et huiusmodi obiectum Deus est; qui Deus, in hominem agit atque ab homine cognoscitur... Veritates quae, iuxta modum loquendi theologorum, revelationis substantiam constituunt, per idearum ac imaginum coniunctionem efformatae sunt; quaeque ideae, imaginesque ante veritates has in mente eorum, qui primitus eas cognoverunt, praexistebant. Principium revelationis, rudimentalis perceptio fuit relationis existentis inter hominem habentem conscientiam sui ipsius et ipsum Deum praesentem phaenomenorum mundo. Revelationis evolutio facta est per novarum revelationum perceptionem, vel potius per determinationem magis distinctam essentialis relationis ab initio praevisae, dum homo melius ac melius Dei magnitudinem, obligationisque suae characterem ad Deum cognoscere coepit. Veritatum religiosarum perceptio, non unius rationis fructus est opus, sed intellectus moti, si ita loqui fas est, a sensu *(sentiment)* religioso et morali, necnon a voluntate boni... Inter hominem silvestrem, quem Deus illuminat ut in cultu illius vitam adinveniat, ipsumque prophetam, qui est organum revelationis, quae veritatum omnium religiosarum perfectissima existit, in solo gradu luminis supernaturalis et in gradu extensionis obiecti a fide illuminati differentia datur; sed luminis qualitas ac huius obiecti substantia eadem sunt. (1).

***

Modernisterum hanc sententiam circa revelationis divinae conceptum tamquam erroneam breviter reiicimus.

Primo, sententia haec damnata fuit a Pio X *(Syllab.*, prop., 20) per illa verba: « Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia ».

Contra eamdem rursus haec quae sequuntur animadvertere placet:

a) Falsum est suppositum illius. Supponit enim divina Maiestate indignum esse, Deum homines docere, esse humani generis magistrum: dum tamen ipsimet Modernistae recognoscunt libenter, nihil dignius inter homines atque pro hominibus dari, quam veritatem docere, aliisque scientiam tradere. Quo iure igitur asserere possunt, esse Deo indignum quod dignissimum in homine ac pro homine est? (2).

b) Falsa est notio, quam de revelatione catholica, qualiter a catholicis theologis explicatur, Modernistae sibi ipsis fingunt. Putant siquidem divinam revelationem, violentam esse idearum infusionem, vel actionem quamdam mechanicam; dum tamen scimus, actionem esse vitalem, nullamque violentiam inferentem. Revelatio

(1) *Propaed.* n. 151.
(2) *De Vera Relig.* c. 1, a. 2, n. 24.
(3) *Propaed.* l. 2, c. 1, XI.
(4) *De S. Traditione*, in procmio.

(1) Cf. *Autour d'un petit livre*, p. 192-193. *Revue du Clergé*, Janvier 1900, p. 239-60 - Cf. Epist. *Pascendi*, ubi Modernistarum sententia hisce verbis refertur. « Cum Fidei Deus obiectum sit aeque et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum ».

(2) Cf. *Bulletin de Litt. eccl. de Toulouse*, Janvier 1904, p. 78, Ibi P. Portalier contra Loisy scribit: « *Il en appelle d'abord à la dignité divine: c'est un anthropomorphisme grossier et indigne de l'infini d'en faire le maître d'école de l'humanité. Etrange grief à une époque qui prétend diviser la science et l'enseignement de la science. En quoi messiérait-il au Créateur, qui a daigné donner de son être et sa créature de lui faire aussi confidence de ces secrets? M. Loisy ne l'a jamais dit* ».

enim locutio quaedam libera Dei ad homines est, libera communicatio intellectus divini ad intellectum humanum, voluntatis divinae ad voluntatem humanam.

c) In Modernistarum sententia non satis apparet, quomodo revelationis supernaturalitas, tum ex parte causae, tum ex parte obiecti eiusdem salvetur. Voce quidem huiusmodi supernaturalitatem asserunt; facto autem negant.

REGINALDUS FEI O. P.

M. Antonii Mureti notitia

Marci Antonii Mureti orationes in nostris paginis revocantes, quae propius rem nostram, litteras scilicet atque bonas artes, respiciunt, facere non possumus quin et vitae sapientissimi viri, qui renascentis humanitatis vindex inter primores ac decus exstitit, notitiam aliquam in lectorum intelligentiam simul atque commodum repetamus.

Natus ille est in Galliae Aquitaniae suburbano oppidi Lemovici, cui Mureto nomen, mense Aprili ann. MDXXIV, loco honestissimo, patre iurisconsulto eodemque genere perantiquo et nobili, quippe quod et pagum ipsum antiquitus possederit, unde etiam familia cognominata est. Ab ipsa pueritia Antonius admirabili ingenii magnitudine excelluit, ita ut vix ullam desiderare disciplinam visus fuerit, discipulosque prius habere coepisse, quam magistros; idque primum in patria sua, deinde vero Aginni, quae urbs princeps in Aquitania florebat. Heic summo duce et adiutore studiorum Iulio Caesare Scaligero usus est, viro in omni eruditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito, qui excellentissimum adolescentis ingenium admiratus, volens ac lubens rectam quae ad rerum scientiam ferret viam ei monstravit, quo sua eum natura ducebat. In qua tamen bonitate naturae - ait quidam eius vitae scriptor eiusdem temporis - atque ingenii abundantia tanta utebatur contentione animi atque industria, quanta utendum est homini, qui, quo minus ingenio potest, subsidio sibi comparat diligentiam, ut et ingeniosos diligentia vincat, et ingenio diligentes; totum illud sibi tempus perire credat, in quo non aut doceat aliquid, aut discat.

Quum igitur aliquandiu moratus Aginni fuisset, ad doctrinarum Galliae domicilium, Lutetiam Parisiorum, profectus est, ubi, quum itidem ingenii divitias explicare coepisset, brevi ad se omnium studia atque ora convertit. Novus - (sic in funebri oratione legimus, quam de eo Romae habuit Franciscus Benci S. I.) - videbatur exortus Demosthenes Christianis Athenis, ita docente Mureto et quidem adhuc peradolescente: concursus audiendi causa ex tota urbe fiebant; magna hominum frequentia Gymnasium celebrabatur: ne pes quidem relinquebatur prae maxima audientium multitudine ubi pedem doctor ipse ponere posset..... Nihil ferme aliud erat Lutetiae magis eo tempore in hominum sermonibus quam Muretus, quem ipse etiam rex aliquando et regina, ut quod fama et auditione acceperant, re ipsa experirentur, audire voluerunt.

Postquam, praeter Parisienses, litteras atque ius civile Pictavienses, Burdigalenses, Auscitanos atque Tolosanos edocuit, vix duodetriginta annos natus Venetias demigravit a Lauredano, Bembo, Contareno, Soriano, Manutio summa familiaritate exceptus; pauloque post Patavium concessit, donec, anno circiter MDLX, ad summum illum doctorum Moecenatem Hippolytum Cardinalem Estensem, honestis condicionibus invitatus, se contulit; in cuius comitatu quum in Galliam rediisset, mox etiam legatione obita in Italiam revertit. Romam tandem an. MDLXIII, ipsius Purpurati Patris suasu, venit, uti Aristotelis ethicen publice interpretando explicaret; quod quidem ita perfecit, ut «Aristoteles quidem ipse Romae docere, sed Romano ore, et lux quaedam Urbi reddita veteris eloquentiae viderentur». (1) Item ius civile tradidit, neque ab iis libris explanandis abstinuit, ut Platonis, Senecae, Horatii, Taciti, Ciceronis, qui non solum acuere sed alere etiam ingenium solent. Sic ad vitae annum nonum supra quinquagesimum pervenit; tunc a Stephano Bathorio, Polonorum rege, in regnum suum amplissimis praemiis accersitus est, moremque optimi principis voluntati gessisset, nisi Gregorius PP. XIII, qui eum plurimi faciebat, cum sua sponte, tum magistratuum admonitu, qui Mureto ipsi aliquot ante annos ultro Romanae civitatis ius pertulerant, egisset ne discederet. Quo factum est ut tantum ei stipendium decerneretur, quantum fortasse unquam tum nemini. (2)

Ceterum vir erat etiam animi virtutibus valde commendabilis, inter quas, ex aequalium testimonio, benignitas et religio enitebant. Totus erat omnibus, eiusque aedes portus quidam, oraculum ac perfugium cui liberet; tantaque in Deum pietate, ut postremis vitae annis voluerit quoque sacerdotio initiari. Novem annos sacerdos vixit; «quo tempore tam sancte sacris operatus est, ut inter sacrificandum et lacrimas effunderet frequenter et easdem aliis excuteret... Saepe de morte senex, tamquam demigratione cum familiaribus disserebat, ut ex pedibus aeger iam iam sibi esse migrandum domo, cuius fundamenta laborent, praedicaret... Triduo ante mortem sacrosanctum Christi Corpus suscepturus, omnibus qui eo convenerant praesentibus atque audientibus, supplex veniam a familiaribus petiit, lacrimantibus omnibus qui aderant». (3)

(1) BENCI, ibid.

(2) Sic enim ipse Muretus ad Ioan. Zamoscium, Polonici regni Procancellarium (*Epist.* I, 18): «Praeter spem et opinionem meam accidit, ut quum me ad iter accingerem, atque istic animo cogitationeque totus essem, subito ostenderet Gregorius Pont. Max. profectionem meam sibi non placere, atque per viros summa auctoritate praeditos curaret, ne ex Urbe discederem; sibi curae fore, ut ne in Urbe deteriori conditione essem, quam quae in Polonia deferretur. Quin etiam ad quingentorum aureorum annuorum stipendium, quod mihi iam pridem constitutum erat, statim ducentos adiici iussit, mandavitque Datario suo primo quoque tempore quoquo modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur; ea re factum est, ut coactus sim deponere consilium quod ceperam...».

(3) BENCI, ibid.

Quid de eius studiorum navitate dicamus? Sunt et orationes plurimae Venetiis praesertim ac Romae, eaeque in consessu ipso Purpuratorum, habitae. (1) Poemata item, quae Romae pariter quum esset composuit; nam quae adolescenti annorum circiter viginti exciderunt et iuvenili quodam calore atque impetu in Gallia profudit, ea saepe Francisco Bencio, quem supra memoravimus, ceterisque familiaribus dicebat sibi adeo non placere, ut ne pro suis quidem agnosceret: tantum abest ut probaret. At senilia eius carmina pia sunt, erudita, iucunda; lusitque Graecis et Latinis versibus primae aetatis institutionem in gratiam M. Mureti, fratris filii. Hymnos quoque sacros, Mantuani Ducis rogatu, edidit, et Ferrariae eruditas de iure civili disputationes in quatuor libri primi Pandectarum titulos; h. e. de origine iuris - de legibus et Senatus consultibus - de principum Constitutionibus - de officio eius, cui mandata est iurisdictio.

Epistolarum exstat volumen ad familiares; exstant commentarii et scholia in veteres poetas Terentium, Horatium, in Catilinarias et Philippicas. Haec omnia ferunt ea ratione illum composuisse, ut nihil unquam bis scriberet, vix adeo bis legeret id ipsum quod scripsisset; non saepe aliquid mutaret, aut emendaret; rarius demeret, deleret: ita, quum uno quasi tenore omnia fluerent, nihil nisi aptum et accommodatum ad manum mentemque ei venire, ut multo meliora fortuito illi exciderent quam alii, qui eandem assidue incundem tundunt, excudunt labore; totum denique sic in studio esse, ut ad summum singulis noctibus somno quinas horas, quaternas plerumque, aut etiam ternas indulgeret.

Obiit Romae pridie Non. Iun. an. MDLXXXV, atque sepultus est ad SS. Trinitatis in colle hortulorum, apposito eius tumulo supremo titulo, qui sequitur:

Hic Marci caros cineres Roma inclyta servat,
Quos patria optasset Gallia habere sinu.
Stat colle hortorum tumulus, stat proximus astris,
Quae propius puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrumans asperge, viator,
Et dic: Heu linguae hic fulmina fracta iacent.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur. (2)

Cum mihi a summis viris, quorum auctoritate, atque imperio nostra omnium studia diriguntur, mandatum esset, ut hodierno die, quo, ut scitis, more maiorum, noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de praestantia litterarum, et earum artium quae litteris continentur, aliquid publice dicerem, quo iuvenum animi ad earum amorem incitarentur: quod prius facere debueram, sed inconsueto quodam obsequendi studio abreptus non feceram; coepi oneris suscepti magnitudinem cum viribus meis sollicite comparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar, ut mihi nihil arduum, aut difficile impositum crederem. Nam, ut Cyrenaeus poeta facile ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot, tantaque laudum argumenta sint: ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque indiserto laudare eas artes, quas vere, ac merito bonorum fontes nominare possumus. Neque enim dubitabam, quin omnium concessu multo iustius artibus nostris, quam illis, de quibus id Xenophon dixit, honos huius nominis tribueretur. Cogitabam etiam tum demum in summa me difficultate versaturum fuisse, si eas aut, quod nefas est, vituperare iussus essem, aut earum dignitatem abiicere et extenuare dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicuius momenti esset, ad eam rem reperire potuissem. Quod si Socrates praesente Phaedro amorem vituperaturus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit, multo me magis verecondari par fuisset, in tanto eruditissimorum hominum coetu declamantem adversus eas artes, quarum omnes dignitate, ac pulchritudine, ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam incundam putetis. Nunc, ut idem ille sapientissimus senex factu facile esse ait Athenienses Athenis laudare, quod, quae quisque amat, ea libentissime laudari audit, sic et ipse mihi videbar facilem et expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quae vobis omnibus in amoribus, ac deliciis esse constaret. Sed interdum occurrebant alia, quae me commoverent, nec quieto esse, ac securo animo sinerent. Nam et in tam ubere ac copiosa materia necesse est, unicuique audientium multa in mentem venire, quae commode dici queant, neque fieri potest, ut quidquid omnes cogitant, dicat unus, et ea est hominum natura, ut, cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt; non hoc quoque dici potuisse, sed hoc potissimum dici debuisse contendat. Ita dum pro suo quisque captu quid ipse dicturus fuerit cogitat, et alia prope omnia fastidiens, dum id unum dicatur avide exspectat; quidquid dixeris, semper videberis omisisse praecipua; et omnia communia ac contrita dixisse, quo ea non dixeris, quae si dixisses, ipsa quoque aliis obsoleta et vulgaria viderentur. Ut melior hac in parte sit eorum condicio, qui aridis, ac sterilibus in argumentis versantur, quorum, sive abundarunt, laudatur ingenium; sive defecerunt, materiae ieiunitas accusatur; cum contra, ubi ampla dicendi seges est, quidquid allatum est, ubertati materiae adscribatur; quidquid omissum est, tibi. Ego vero quomodo aut quidquam allaturum esse me sperem, quod novitate audientium animos teneat, cum iis in rebus mea versatura sit oratio, in quibus praestantissima se omnium aetatum ingenia exercuerunt, aut ita dicturum, ut non innumerabiles

(1) Alloquutus est etiam S. R. E. Cardinales quum subrogandi Pontifícis gratia conclave ingressuri essent; atque in templo Vaticano ann. MDLXXIII laudes dixit Pii V. Pont. Max.
(2) Habita Romae XV Kal. Novembr. ann MDLXXIII.

ali i iisdem de rebus ornatius ac copiosius dixerint? Sed mihi neque valde laborandum est, ut nova conquiram; non enim cantilenae sunt hae, quibus novitas, ut ait Telemachus, conciliat gratiam, sed praecepta, quibus vetustas addit auctoritatem; et si vera, utilia, apta ad id quod mihi propositum est, digna huius loci auctoritate, digna vestris auribus attulero, quibus ea cumque verbis extulero, hoc ipso me satis ornate dixisse arbitrabor. Agite igitur, viri praestantes, et cum aliis nominibus, tum praecipue harum de quibus dicere ingredior artium cultu et tractatione clarissimi: agite studiosi adolescentes, quorum mollis adhuc, et tenera aetas in eiusdem gloriae spem eodem quasi lacte Musarum educatur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qui instinctu quodam afflatuque divino ad eas potissimum artes animum appulistis, quibus, sive quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius; sive oblectationem, nihil suavius, ac iucundius; sive splendorem ac pulchritudinem, nihil illustrius, aut ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Nam si veteres illi, qui errore ducti plures esse Deos opinabantur quem cuique eorum diem consacrarant, eo laudes ipsius commemorare ac concinere solebant: multo nobis iustior caussa est, quicumque iisdem honestissimarum artium studiis, quasi quibusdam sacris initiati sumus, cum hic nobis anniversarius dies, maiorum sapientia et auctoritate, ad intermissam per aliquot menses earum exercitationem deintegro repetendam constitutus sit, cur ab earum commendatione principium ducere debeamus, easque celebrare, quas nobis vicissim aliquid celebritatis allaturas esse confidimus. Meminisse autem debemus idcirco hunc sanctum, atque augustum locum ad hanc rem delectum esse, ut et in laudandis artibus Deum ipsum laudemus, qui, ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit; et publice contestemur, ac profiteamur studia omnia, laboresque nostros et Deo auctore, atque auspice suscipi, et ad ipsius gloriam, tamquam ad finem nobis omnibus praecipue propositum, referri.

Unde igitur, in tanta eorum quae se ad dicendum offerunt copia, potissimum exordiar? An ab eo quod semper apud gravissimos quosque gravissimum fuit, antiquitatis testimonio? Quae cum artes omnes bonae sint: nam si quae malae artes dicuntur, immerito eis artium nomen tribuitur, has tamen nostras proprio, ac peculiari nomine bonas artes vocavit: easdemque artes ingenuas, artes liberales, quod alias aut a servis, aut ab hominibus servili praeditis ingenio exerceri, has unas ab ingenuis, ac liberis excoli consentaneum iudicaret. Quin etiam cum Graeci earum cognitionem, sua lingua, tali quodam vocabulo affecissent, ex quo id modo intelligeretur, statim a puerit*ia* dandam eis operam esse: maiores nostri hoc, ut pleraque melius ac sapientius, qui totum hoc artium genus *humanitatem* vocarunt; credo, indicantes, non multo minus inter homines talibus disciplinis expolitos, et vulgus aliorum quam inter ceteros et pecudes interesse. Homines enim duabus praecipue rebus a ceteris animantibus discernimur, ratione, et rationis interprete oratione, quarum utraque in eis, qui harum artium expertes sunt, rudis quodammodo et inchoata; qui eas bene penitus combiberunt, perfecta illis, atque absoluta est. Aristippus quidem, cum quaesiisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset: si nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non sedebit. Idemque alteri, qui cum sibi nimium magnam mercedem posci pro institutione filii videretur, dixerat: Ista pecunia servum mihi emere possum: — Tu vero, inquit iocans, — etiam hoc amplius: si unum emeris, duos habebis. Significavit videlicet, quorum collustratus doctrinarum luce non esset animus, eos lapidum, non hominum, aut, si forte, inter homines, servorum, non ingenuorum, loco ac numero esse habendos.

Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quattuor omnino esse viae videntur, quarum unam aliquam a principio aetatis capessere, ac postea persequi prope necesse sit, ex quibus ne dubium quidem esse potest, quin ea, quam ipsi ingressi estis, longe multumque aliis omnibus anteponenda videatur. Nam qui ista aetate sunt, partim otio se atque ignaviae dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii praesertim quibus amplum patrimonium est, partim si angustior sit res, quam ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam facilitandam: aliis, qui excelsiore sunt animo, armorum tractationem, et militaris rei gloriam sibi proponunt: alii denique animum ad litteras et ad haec mitiora studia appellunt. Quid igitur istis turpius aut abiectius, qui, torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? Qui, ut Phaeaces illi Homerici,

Non pugnis, durave exercent membra palestra:
Sed mensam et citharae strepitum, dulcesque choreas,
Stragulaque et molles curant post balnea lectos.

Margitae illius simillimi, de quo idem Homerus:

Non fodere ille bonus, durisve ligonibus arva
Vertere, non ulli vivebat idoneus arti.

Sic enim et hi neque domi, neque militiae, neque privatim, neque publice, neque sibi, neque aliis utiles, ita vitae curriculum conficiunt, ut, veluti naves, nullum sui vestigium relinquant. Qui mihi, si diis placet, quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupati sint: nobis maiorum nostrorum virtute est, unde otiosi laute splendideque vivamus. Quid maiores vestros nominatis? Qui si vestri similes fuissent, vos hodie in postremis iaceretis. Si quales vos estis, tales ipsi fuerunt, indigni sunt qui nominentur; sin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At videte, quantopere a sapientissimi poetae Hesiodi iudicio vestra ratio discrepet. Laborem ille, et industriam nemini, languorem et ignaviam omnibus

turpem esse confirmat. Praeclare Cicero : Mihi quidem, — inquit, — qui nihil, agit, esse omnino non videtur. Nam et physici docent, quae cuique rei caussa est, ut sit, eamdem ei esse caussam, ut aliquid agat.

Sed omittamus hos molles et delicatos, neque eos ex somno, cui tam libenter indulgent, excitemus : teneamusque id quod a sapientissimis viris proditum est, nihil esse inertia foedius: otio ali vitia: otium, ut non gravissimus poeta gravissime tamen cecinit Catullus, non privatis modo hominibus, sed et regibus, et prius beatis urbibus exitii caussam fuisse. Cum igitur otiosa et ignava vita ne vita quidem habenda sit, videamus num ad aliquam potius aliarum artium, quam ad litteras, animum abiicere praestet. Equidem cum mente ac cogitatione perlustro eas artes, quibus cum hisce studiis nostris, aut nulla, aut non magna communio est, ex iis quidem quae ita necessariae sunt, ut eis civitas nullo modo carere possit, duas praecipuas iudico, agriculturam, et mercaturam: ex iis autem, quae ad ornamentum civitatis, et ad animos honesta voluptate perfundendos pertinent, duas minime sordidas, minimeque illiberales, picturam, et statuariam. Nam quod boni unaquaeque civitas percipere ex suo et patrio solo potest, id agricultura educit, atque elicit; quo eget, id aliunde mercatura comportat. Ita civitas sine alterius ope ne suis quidem opibus fruitur; alterius beneficio, fruitur etiam alienis. Pictorum autem, et statuariorum opera, et voluptatis atque admirationis habent plurimum, et, quae liberalium artium nota est, ingenii, non corporis, viribus constant: et ad conservandam elatorum virorum memoriam, ceterosque ad eorum imitationem incitandos non immerito magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis ausit harum artium ullam cum litterarum studio comparare? Nisi forte maius est agrum, quam ingenium, colere, aut iacta in terram semina, depactive surculi, quam ingenia praeceptis philosophiae consita, ampliores, aut uberiores fructus ferunt.

Mercatura autem vel si tenuis est, sordida est: vel si ampla, tot exposita periculis, ut merito ille olim Laco negaverit, optabilem sibi videri fortunam, quae rudentibus apta esset; cui cuimodi autem sit, tota fere ad quaestum, et ad lucrum refertur. At litterarum tractatio et dignitatis plenissima est, et quietis : et eas opes consectatur, quae nec furem, nec praedonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiae sunt nec ullis denique casibus eripi possunt. Iam vero quae Apellis aut Protogenis tabulae, cum Homerici pictura; quae Phidiae, aut Praxitelis statuae, cum litterarum monumentis conferri queant? Quos ipsos hodie ignoraremus , nisi solidiorem, ac diuturniorem gloriam essent commendatione scriptorum, quam artis suae operibus, consecuti. Nam quae illi artificio suo elaborarant, et solius corporis effigiem exprimebant, et uno tantum spectabantur in loco, et eam naturam habebant, ut ea si nihil aliud, ipsa certe longinquitas temporis confectura, ae consumptura esset. At eruditorum hominum lucubrationes et clarorum virorum non formam modo corporis, sed ingenia, mores, consilia, res gestas subiiciunt oculis, et iisdem, quibus orbis ipse terrarum, terminis ac regionibus continentur, et tantam vim habent, ut illa ipsa aliorum omnium humanorum confectrix vetustas his unis non modo nihil detrahat, sed maiorem in dies comparet, ac conciliet dignitatem. Trecentas sexaginta Demetrio Phalereo statuas aereas populus Atheniensis anno uno, eoque non toto posuerat, quibus omnibus Demetrius ipse superstes fuit. At quae ipse sibi monumenta ingenii ac doctrinae magnitudine exstruxerat, ea et multis post ipsum saeculis viguerunt; et, cum postea densa quaedam et opaca nox omnem prope disciplinarum lucem extinxisset, et oculis crepta, incredibile desiderium sui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elate et magnifice de se, ut solet, Pindarus, sed tamen vere. Statuarium esse se negat, qui mutas statuas edolet una defixas in basi; sed quos ipse cantibus suis celebrat, eorum famam, terra mari que spargi ac disseminari.

Sed erunt fortasse qui vitam militarem huic nostrae pacatae, atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propositum est, neque fas videtur.Potius omnibus, qui dicendo aliquid possunt, omnem industriam ad eos celebrandos conferendam censeo, et hoc ipsum numero inter praecipua bona, quae ab artibus nostris in vitam hominum manat, quod earum ope praeclara illorum facinora ad immortalem posteritatis memoriam consecrantur. Sed tamen si quis secum in animo reputet, quae vita sit eius hominis, qui modicis opibus instructus, in litterarum studio molliter ac placide consenescat, et quam eius, qui ab adolescentia armis tractandis assuetus, sub dio saepius, quam sub tecto, sub pellibus saepius, quam domi somnum capiat, vix dubium fore arbitror, utra melior, et magis expetenda sit. Alterius aures tubarum et lituorum, et cornuum elangore, alterius Musarum concentu et Apollinis fidibus adsidue personant, illius oculi caede et sanguine, et incendiis; huius admirabilium naturae operum adspectu, et contemplatione pascuntur. Ille aut in ipso aetatis flore hostili gladio transverberatur, aut mancos ac debiles artus, et insignem cicatricibus vultum referens, domum redit: hic ut animo ita et corpore integer, vultum, nisi quantum rugae, canique venerationi addiderunt etiam nutrici agnoscendum, prefert ad ultimam senectutem.

(Ad proximum numerum).

Vid. in pag. 1 maximi momenti

SOCIIS MONITUM

HORAE SUBSECIVAE

PEREGRINUS

(Cecinit P. PRERADOVIC; e Croatico idiomate in Latinum vertit I. BARKOVIC).

« O aeterne Deus, qua vagus ambulo!
Tristis me reperit nox solo in extero,
Trames me fugit, et nescio semitam,
Plantas saxa meas aspera vulnerant,
Desertum ho rificum panditur undique!
Optatum hospitium nullibi comperi!
E clivo Boreas in faciem nivem
Diffundit gelido, dum miser advena
Maiores tenebras in tenebris videt,
Necnon dura humus huic fit modo durior!
Nigrescunt tenebris omnia, Cynthia
Velata facie conditur abdita,
Nubes surripiunt lucida sidera,
O dulcis genitrix, o utinam tuam
Fidam progeniem perspicias amans!
Maternis oculis si modo cerneres
Oppressam hanc miseris casibus undique,
In fletum nimium lumina solveres,
Ac ex tristitia contremeret tua
Nati colla petens, o genitrix, manus!
Quare consilium non tenui tuum,
Quod crebro mihi tam sollicite dabas:
Ne longe, genite, a matre migres tua,
Mollem continuo quae tibi lectulum
Materno in gremio provida praeparat!
Ne cedas, soboles, pars animae meae,
Ne dulces patrios destituas Lares,
Namque externa suis patria casibus
Vexatur miseris, dum tui eam latent,
Externusque suas diligit usque amor! »
Haec secum tacitus verba loquens gradu
Inconstante humilem pervenit ad domum,
Quam mox intuitus languidus advena
In clausis foribus signaculum dedit.
Paulatim reserans, ac animo movens,
Infelix modo quis possit adesse ibi,
Albam canitiem monstrat anus tremens:
« Oro (perque Deum, mater, id obsecro)
Hic nocturna sinar tempora ducere!
Prorsum ignoro, ubi sim, qua vagus ambulem,
Tristis me reperit nox solo in extero,
Trames me fugit, et nescio semitam,
Plantas saxa meas aspera vulnerant
Desertum horrificum panditur undique!
Quod nunc hospitium comperiam alterum!
E clivo Boreas in faciem nivem
Diffundit gelido, dum miser advena
Maiores tenebras in tenebris videt,
Necnon dura humus huic fit modo durior!
Nigrescunt tenebris omnia, Cynthia
Velata facie conditur abdita,
Nubes surripiunt lucida sidera:
Infra tectum alieno excipe sanguine,
O dulcis genitrix, hospitio satum! »
« Te, fili, hospitio susciperem libens,
Sed somno placido corpora conspicis
Donantes genitos tres ibi filios,
Qui totum spatium in visceribus meis,
In totaque domo largiter occupant! »
« Mox duro dabitur clara dies solo,
Iam galli vigiles muta silentia
Noctis discutiunt, dumque fugaverit
Sol noctem gelidam, sollicita focum
Saltem, ut calfaciam membra trementia! »
« Ignis iam cineri suppositus deest,
Et paucissima sunt ligna modo mihi,
Ac his, interior quae domus excipit,
Cras dulces pueri protinus indigent,
Cum mane adveniunt ad calidum focum. »
« Orante, o genitrix extera, convena,
Ut quiddam tribuas, omnibus indiges,
Externus genitus non tibi pertinet! »
His dictis lacrimae continuo duae
Stillarunt in humum ex luminibus suis.
« Molles matris ubi sunt digiti tuae,
Qui nati lacrimas tergere calleant?
Amplexusque pius, qui tibi languido,
Ac lasso pateat, pondera sublevans
Curarum? Sita ubi, dic, tua patria est? »
His dictis veluti terrificus tremor
Oppressit subito triste cor advenae,
Immotusque manens sidera conspicit,
Dum sudor gelidus membra rigat sua,
Et casus prohibet corde revolvere.
Ast illuc oculos volvit, ubi sua
Perdulcis residet patria, quo loco
Omni mane suis sol fugat astra equis,
Illuc allicitur nunc nimia siti!
« Ad te nunc animus denuo tollitur,
Ad te nunc trahitur denuo cor meum,
Fortunae genitrix, patria amabilis,
Ad te nunc properat denuo filius,
Laetusque in lacrimas denuo solvitur!
Amplexare tuum denuo filium,
Et tantum tuus hic usque vocabitur,
Omni tempore te diliget, in tuo
Campo funereum constitue huic decus,
Quod Florae decora muneribus tuae! »

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.
HORATIUS.

AUTUMNALES EXCURSIONES

DE DOMO GEORGII WASHINGTON.

Autumni tempore, dum aliqua requies a consuetis laboribus nobis concedi solet, iuvat ad animum relaxandum viresque reficiendas itineri se committere, licet tam breve id sit, ut peregrinatio nostra potius ac verius excursio tantum vocari possit. Mihi igitur vos, humanissimi lectores, hodie comites praebeatis, qui ad Georgii illius Washingtoni, Americani herois nostri, domum adducam.



Aditus ad domum Georgii Washington

En modestum, in amplo arborum ac pratorum recessu; ex porticu pariter alba solarium regente, apte retro productum, albo colore praefulgens a nobis petitum domicilium! Aditus est per ligneum cancellum valde iis familiarem, quibus consuetudo est cum colonicis nostris ad instar Anglorum rusticationibus; primo obtutu gratia quaedam cum dignitate coniuncta, certumque indicium vitae simplicis, tranquillae, a quovis urbano cultu remotae, studiose nos attrahunt. Auctoritas enim historica non tam directe hîc nos allicit, quam aetatis ac styli repraesentatio satis nobis proximorum, nostrorumque morum atque ingenii satis affinium, ut ad hodiernam quoque nostram vitam plura rerum adiuncta possint revocari. Nostra interest igitur non solum Washingtoni aedes has reapse esse, sed etiam hoc esse monumentum in Civitatibus Foederatis Septentrionalis Americae maximum, unde colligi liceat quaenam fuerit vitae domesticae ratio apud veteres illos nostros camporum consertores; quos inter Washingtonus adnumerandus, quem iure meritoque cognomine *Magni* nos distinguimus.

***

An. MDCLXXIV, ex *lord* Culpepper concessione, terrae ambitus per quinque millia *acrorum* patens in occidentali ripa fluminis Potomac, ad quindecim millia passuum ab hodierna septentrionalis Americae urbe capite, Ioannis Washington ac Nicolai Spencer proprietas fit. Dimidia huius possessionis pars hereditario iure ad Laurentium Washingtonum pervenit, qui an. MDCCXLIII habitationem ibi extruxit, locumque Mount-Vernon ex nomine Anglici navarchi, sub quo stipendia fecerat, appellavit. Laurentii huius frater, ex eodem patre tantum natus, Georgius noster erat, qui fundum an. MDCCLII hereditate pariter acquisivit, auxitque, donec, eo vita functo, an. MDCCIC omnia ad viduatam uxorem transierunt, et post eius mortem quatuor nepotes sibi diviserunt. Ita factum est ut supellectilium, quibus Georgii Washingtoni domus nunc est instructa, pars tantum vera sit; cetera per chronologicam, ut ita dicam, restitutionem sunt inducta.

Quod quidem nunquam satis laudabile opus mulieri nomine Cunnigham ex civitate Carolina australi maxime debemus. Haec enim an. MDCCCLVI sollicitudine permota, ne prae familiae privatis eventibus tanti viri

memoriae distraherentur, quin imo dilaberentur, auctrix fuit ineundae societatis, quae pretio redimeret fundum Washingtonianum. Huiusmodi societas in quaque Americani septentrionalis foederis civitate foemineum coetum

stylio, ecce hinc hortus, buxeis saepibus iisque diligentissime recisis affabreque dispositis insignis, inde pomarium. Mos erat apud Washingtoniam gentem, non aliter atque apud plerasque antiquas nostras familias,

Washingtoniae domus prospectus posterior.

habet, cui singulare munus, sive alterius ex cubiculis, sive alicuius praedii aut adnexorum conservatio, aut etiam instauratio. Sic sensim reperta atque comparata per pecuniam sunt supellectilia plura originalia; alia depositi loco data; quae deessent, rebus tempori consonis substituta.

ut qui clarus hospes adveniret, arborem sereret: ita que etiam nunc nobis ostenduntur quae Ieffersonus, quae Lafayettus posuere; itemque rosetum ab ipso Georgio matri dilectissimae dicatum. Ulterius servorum casae sunt longulae atque demissae; dum ex adverso, prope domum stabula invenimus, antiquissimum fund



Cubiculum dormitorium Georgii Washington.



Stabula in praedio Washingtonio.

*
* *

At praeter cancellum procedamus. Quum amplum pratum aliquanto pererravérimus, priusquam ad albicantem domum perveniamus, nobis columella obiicitur, in qua solare horologium est descriptum. Poshabito peri-

aedificium ex lateribus ex Anglia advectis. Est quoque umbraculum Potomae prope flumen ad aestivos calores evincendos, sub quo effossus fuerat locus, quo glaciatae moles contra anni fervorem stiparentur; sunt denique gentis sepulcra simplicitate simul et gravitate excellentia.

Sic in harum aedium ambitu manifestatio quaevis, aut quaevis vitae commoda praevisa, repleta, ac prope dicam nobili imagine, quamquam sine pompa aut ostentatione, exhibentur. Convenientia consensusque haec sunt, quae in hodierna vitae vivendae agitatione, nedum assequi, ne cogitare quidem valemus!

Washingtonius hortus.

A. A. B.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS [1]

Ad haec, ut si iam universa Pontificis arbitrio gererentur, Bismarkus cum Rege Hispaniae statuit belli de Philippinis insulis facere finem, eamque rem consilio Leonis XIII permittere. Sic princeps mitissimi ingenii, inter horrentes iam armorum strepitus, pacem mortalibus in iustitia suadendo, in omnem late orbem terrarum est dominatus. Pietas eius fuit si Bismarkus, qui apud Imperatorem cognomento *Victorem* versabatur, eique magno esse poterat usui, quod reminisceretur, sua praesertim opera Napoleonem Galliamque universam superasse, rerum multitudine fractus, inferior discessit. Quinimo adeo facile est a potestate perculsus, ut vix filius imperio potitus est, ipse sit exactus. Ex quo intelligi potest nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum.

XI. — Leonis XIII Opera.

De operibus huiusce Pontificis dicturo, ea statim rerum multitudo occurrit, ut optimum factu putem, quo iter expeditius faciam, de die in diem quasi rem meam dividere ac propemodum ex genere disponere. In omnibus se parem temporibus rebusque praebens atque advigilem custodem, nunc religionis veritates ab adversariorum calumniis defendit, nunc suos de praeceptis erga Christianam sapientiam amplissime docet, nunc demum perdifficilem de opificibus quaestionem nactus, quae iamdiu doctos homines torquet, hac de re cum electissimo quoque in campum decertaturus solidissime contendit. Nec timidius iudicium usurpare praesumit; sed tamquam sibi a Deo oblatum, munere suo fungi solemniter praedicat, hancque solam hominibus misere aborantibus viam salutis divinitus ostendit.

Genus humanum malis undique premi cernit; eius est itaque tot miseriarum fesso remedium aliquod adferre. Et tamquam Pater studiose monet, uti iudex damnat, et omnes ad munera sua obeunda sapientissime hortatur.

O fortunatos cives sua si bona norint! si dociles divinitus datum gravemque magistrum auscultarent!

« Ab ipsis Nostri Pontificatus exordiis, - ait, - tristis Nobis se se offert conspectus malorum, quibus hominum genus undique premitur; haec tam late patens subversio supremarum veritatum, quibus, tamquam fundamentis, humanae societatis status continetur; haec ingeniorum protervia legitimae cuiusque potestatis impatiens; haec perpetua dissidiorum causa, unde intestinae concertationes, saeva et cruenta bella existunt; contemptus legum, quae mores regunt iustitiamque tuentur; fluxarum rerum inexplebilis cupiditas et aeternarum oblivio usque ad vesanum illum furorem, quo tot miseri passim violentas sibi manus inferre non timent; inconsulta bonorum publicorum administratio, effusio, interversio; nec non eorum impudentia qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut patriae, ut libertatis et cuiuslibet iuris propugnatores esse videantur; ea denique quae serpit per artus intimos humanae societatis letifera quaedam pestis, quae eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit ».

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

OVID., *de Remed. u. f.*, I.

(1) Cfr. num. sup.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis.

DECRETUM quo statuuntur mutuae relationes disciplinares inter episcopos latinos canadenses et episcopum ruthenum illius regionis, nec non inter clerum et fideles utriusque ritus.

Fidelibus ruthenis in regione Canadensi commorantibus superiore anno datus est Episcopus eiusdem ritus, qui ordinaria potestate eos regat ac gubernet. Ne autem propter diversitatem ritus ac disciplinae dissensiones oriantur inter fideles ruthenos et latinos, sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando praeposita pro negotiis Rituum Orientalium, in plenariis comitiis diei 11 huius mensis, omnibus rite ac mature perpensis, quae sequuntur *ad decennium* statuenda censuit ad relationes mutuas episcopi, presbyterorum ac populi rutheni ritus cum episcopis, presbyteris ac populo latini ritus illius regionis componendas.

CAPUT I.

De Episcopo rutheni ritus.

Art. 1. — Nominatio Episcopi rutheni ritus pro regione Canadensi, Apostolicae Sedi est unice et omnino reservata.

Art. 2. — Episcopus rutheni ritus sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate est. Plenam autem iurisdictionem ordinariam et personalem exercet in omnes fideles rutheni ritus in regione Canadensi commorantes, sub dependentia tantum R. P. D. Delegati Apostolici pro tempore.

Art. 3. — Eidem ius ac potestas competit regendi ac gubernandi gregem suum, ac leges et statuta condendi in iis quae iuri communi non adversantur. Ipsius insuper munus erit vigilare ut tum doctrina et boni mores, tum ritus et disciplina Ecclesiae Orientalis catholicae integre custodiantur.

Art. 4. — Episcopus missiones ruthenas frequenter et regulariter visitare districte tenetur, ut gregem sibi concreditum apprime cognoscat, eaque omnia quae ad spirituale eius bonum attinent, melius provideat. Ad quod facilius assequendum utile erit universum territorium Canadense in regiones dividere, prout melius in Domino iudicaverit, quarum unaquaeque successive visitetur, ita ut unoquoque saltem quinquennio omnes missiones ruthenae episcopali subsint visitationi.

Art. 5. — In visitatione rationes ab unoquoque rectore missionis exposcet administrationis bonorum missionis eiusdem, curabitque ne rector nomine et iure proprio ea retineat, pro quorum acquisitione fideles quovis modo subsidia contulerint. Ut autem securitati bonorum temporalium ecclesiarum summa cum diligentia prospiciatur, eiusdem erit, audito in pertractandis negotiis virorum peritorum consilio, eas tituli possessionis formas adhibere, omnesque praescriptiones servare, quae civilibus legibus singulorum locorum respondeant, quaeque ecclesiasticorum bonorum administrationi, conservationi, ac tutae transmissioni faveant.

Art. 6. — Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum rutheni ritus et episcopos latini ritus Canadenses, deferantur in devolutivo tantum ad Delegatum Apostolicum Canadensis regionis, salva, item in devolutivo, appellatione ad Apostolicam Sedem.

Art. 7. — Ordinaria residentia Episcopi rutheni ritus erit in urbe Winnipeg.

Art. 8. — Ad constituendam annuam stipem pro sustentatione Episcopi, donec redditus stabiles habeantur, concurrere debent singulae ruthenae communitates, eidem solvendo, ad instar cathedratici, annuam praestationem certam et moderatam, ab ipso secundum aequitatem determinandam.

Art. 9. — Episcopus quinto quoque anno plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico, qui eam transmittet ad S. Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis; atque iuxta morem apud episcopos Canadensis regionis inductum, singulis saltem decenniis ad sacra Apostolorum limina accedat, ut obsequium et obedientiam suam Pontifici Summo praestet, eique rationem reddat de pastoralis muneris implemento, deque omnibus quae ad ecclesiae suae statum et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque sibi concreditarum salutem pertinent.

CAPUT II.

De Clero rutheno.

Art. 10. — Cum nondum habeantur sacerdotes rutheni qui vel nati vel saltem educati sint in regione Canadensi, Episcopus rutheni ritus, praevia intelligentia cum Delegato Apostolico, omni studio curet ut Seminarium pro clericis ruthenis in Canada educandis quantocius instituatur. Interim vero clerici rutheni in Seminaria latinorum de consensu Ordinarii admittantur. Sed nonnisi qui se coelibatum perpetuo servaturos coram Episcopo promiserint, in Seminarium sive nunc sive in posterum admittantur; et nonnisi caelibes ad sacros ordines in regione Canadensi exercendos, promoveri poterunt.

Art. 11. — Ad sacrum ministerium exercendum apud fideles rutheni ritus non admittantur sacerdotes nisi sint caelibes vel saltem vidui et absque liberis, integri vita, zelo ac pietate praediti, sufficienter eruditi, lucri non cupidi et a politicis factionibus alieni.

Art. 12. — Antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum ruthenorum qui in Canadensi regione educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Episcopus rutheni ritus idoneum sacerdotem caelibem, vel saltem viduum, postulet ab episcopis ruthenis vel Galitiae vel Hungariae per tramitem S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis. Illi vero sacerdoti sive uxorato, sive viduo, sive caelibi, qui proprio marte, neque ab Episcopo rutheno vocatus, neque a S. Congregatione missus, illuc perrexerit, Episcopus ruthenus nullas concedere potest facultates, sive celebrandi Sacrum, sive administrandi sacramenta, sive munia ecclesiastica quomodocumque obeundi.

Art. 13. — Sacerdoti ex Europa mittendo praedicta S. Congregatio tradet documentum quo ipsi concedatur facultas ad assumendam spiritualem curam fidelium

rutheni ritus sub dependentia Ordinarii rutheni Canadensis.

Art. 14. — Quilibet ruthenus sacerdos ex Europa proveniens et in Canadensi regione commorans pro fidelium rutheni ritus spirituali cura, semper manebit incardinatus dioecesi originis; attamen Episcopus ruthenus originis, iurisdictionem suam in eum nullimode exercebit, quoadusque ipse in Canada commorabitur: omnino et unice pendeat a iurisdictione Episcopi rutheni Canadensis.

In patriam autem supradicti sacerdotes redire aut revocari nequeant absque expressa licentia Ordinarii Canadensis, in scriptis concedenda.

Art. 15. — Laici rutheni, cuiuscumque originis ac domicilii fuerint, qui sacros Ordines in Canada suscipere cupient, sub omnimoda iurisdictione manebunt Episcopi rutheni Canadensis, in cuius manus iuramentum missionis seu stabilitatis ad inserviendum in territorio emittent.

Art. 16. — Omnes rectores missionum ruthenarum Canadensis dominii sunt amovibiles ad nutum Ordinarii rutheni. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. 17. — Datur tamen facultas presbytero amoto appellationem interponendi, in devolutivo, contra decretum remotionis ad tribunal Delegati Apostolici, qui intra tres menses a die appellationis causam definire curabit, salvo semper iure recursus ad Sanctam Sedem, item in devolutivo.

Art. 18. — Sustentationi sacerdotis providebit Episcopus, salarium eidem adsignando assumendum ex omnium ecclesiae proventuum massa seu cumulo.

Art. 19. — Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario rutheno iuxta probatas diversorum locorum consuetudines. Ea tamen privato arbitrio extendere ad sacras functiones a taxa immunes, aut illa ultra taxam determinatam exigere, omnino vetitum est. Caveant insuper sacerdotes rutheni ne iura illa a vere pauperibus exigant; ac omnino vetitum est ea extorquere sub comminatione dilationis baptismi vel benedictionis matrimonii, aut fidelem solvendi incapacem excludere a quacumque sacra functione.

Art. 20. — Sacerdotes latini ritus qui a S. Congregatione de Propaganda Fide facultatem obtinuerunt transeundi ad ritum ruthenum in auxilium Episcopi rutheni pro spirituali adsistentia fidelium ruthenorum, quoadusque in ritu rutheno permanebunt, unice et omnino sub iurisdictione Episcopi rutheni erunt. Sacra Congregatio autem vehementer hortatur episcopos latinos Canadenses clero locupletiores, ut Episcopo rutheno in animarum bonum aliquot sacerdotes ad tempus concedant, si ab eodem requirantur.

Art. 21. — Si qui vero sunt sacerdotes regulares qui transitum ad ritum ruthenum obtinuerunt, ipsi in his quae ad vitam religiosam spectant, a propriis superioribus regularibus; in his vero quae ad curam animarum et ritum ruthenum pertinent, ab Episcopo rutheno dependent.

Art. 22. — Episcopus ruthenus nonnisi in clerum et populum ruthenum iurisdictionem suam exerceat; si tamen aliquo in loco exsistant fideles rutheni ritus, in eoque nondum sit missio ruthena constituta, aut nullus adsit presbyter eiusdem ritus, poterit tunc iurisdictionem suam in fideles ruthenos presbytero latino loci communicare, certiorato Ordinario.

Art. 23. — Poterunt insuper episcopi latini Canadenses, certiorato Episcopo rutheno, iurisdictionem dare presbyteris ruthenis illis in locis in quibus fideles latini ritus adsunt sibi subditi, sed nullus adest presbyter latinus qui curam eorum gerere queat.

Caput III.

De fidelibus ruthenis.

Art. 24. — Fideles rutheni iis in locis in quibus nulla ecclesia nec sacerdos proprii ritus habeatur, ritui latino sese conformare valebunt; eisque eadem facultas conceditur etiam ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint nisi cum gravi incommodo adire, quin tamen ex hoc ritus mutatio inducatur.

Art. 25. — Transitus a ritu rutheno ad latinum laicis ruthenis qui verum et stabile domicilium in regione Canadensi constituerint, concedi nequit nisi a S. Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis, gravibus et iustis intervenientibus causis ab ipsa S. Congregatione cognoscendis, audito Episcopo rutheno Canadensi.

Art. 26. — Si vero contingat ut hi quandoque in patriam revertantur, tunc etsi ex pontificio rescripto ritum latinum susceperint, licebit eis, Apostolica Sede exorata, ad pristinum ruthenum ritum redire.

Art. 27. — Non licet missionariis latinis, sub poenis ab Apostolica Sede decernendis, quempiam ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere.

Art. 28. — Fideles rutheni, etiam in locis in quibus adest presbyter rutheni ritus, apud sacerdotem latinum ab Ordinario loci adprobatum peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis valide et licite obtinere possunt. E converso fideles latini peccata sua confiteri possunt apud sacerdotem ruthenum ab episcopo suo adprobatum, in locis in quibus adest missio aut ecclesia rutheni ritus. Presbyteri vero rutheni absolvere non poterunt fideles latini ritus a censuris et a casibus reservatis in dioecesi latina in qua sacrum ministerium exercent, absque venia Ordinarii latini. Vicissim idem dicatur de presbyteris latinis quoad censuras et reservationes statutas ab Episcopo rutheno.

Art. 29. — Omnibus fidelibus cuiusque ritus datur facultas, ut, pietatis causa, sacramentum eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant; ac insuper, ubi necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti rutheno ministrare Eucharistiam consecratam in azymo; et vicissim sacerdoti latino ministrare in fermentato; at suum quisque ritum in ministrando servabit.

Art. 30. — Quisque fidelium praecepto Communionis paschalis ita satisfaciet, si eam suo ritu et quidem a parocho suo accipiat.

Art. 31. — Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio e manibus proprii parochi accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere; qui tamen ritu suo ministrabit.

Art. 32. — Funerum celebratio ac emolumentorum perceptio in familiis mixti ritus, ad parochum illius ritus pertineant ad quem defunctus pertinebat.

Art. 33. — Ad vitanda gravia incommoda quae inde ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco exsistat, rutheni interesse tenentur.

CAPUT IV.

De matrimoniis inter fideles mixti ritus.

Art. 34. — Matrimonia inter catholicos ruthenos et latinos non prohibentur; sed ad vitanda incommoda quae ex rituum diversitate in familiis evenire solent, uxor, durante matrimonio, ritum viri sequi potest, quin ex hoc sui nativi ritus mutatio inducatur.

Art. 35. — Soluto matrimonio, mulier proprium ritum originis resumere valet.

Art. 36. — Matrimonia tum inter fideles mixti ritus, tum inter fideles ruthenos, servata forma decreti *Ne temere* contrahi debent.

Art. 37. — Attamen matrimonia mixti ritus in ritu viri et ab eiusdem parocho erunt benedicenda.

Art. 38. — Dispensationes matrimoniales in matrimoniis mixti ritus, si quae sint dandae vel petendae, dentur et petantur ab episcopo sponsae.

Art. 39. — Nati in regione Canadensi ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum.

Art. 40. — Baptismus in alieno ritu ob gravem necessitatem susceptus, cum nimirum infans morti proximus esset vel natus esset in loco in quo tempore nativitatis parochus proprius patris non aderat, ritus mutationes non inducit.

Art. 41. — Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritus est eorum pater.

(D. XVIII mens. Augusti MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. per Septembrem mensem coram se admisit peregrinorum agmina ex archidioecesi Mediolanensi, ex dioecesibus Parmensi, Placentina, Verulana; ex Moravia; ex Catholico foedere iuvenum ex orbe universo gymnicis ludis vacantibus; ex dioecesibus Venetiarum et Concordiae, Fesulana, Isclana, Messanensi aliisque Siculae regionis, ex dioecesibus Taurinensi, Mutinensi, Carpensi, Nonantulana, Patavina, Veronensi, Rodigensi, Calvensi ac Theana, Stabiensi; ex Piceno; ex Italica Societate Sacerdotum SSmae. Eucharistiae adoratorum, ad duorum millium numerum; ex dioecesibus Regina, Burgi S. Donnini, Aretina, Montis Politiani, Cerretana, Viterbiensi; ex Alsatia; ex Civitate S. Marini. Praeterea tria millia iuvenum et quingentos ex Societate Italicae Iuventutis Catholicae; peregrinorum manus ex dioecesibus Cremensi, Cremonensi, Tusculana; ex Gallicis opificibus; ex regionalibus moderatoribus Tertii Ordinis S. Francisci; ex foedere catholicorum opificum Ligurum; ex dioecesibus Pompelonensi, Praenestina, Senarum, Berolinensi; ex Brasilia; ex Gallia, quos inter mille ac ducentos iuvenes ex Catholico Gallorum Iuvenum foedere.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, nempe: Cathedrali ecclesiae Monasteriensi praefecit sac. Ioannem Poggenburg, eiusdem cath. eccl. Monasterien. canonicum et vacantis dioecesis vicarium capitularem; cath. eccl. Laudensi rmum. dnum. Petrum Zanolini, hactenus episcopum Fabrianen. et Mathelicen; cath. eccl. de Chiapas sac. Maximinum Ruiz, archidioecesis Mexicanae, ibidem canonicum poenitentiarium basilicae Guadalupensis; cath. eccl. Limburgensi sac. Augustinum Kilian, eiusdem eccl. cath. canonicum; metropolitanae eccl. Tarraconensi revmum. dnum. Antonium Lopez et Pelaez, hactenus episc. Iaccensem; metrop. eccl. Burgensí revmum. d. Iosephum Cadena et Eleta, hactenus episc. Victoriensem; cath. eccl. Cordubensi revmum. dnum. Raymundum Guillamet et Coma, hactenus episcopum Legionensem; cath. eccl. Legionen. sac. Iosephum Alvarez Miranda, canonicum poenitentiarium cath. eccl. Ovetensis; cath. eccl. Segobriensi revmum. d. Aloisium Amigò et Ferrer, hactenus episc. tit Tagastensem et administratorem apostolicum dioecesis Celsonensis; cath. eccl. Salmantinae revmum. dnum. Iulianum de Diego et Garcia Alcolea, hactenus episc. Asturicensem; cath. eccl. Asturicen. sac. Antonium Senso Làzaro, canonicum cath. eccl. Matritensis; cath. eccl., Placentinae in Hispania sac. Emmanuelem Torres, et Torres can. decanum metropolitanae eccl. Hispalensis; cath. eccl. Pacensi revmum. dmnum. Adulphum Pèrez Mugnos, hactenus episc. Canariensem; cath. eccl. Canarien. sac. Angelum Marquina Corrales, canonicum magistralem metropolitanae eccl. Burgensis; cath. eccl. Oriolensi sac. Raymundum Plaza et Blanco, dioecesis Conchensis, auditorem tribunalis sacrae rotae Matritensis; cath. eccl. Victoriensi revmum dnum. Prudentium Melo et Alcalde, hactenus episcopum titularem Olympiensem; cath. eccl. Nuceriae Paganorum sac. Iosephum Romeo, archidioecesis Rheginensis, ibique parochum loci vulgo *Catona;* cath. eccl. Laquedoniensi sac. Cosmam Agostino, dioecesis Hieracensis, ibique parochum loci vulgo *Mammola;* cath. eccl. Cenetensi sac. Rodulphum Caròli, urbis Romae, cubicularium intimum Sanctitatis Suae, rectorem collegii SS. Caroli et Ambrosii de Urbe, et officialem S. Congregationis de Religiosis; cath. eccl. S. Annae in America centrali sac. Rochum Orellana, archidioecesis S. Salvatoris, ibique cancellarium curiae archiepiscopalis; cathedr. eccl. S. Michaëlis in America centrali sac. Ioannem Antonium Duegnas, canonicum metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris; tit. episc. eccl. Mopsuestianae sac. Iacobum Vilanova, archidioecesis S. Salvatoris, ibique vicarium generalem et canonicum ecclesiae metropolitanae, quem constituit auxiliarem r. p. d. Antonii Adulphi Perez y Aquilar, archiepiscopi S. Salvatoris; tit. archiepiscopali eccl. Apamensi revmum. d. Renatum Franciscum Renou, hactenus archiepiscopum Turonensem; metropolitanae eccl. Turonen. revmum. dnum. Albertum Nègre, hactenus episc. Tutelensem; cath. eccl. Tutelen. revmum. dnum. Iosephum Mètreau, hactenus episc. tit. Thermensem; cath. eccl. Superiorensi revmum. dnum. Iosephum M. Houdelka, hactenus episc. tit. Germanicopolitanum; cath. eccl. Ioliettensi sac. Gulielmum Forbes, parochum eccl. S. Ioannis Baptistae in urbe Mariauopolitana; cath. eccl. Montis Laurei in ditione Canadensi sac. Franciscum Xav. Brunet, cancellarium et secretarium archiepiscopi Ottaviensis; cath. eccl. Notensi sac. Ioseph Vizzini, dioecesis Calatanisiadensis,

magistrum S. Theologiae in scholis Pontificii Seminarii Romani et officialem S. Congregationis Consistorialis.

Vita functi viri clariores.

Die VII, ad Tusculanum oppidum a M. Portio Catone nuncupatum, quo recuperandae bonae valetudinis gratia se contulerat, placide requiescit in Domino Purpuratus Pater **Iosephus Calasantius Vives y Tuto,** ex Ordine Capulatorum S. Francisci, S. Congregationis Religiosorum Praefectus, vir divina scientia ac singulari pietate insignis. Natus erat in oppido S. Andreae de Llevaneras, Barcinonensis dioecesis, d. XV mens. Februarii MDCCCLIV; pluribusque religiosis muneribus tum in patria, tum in Americis, atque etiam in Urbe egregie functus, inter Cardinales Diaconos a Leone PP. XIII cooptatus est d. XIX mens. Ianuarii MDCCCXCIX.

ANNALES

Balkanicae novae nubes.

Balkanicum caelum nubibus rursus grave apparet; rerum est inter se collidentium novus complexus; metaxa facta est iterum adeo implicata, ut non facile dignosci queat quisnam et quando eius fila sit tandem expediturus. Dum enim sub finem superioris mensis rationes tantum inter Bulgaros atque Turcas componendae manebant, en, contra, hodie hae ad pacificam conventionem pervenisse nunciantur, quum inter ceteros Balkanicae regionis populos difficultates, minae, novarum conflictionum pericula ubique exsurgunt.

Ad fines qui Serbos ab Albanis dividunt aliquot iam dies vario certamine pugnatur: si non omnino sopita proferendi imperii cupido Serbos excitaverit ad territoria oppugnanda novo Albanorum regno attributa, nonne haec Londinensis coetus consultationum sit violatio? Nonne Europaearum gentium concordi voluntati maxima inde iniuria atque provocatio facta fuerit? Quamquam, ut aperte fateamur, huiusmodi rerum status, itemque internae Albaniae perturbationis, qua Essad ille militum praefectus aperte in gubernium rebellionem concit, in Europae ipsius caput quodammodo recidit; quae post decretam novae civitatis creationem, eius fines non satis manifeste definivit, neque sollicite, quemadmodum oportebat, interno eius ordini providit.

Neque haec satis. Dum enim Serbi et Albani comminus sic signa conferunt, negotia inter Graecos atque Turcas intermittuntur, et, quod peius est, huic rerum prolationi militaria opera accedunt hinc inde, motusque copiarum, quasi novorum, eorumque imminentium, concursuum praeludium. Neque ad placandos animos certe iuvant itinera a Constantino, Graecorum rege, Berolinum ac deinde Lutetiam Parisiorum, denique Londinum his diebus suscepta... Quum praeterea, ut notum est, Graecia Serbiae contra Albanenses aperte faveat, numne non probabile erit Bulgaros atque Turcas post pacem pactam inter se conventuros, ut, sua uterque ex parte, duobus ab aemulis aliquam captorum partem devellant?

Re quidem vera, si Serbia atque Graecia, quibuscum postremo Rumenia se consociavit, Bulgariae angustiis atque difficultatibus abusae sunt, ut ab ea auferrent quae sibi bello pepererat; si Turcae pariter eadem ratione sibi quaestum fecere ad Adrianopolim urbem recuperandam ab ipsorum dictione et armorum vi et Europae voluntate avulsam; quid Turcae et Bulgari vicissim Serborum et Graecorum sollicitudines ac molestias in rem suam non convertant, ad ea quae tam aegre amissa sunt aliquo modo reficienda? Inita ne foedera?... Atqui scimus quae reapse valeant! Europae sanctio?... Quae sit eius valor apprime in dies videmus! Quid igitur non audendum? Quid se a non difficili lucro abstinendum?

Ex his omnibus levi opera coniici potest, res ad tertium Balkanicum bellum necessario atque expedite heu! procedere; vel saltem ad novarum conflictionum seriem, quae Europam omnem incertam, anxiam, curaque ac sollicitudine affectam diu adhuc retinebunt.

***

Sinenses res.

Sinensium gubernium internam rebellium seditionem, Nanchino urbe, eorum arce, expugnata, domuit; at in discrimine cum Iaponia nunc versatur ob quosdam Iaponenses cives in illius urbis expugnatione occisos. Videtur Tokio in urbe factio esse, quae libenter ex hoc eventu occasionem nactura sit ad bellum cum finitimo populo gerendum, cuius exitus is fiat, ut Manchouria regio Iaponiensium dictioni addicatur. Iaponiensium gubernium urgentibus illis viriliter obsistit; at quum, ob civiles rationes, politicorum negotiorum apud exterarum rerum administrum moderator nefarie sit Abe in urbe interemptus, quid ex animorum agitatione in dies crescente oriturum sit omnes prorsus ignorant.

***

Italorum proelia in Libya.

Italorum in Libya progressui obstant incolarum Turcis adhuc faventium non infrequentes concursationes, quos Itali facile vincunt, non sine tamen aliquando sanguinis effusione. Sic die decimasexta elapsi mensis Septembris gloriose in certamine occubuit Torellius, copiarum strenuus dux, dum cum militibus suis Merg regionem in dorso montis porrectam et ab Arabis acriter defensam, oppugnat. Sit debitus animoso viro patriae honos!

PER ORBEM

Die I mens. Septembris MCMXIII Dublini, ob opificum ex condicto universam a laboribus desertionem a quodam factioso homine Ioanne Larkin promotam, gravissimi tumultus fiunt, quos militari manu coercere oportet. A certamine quadringenti prope cives vulneribus affecti recedunt.

Tabulae clarissimi anglici pictoris Yoner, in castro Klillarney a Kenmere Comite collectae, fortuito incendio absumuntur.

— d. III Brisbane ex urbe nunciatur Iaannes Henricus Warne doctor, dum incognitam regionem Papu investigat ad «radium» inveniendum, ab incolis nefarie interimitur; qui praeterea ex eius corpore cibum heu! sibi comparant.

Ad Aisgill, ferriviarum anglicam stationem, curruum series citato cursu Edimburgo procedens in alteram, Glascovio provenientem, occurrit. Horrendus collisus atrocem mortem viatoribus decem parit, pluresque alios foede sauciat.

Similia ad Wallingford oppidum Civitatum Foederatarum Americae septentrionalis lugentur.

Hagae in urbe duodevigesimus de pace conventus inter legatos apud publicos per orbem coetus legibus ferendis inchoatur.

— d. IV in castro ad urbem Sigmaringen, Emmanuel, quondam Lusitanorum rex, Augustam Victoriam de Hohenzollern, Principem foeminam, sollemniter uxorem ducit.

— d. X aëronavis dirigibilis quaedam Germanicae classis ob improvisam tempestatem in mare ad Heligoland alliditur. Ex navigii administris ac remigibus septem tantum sospites evadunt.

— d. XII nunciantur Falcon et Hope insulae archipelagi de Tonga, in Oceano Pacifico australi, terrae motu fortasse, cum suis incolis fuisse submersae.

— d. XIII incendium, qua de causa exortum ignoratur, mercium magna receptacula ad Alae ferriviarum Austriacam stationem omnino delet.

— d. XVIII inter oppida Cannes et Grasse currus tres electrica virtute acti ac militibus onusti ex ferreis axibus, quibus strata est via, exeunt atque per praecipitia deferuntur. Plures inde viatores mortui aut gravibus vulneribus affecti educuntur.

— d. XIX Sophia, Gulielmi ex Saxoniae-Weimar Principibus filia, vigesimum et sextum aetatis annum agens, Heidelberg in castro mortem infeliciter obit.

— d. XX novae opificum ex condicto a laboribus magnae desertiones ex Anglia significantur.

— d. XXI in urbe Tarvisina, quinque supra quinquaginta annos natus, vita fungitur Thomas Salsa, strenuus Italorum militum dux. Post Libyam occupatam, Tripolitano praesidio praefectus est; quo munere abhinc paucos menses valetudinis causa sponte se abdicavit.

Eadem die in oppido Cossano Belbo ad Albam, dum orationem publice habet, improviso fato corripitur Theobaldus Calissano, publicorum cursuum in Italia administer. Natus erat anno MDCCCLVIII.

— d. XXII Calatanisii moritur Michaël Tripisciano, sculptor magna laude celebratus.

— d. XXV Garros aviator, ex oppido S. Raphaëlis in Gallia profectus, Tunetem urbem feliciter appellit.

— d. XXVII nuncium affertur, Henricum Radford atque Georgium Street, exploratores ad arcton, ab Esquimensibus fuisse necatos.

— d. XXVIII Lutetiae Parisiorum de vita decedit Dujardin Beaumetz, per multos annos in Gallia a secretis status pro bonis artibus, quas impensa opera defendit, fovit ipseque coluit. Evasit enim pictor sive de militaribus, sive de civilibus rebus valde probabilis.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

TADEUSZ MARYAN LEWICKI. *Poczatki Nauki Jezyka Lacinskiego dla pierwszj klasy gimnazyalnej* (Preparacye-Slowniczek do lekcyi lacinskich - Slowniczek dolekcyi polskich-Wykaz imion wlasnych - Zestawienia gramatyczne). — Edid. Nakladem K. S. Jakubowskiego, Welwowie, 1913.

DR. WOJCIECH KRAJEWSKI. *Czytania Lacinskie dla III., IV. i V. klasy gimnazyalnej.* — Indidem, 1913.

AENIGMATA

I.

Non epulas cupio; siccis date pocula labris:
Munere potandi fungor in orbe bibax.
Nec cyathis alvum repleo (non profero gerras)
Haurirem quamvis gutture vitis opes.
Qua frontis niteam specie qui scire peroptat,
Hoc fateor verum: os est mihi guttur hians.
Dum me caupo tenet, mulcet tunc blanda voluptas,
Et placet ad colles pergere, et arva placent.
Me, nullo stipante latus, non vascula sicco,
Mendicabo alvum, quum mihi potus erit.
Quum cyathos haurire datur, tunc sorbeo Bacchum,
Vinco centenos, ore bibente, viros.
Si larga Bromius dextra mea vota secundet,
Nectares rori gaudia iuncta bibam;
Tunc pariam vobis foecundo e palmite potus,
Et praesens nostro gutture munus erit.

AUGUSTINUS EPIRO.

II.

Virus in ore meo latitat. Mihi praefice sigma;
Per venas vegetas vividus humor abit.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet, VINCENTII LANFRANCHI opus, cui titulus:

DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA ACROASIS.

Aenigmata an. XVI, n. VII proposita his respondent:

I) **Fumus**; II) **Collis-Callis.**

Ea rite soluta miserunt:

Ad. Kozlow *Patriciovia.* — Lud. Bernard, *Gratianopoli.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Petrus Tergestinus. — Iac. Costa, *Dumio* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Lad. Thyssen, *Dresda.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.*, — Carm. Zlinczky, *Cracovia.* — St. Lowinski, *Zerkòw.* — E.Burg, *Monachio.* — Alois. Geyer, *Ratisbona* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Claudius Lucensis. — Diomedes Falva, *Constantia.* — Aloisius Venti, *Bononia.* — Iac. Gomez, *Caesaraugusta.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — N. Bianchi, *Augusta Taurinorum.* — Alex. Pintauro, *Neapoli,* — Alf. Martinez, *Badaiocio.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — F. Arnori, *Mediolano.* — F. Correa, *Emerita.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Rich. Muller, *Berolino.* — A. Tonelli *Genua.* — I. Ciolli, *Papia.* — Leonardus Feher; Eng. Dolmar, *Chicagine.* — I. Ortiz, *Morelia.* — F. X. M., *Drepano.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Fr. Xav. Ghion. *Ostunio.* — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — Aug. Bounin, *Aureliano* — P. Prado, *Venetiis.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.*

Sortitus est praemium:

AUGUSTINUS BOUNIN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

MARCI MINUCII FELICIS
OCTAVIUS
adnotationibus illustratus.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

13)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

OMNES.

Procul hinc, profani, procul hinc recedite!

Fores rumpuntur et magno clamore ad ostium milites adstant. Unus procedit et distincta voce proclamat:

« Adsunt Augusti Constantini milites! »

SACERDOTES. (*Timore correpti huc illuc cursitantes exclamant*)

Adsunt! Adsunt! Qui dolor! Divûm quod dedecus!

(*Exeunt ex parte contraria*).

SCENA ULTIMA.

Ingreditur TRIBUNUS *ingenti militum numero stipatus. Custodes templi arma, honoris gratia, demittunt.*

TRIBUNUS.

Ubi sunt captivi?

(Milites eos in libertatem vindicant.)

Portas eis pandite!

TRIBUNUS.

(*Ad suos conversus adsignans milites templi*).

Ii sint illico nobis in custodia!
Hic pone signifer Labarum purpureum!
Ad ipsum sistant liberae centuriae.
Cras autem praelium certa cum victoria!

(*Omnes milites haec eadem repetunt, cum pueri festantes concinunt*)

Contritus laqueus: liberati sumus!

Explicit Actus II.

ACTUS III.

SCENA I.

(*Actio est in foro. Huc illuc* MILITES *inter se loquentes discurrunt*).

I. MILES.

Redisti a pugna?

II. MILES.

Redivi nuperius.

I. MILES

Quid autem narras facto de certamine?

II. MILES.

Nec durius fuit, nec aliud longius,
Quam quod hesterne fortiter pugnavimus.
Erant sed agminum laetantes ordines,
Sub ipso strenui ductu Maxentii...

III. MILES.

Cur at redisti?

II. MILES.

Missus quaesitum denuo,
Novos qui subrogent occisos milites.

III. MILES.

Fuerunt multi igitur?

II. MILES.

Multis cum millibus!

I. MILES.

Et ipsae denuo festinantes copiae
Proficiscuntur magna cum fiducia,
Mox redeundi laureis circumdatae
Sertis, ut olim legiones veteres.
Deorum fausta vulgabantur omina.....

II. MILES.

Foret si occisus?

III. MILES.

Omen avertant dii!

IV. MILES.

Nostri quid autem, dic, nostri quid interest?
Sumus Germani... Crescant dummodo stipes...

II. MILES.

Labente vita vidi bellum saepius,
Et ipsos duces salutavi strenuos,
Magis sed nunquam fide certae victoriae!
Audax Maxentius dixerat securius
Se sc victurum talibus cum copiis...

I. MILES.

Et augures ipsi laeta post auspicia...

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Novembri MCMXIII. Num. XI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Modernistarum error circa Eucharistiae institutionem.
De Leone XIII P. M. Commentarius.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur.
Horae subsecivae. Post preceliam. — Ad rivum.
Colloquia latina. Euntes ad ludum litterarum.
Ex Helvetia. Divinae consecrationis sacri sacelli Beatae Virginis Thaumaturgae Einsiedlensis solemnissima commemoratio.
Acta Pontificia. 88mi. D. N. Pii PP. X epistola ad R. P. D. Antonium Mendes Bello, patriarcham lisbonensem, qua recentiora reipublicae lusitanae in Ecclesiam acta conqueritur.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram 88mo. admissiones — Pontificiae electiones. — Vita functi viri elariores.
Annales. Balkanicum discrimen. — Varia.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Appendix: Ad Romam.

MODERNISTARUM ERROR
CIRCA EUCHARISTIAE INSTITUTIONEM

« Protestantes » persaepe Catholicis obiicere audent, S. Ioannem in suo Evangelio, de dogmate Eucharistiae ab universa romana Ecclesia tam firmiter credito, nunquam sermonem habuisse. Quibus catholici respondent, S. Ioannem verba Iesu Christi nobis referre, quibus ipsemet Christus seipsum in cibum, sanguinemque suum in potum nobis promittit; ait enim : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis ». (1) Addunt rursus, S. Ioannem, Eucharistiae institutionem, dum Christus pedes discipulorum lavat, adumbrasse. (2) Sed etiamsi S. Ioannes, de ritus eucharistici institutione taceat, quod assertum aperte negamus, de eodem ritu alii tres Evangelistae, et praecipue Apostolus Paulus, loquuntur.

S. Matthaeus (3) refert Christum dixisse : « Accipite, et comedite : hoc est corpus meum . . . Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».

S. Marcus (4) refert Christum dixisse : « Sumite, hoc est corpus meum . . . Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur ».

S. Lucas (5) refert Christum dixisse : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem... Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur ».

Apostolus Paulus (6) refert Christum dixisse : « Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem... Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem ».

(1) VI, v. 54.
(2) XIII.
(3) XXVI, 26, 28.
(4) XIV, 22, 24.
(5) XXII, 19-20.
(6) I. Cor. XI, 24-25.

***

Sed hic Modernistarum errores oriuntur. Considerantí Evangelistarum et ipsius Apostoli Pauli verba, quaedam differentiae, non iam oppositiones, apparent:

a) S. Lucas et S. Paulus de praecepto coenam celebrandi loquuntur, de quo praecepto Matthaeus et Marcus tacent. — *b)* S. Matthaeus habet verba « in remissionem peccatorum », quae apud ceteros Evangelistas non inveniuntur. — *c)* Formula a S. Marco adhibita in Iesu Christi verbis referendis, brevior est cunctis aliis, a ceteris Evangelistis adhibitis. Propter quae omnia Modernistae ita ratiocinantur: Impossibile mihi est, — scribit Loisy (1) — circa ultimae Coenae narrationes criticam instituere. Apostoli Pauli narratio (I. *Cor.* XI, 23-25), quae ceteris completior est, si examini subiiciatur, difficile est in ea secernere quid ex primitiva venerit traditione, quaenam sit ultimae coenae descriptio iuxta mentem eorum qui coenae adstiterunt, quinam commentarius theologicus et moralis Apostoli. Propter quae omnia concludendum superest, non omnia quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae historice accipienda esse. Adde rursus, ultimae coenae tempore, ideam sacramenti cuiusdam perpetui menti apostolorum non potuisse fulgere, quae duo historicum cogunt tum ad Eucharistiae institutionem, tum ad eiusdem mortis Christi redemptivum characterem, denegandum.

Alius narrationem Apostoli Pauli interpretans, haec quae sequuntur scribit : « Verba : *Accipite et manducate* sunt glossa quaedam ab extranea manu, virtute parallelismi S. Matthaei introducta; in cuius signum

(1) *Autour d'un petit livre*, VII.

est, quod in praecipuis manuscriptis uncialibus graecis, neque in melioribus manuscriptis *Hieronyminae Vulgatae,* neque apud S. Cyprianum, neque apud S. Ioan. Chrysostomum inveniuntur. Pariter, verba « *Quod pro vobis tradetur* » in *Vulgata,* a praehieronyminis versionibus desumpta fuere, eo fine ut sensus verborum Christi, melius, quam a S. Paulo Apostolo factum est, determinaretur.

Quidam Anglus denique, P. Sardner, (1) asserit, narrationes coenae prouti in *Synopticis* leguntur e narratione Apostoli Pauli in Epistola I ad Corinthios contenta originem duxisse. Narratio haec, revelatio quaedam personalis Apostoli fuit, ita ut ipsemet Apostolus Eucharistiae institutor sit habendus, atque eucharisticus ritus, in aliqua Ecclesia ab eodem Apostolo fundata, ortus sit.

***

Circa Modernistarum errorem, brevem instituimus criticam.

a) Affirmatio de additionibus posterioribus, formulae S. Marci factis nonnisi gratuita hypothesis apparet, atque in re tanti momenti, non placet hypothesibus ludere. Modernistae, quoties in Evangeliis diversitas quaedam, non oppositio, invenitur, nimia facilitate ad hypothesim de additionibus recurrunt, ideoque sicut ipsi gratis asserunt, ita nos quoque potiori iure asserta negamus.

b) Si S. Marci formula eamdem non prae se ferret significationem ac formulae aliorum Evangelistarum, mens coram *aenigmate* constitueretur, neque facile a mente concipitur, quomodo Christus Iesus, in momento morti proximo, discipulis suis *verbum* dixerit, quin eiusdem verbi sensum aperiret.

c) S. Marcus « Evangelium Petri » scripsit momento quo ritus eucharisticus ubique celebrabatur. Si igitur formulam breviorem adhibuisset alium sensum prae se ferentem ac formulae aliorum Evangelistarum, oporteret dicere S. Marcum hoc fecisse ad protestationem faciendam contra universalem usum universalemque fidem sui temporis ; quod asseri rationabiliter nequit. Formula S. Marci, ita sentiendum est, per ceteras formulas parallelas Evangelistarum et ipsius Apostoli Pauli explicatur claritatemque recipit; ritusque eucharisticus in esse sacramenti, in elementis a Christo in coena assumptis, quaeque *panis et vinum* sunt, invenitur. Quo enim fine Christus panem ad manducandum, vinum ad bibendum assumpsit, praceptumque suis dedit ut manducarent et biberent, nisi ut *ritus iterum celebraretur?* In doctrina Apostoli Pauli tria eademque efficacia affirmantur, idest : I. Existentia sacramentorum Baptismi et Eucharistiae. II. Eucharistiae institutio a Christo effecta. III. Eucharistiae institutio, per traditionem, quae usque ad ipsum pervenit Christum, corroboratur. Cur Apostolus, dum coenae celebrationem commemorat, asserit, quod quemadmodum iudaeus, victimae carnes manducans, particeps oblati sacrificii fit, ita et ipse fidelis in coena panem manducans, vinumque bibens, de unico atque completo sacrificio quod in cruce oblatum fuit ? Certe ad sacramenti eucharistici doctrinam catholicam indicandam. « Ista manducatio et potio — ait ad rem Cornely (1) — nostram cum Christi corpore et sanguine unionem significare aut dumtaxat producere dicitur; sed ipsa est unio : atqui quomodo id esse potest nisi corpus et sanguis Christi vere et realiter et substantialiter adsint ? »

Circa narrationes Pauli Apostoli ac Evangelistarum, verbis hisce D.ris Pourrat (2) concludere placet : « S. Paulus in Epistola prima ad Corinthios, viginti tribus vel octo annis post Christi mortem scripta, Eucharistiae institutionem nobis describit; narratioque huiusmodi a Domino est, et ipsemet Apostolus eam Corinthiis transmisit, qualem a Domino recepit. Quemadmodum Paulus, institutionis Eucharistiae narrationem ad mentem Corinthiorum revocabat, ita ceteri Apostoli, uti ex. gr. Matthaeus et Marcus fidelibus ab ipsis evangelizatis eamdem annuntiabant narrationem. Apostolorum tempore igitur eucharistiae institutio, Christi institutio retinebatur, atque ad se cum praecepto Christi conformandos, in memoriam eius fideles, Eucharistiam celebrant. Si traditio ipsi Christo Eucharistiae institutionem tribuens, falsa est, cuilibet certitudini renuntiandum foret ». Merito igitur Pius Papa X damnavit propositionem 45am *Syllabi* quae sonat : » Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. 11, 23, 35) historice sunt sumenda ».

Reginaldus Fei O. P.

(1) *The origin of the Lords' Supper.* London, 1893.

(1) *Comm. in I. Cor.*

(2) *La Théologie sacramentaire*, c. IV § II. Cf. Lemonnier, *Epîtres de St. Paul.* (1. *Cor.* 11, 17, 34), qui scribit : « Les trois versions concordant pour tout l'essentiel et leurs divergences dans les détails prouvent surtout que ni les unes, ni les autres ne sont complètes..... Si l'on veut bien laisser de côté tout préjugé philosophique et toute préoccupation dogmatique, l'on se persuadera que les formules prononcées par le Christ, dans l'institution de l'Eucharistie, impliquent l'identité rigoureuse du pain et du corps du Christ de la coupe de vin et du sang du Christ et par suite la transformation du pain et du vin. C'est ainsi, évidemment, que le comprend S. Paul qui était en situation d'être renseigné sur la pensée du Christ et sur le sens qu'il attachait lui-même à ses paroles ».

(3) Cfr. num. sup.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS (3)

Tot hisce tantisque malis convenientia succurrebant subsidia, quae in christiana sapientia unice inveniuntur, cum inanis falsaque sit humanitas, quae Ecclesiae repugnat. Curam suam ac desiderium prae ceteris ostendit erga Italiam, cui peropportune memorat quot beneficia per Pontifices, saeculis labentibus, persenserit ; ut positis tandem animis aliquot infensis ad Pontificis Maximi gratiam atque amicitiam se se tandem recipiat. « Romanis, - ait, - certe Pontificibus Italia acceptam

referre debet solidam gloriam et amplitudinem, qua reliquas inter gentes eminuit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu texit, eidemque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur ».

« Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debet, quod gloriam suam apud omnes gentes propugnavit, quod iteratis Barbarorum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit, et pluribus iisdemque immortalibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit ».

Dicitur Victorius Alferius, qui nobilis fuit Italicae Melpomenes vindex, et veterum tragicorum gloriam est consecutus, quam nemo e recentioribus sibi adhuc comparavit, cum se ad poesim convertit, luminibus praesertim Aligherii adlectus, meliora huiusce carmina sibi describere statuisse, quo melius ad memoriam ipsa revocaret, sicque etiam atque etiam ad imitandum sublime eius exemplum adsurgeret. Quid accidit? Quum multa nimis praeclara carmina perlegeret quae pulera ipsi videbantur, sensim sine sensu brevi se integrum poema descripsisse sensit. Haud aliter mihi fieret, si omnes quosque puriores elegantioresque locos ex Leonis operibus depromtos describere in exemplum vellem. Quod eloquentiae flumen in Italos redundaret atque in omnes gentes, velut ex elegantissimis latinae linguae ornatibus, quibus aurea romanarum litterarum aetas Augusti nomine donatur !

Est enim in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus. Quod Tullius de *Bruto* dicere non dubitavit, de Leone nostro dicendum esse puto: non linguam modo acuisse exercitatione dicendi, sed ipsam eloquentiam locupletavisse graviorum artium instrumento et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisse. Et ut semper effecit, ut ingenii sublimitate vitaeque candore quemádmodum apud quoscumque esset, princeps poneretur habereturque carissimus, sic ad summam supremi Antistitis dignitatem vix pervenit, quum renovatae vitae rei christianae dederit admirabile incrementum.

Sed in primis hanc laudem apud omnes est consecutus, ut summam germanamque latine dicendi elegantiam cum sententiarum altitudine coniunxerit; sintque eius scripta tum litterarum nostrarum, tum totius christianae sapientiae praeclarum in primis ac prope singulare monumentum. Haud desunt equidem, qui summa rapti admiratione, ad caelum eius elegantiam ferant, eamque Cicerone penitus ac Livio non indignam. Ac propterea nemo me incusabit, si dicam illam quamdam populi romani maiestatem in suis operibus mirum in modum expressisse, sive res ab ipso descriptas spectes, quae tot aetatis suae casus complectuntur, sive denique magnificum illum ornatum orationis et lacteam ubertatem, quam Quintilianus in Tullio laudabat.

Summa mala ex sectarum diffusione in Italia obveniunt. « Qui sapientiam christianam oderunt, iidem, quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem devocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammandos violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, caeleste Fidei lumen repudiant: quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque illuc facile evadit, ut in humilem foedumque materialismum (1) abiiciatur ». (*Litt. ad Episcopos Italiae*, 15 febbr. 1882).

Nunc divino suo munere fretus, universum hominum genus monet de communi societatis et principatus periculo atque efficacia religionis christianae : « Cupiditates populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea; et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones et turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio, sed ne satis quidem totum incolumitatis praesidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini; conceptaeque flammis invidiae iam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita pluries est aut occultis insidiis, aut apertis latrociniis ad internecionem expetita. (2) Cohorruit tota nuper Europa ad potentissimi Imperatoris infandam necem; adtonitisque adhuc prae sceleris magnitudine animis, non verentur perditi homines in ceteros Europae principes ruinas terroresque vulgo inchoare.

« Haec, quae sunt ante oculos communium rerum discrimina gravi Nos sollicitudine afficiunt, cum securitatem principum, et tranquillitatem imperiorum una cum populorum salute propemodum in singulas horas periclitantem intuemur ». (Enc. *Diuturnum de politico Principatu*, 29 Iun. 1884).

Quis veterum scriptorum tam scite eleganterque floribus exornat hanc rerum novitatem gravitatemque, ut nihil nisi latine per omnem vitam cogitasse, nihil scripsisse videatur ? Quis ea urbanitate ac paene poetico colore exultantique haec nova disciplinarum placita atque humanitatis nostrae, nativa quadam facilitate romanoque more describit ?

Haud sum equidem nescius, etsi Noster singula quaeque verba cum Cicerone potissimum comparavit, complura occurrere in consuetudine Ecclesiae, in describendis hominum nostrorum inventis nonnulla recentiora vocabula vel minus emendata neque optimis scriptoribus adprobata. Diceret Horatius :

Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim!

(1) Insania illorum qui materiei vim divinam tribuunt, Dei providentiam atque animorum immortalitatem respuunt, hoc nomine appellatur.
(2) Necem designat Alexandri II, Russiae imperatoris. Nondum ferro occubuerat Elisabeth Austriae imperatrix ; nec dum primus in Sabaudiae principibus confossus perierat Humbertus, rex Italiae.

In mentem etiam revoca, eandide lector, Horatiana illa monita:

. . . Si forte necesse
Indictis monstrare recentibus abdita rerum,
. . . Et nova fictaque, nuper, habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadent, parce detorta...

Et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.

Ipse Tullius quoque querebatur, temporibus suis, quod romanorum sermo, etsi in multis ditissimus, iis vocabulis saepe eguerit, quae ad subtilitatem philosophiae enucleandam spectarent.

Hinc Noster, qui de placitis illis immortalibus scribit, quae ad religionem excolendam pertinent et minime sub sensus eadunt, romanisque omnino abscondita, atque artibus quoque disciplinisque recentibus depromta, et mortalium mentem ad caelum erigunt, in perpetuam ac perdifficilem quaestionem incurrit, de verbis scilicet eligendis. Verum eum in primis ad perspicuitatem, atque ad veritatem respiceret, locutionibus illis posthabitis quae ex latino vel graeco fonte hauriri possent; quae vero rem potius describunt quam explanant, libertate utitur, quam ei Horatius permittit, novaque vocabula paene in latinum sermonem invehit, quae si Ciceroni modo sunt obsoleta, lectoribus pressius inserviunt, in quorum commodum uniee scribere consuevit. Nec sane ineonsulto. Namque nonnulla habet a graeco fonte nec licentius confieta aut putidius derivata, aut inepte coalescentia, aut demum a propria in aliam signifieationem imprudentius translata, quae saepe saepius vel apud Italos novitatem redolent. Uno verbo, si, neeessitate compulsus, paueula omnino Noster usurpare eonsuevit latinis auribus adhue inaudita, quae dum reeentiorum ingenia et mores magis graphiee depingunt, eadem orationis perspicuitati maxime student, nec ipsa omnino latini sermonis venustati repugnant.

Sed Leonis PP. XIII opera propius prosequamur.

Omnes populi nec modo Europae, sed etiam vel ex terrarum extremo fine ad Urbem eonvenissent, et proni in obsequium erga Pontifieem Maximum, Ei immobilem fidem profitentur. Quis talia videndo haud diceret:

Hunc circum innumerae gentes populique volabant?

Nil enim melius, nil pressius diei potest, ut frequentes populorum conventus, apud Leonem XIII ob oculos exponat. Mortales ingenio, linguis, disciplinis, moribusque dissoni, in ceteris dissimiles, in unum eonsensum erga Pontificem Maximum haud poterant, sine divino numine, coalescere. Et primi, animis nova spe in dies reereatis, Itali a Deo petunt ut Leoni XIII divinae virtutis praeeoni paeem et tranquillitatem concedat et ipsi singulari pietatis testimonio eonsolationem adferunt. Praeter omnium opinionem Pontifiei Maximo adversus graves diffieultates eluctanti vel suppetias undique ferebant, stipem S. Petri dedieabant, rati pergratam Deo pietatem eontingere quam in parentem erogabant. Quod Galli potissimum feeerunt, Hispani, Germani et Angli. Ad eius pedes venerabundi proeumbunt adpreeantes ut Deus eathedram Petri Apostoli pergat fortunare, quam per viginti fere saeeula divinitus stantem venti undique reflantes nec labefactare potuerunt nee loeo dimovere.

Et ipse omnes nationes uno cordis amplexu obstringens, paterna eonsilia in amoris signum atque benevolentiae effundit. Anxius animi quod nobilissima galliea gens, quantumvis opibus firma et eopiis loeuples esse videatur, gerit tamen interitus sui in ipsis reipublieae viseeribus inelusa semina, neque spem habere potest diuturnitatis, ut olim divinus magister flens Ierusalem ad conversionem sanetam invitabat, Galliam vocat, hortatur molliterque atque fortiter ab internecione revoeare nititur.

« Fieri non potest, - ait - ut prosperitas civitati eomitetur, virtute religionis extineta. Et sane, ubi vereri Deum homo desiit, maximum iustitiae tollitur fundamentum, sine qua bene geri rem publieam vel ipsi ethnieorum sapientes negabant posse: neque enim satis habitura dignitatis est auetoritas prineipum, neque satis virium leges. Plus apud unumquemque valebit utilitas quam honestas: vacillabit ineolumitas iurium malo custode officiorum poenarum metu; et qui imperant, faeile in dominatum iniustum, et qui parent, levi momento in seditionem et turbas delabentur». (Enc. *Nobilissima Gallorum gens*, 8 febb. 1887).

Sed de his satis: paulo maiora ordiamur.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. Antonii Mureti oratio de praestantia litterarum et earum artium quae litteris continentur. (1)

Neque vero minus gloriosa, aut minus hominum generi fructuosa huius (2) quam illius (3) opera. Occupatur ille in finibus imperii proferendis, hic in finibus cupiditatum regendis ac coercendis; novit ille quemadmodum urbes expugnentur, hic quemadmodum gubernentur; ille quemadmodum iniuria, aut repellatur, aut reponatur; hic quemadmodum et accipiatur aequo animo, et negligatur; dicet ille, quam multos homines manibus suis trucidaverit, hic quam multos a caede faciendа oratione sua revocaverit; ille quam multos in servitutem abduxerit, hic quam multos a servitute vitiorum in veram libertatem perduxerit; illius usus in bello nullus est, huius opera, et in bello, et in pace salutaris. Itaque si homines inter se amice, ac concorditer vi-

(1) Cfr. num. sup.
(2) Scilicet « eruditi viri ».
(3) Sc. « viri vitam militarem agentis ».

verent, si Dei ac natura iussa sequerentur, si denique ii essent, qui esse deberent, iacerent omnes artes belli, ut quarum inter iustos iustus usus esse non possit: nostrae vero tum demum florerent, ac vigerent; tum demum eas optimus quisque summa corporis, et animi contentione sequeretur. Neque vero quemquam ita esse arbitror sanguinarium, cui non praeoptanda videatur nullius empta lacrumis gloria, neque ullo, nisi puro illo ac limpido Aganippos rore irrigata, quam tabo, et cruore oblita, et multa strage ac cladibus comparata. Multa consulto praetereo: quod mihi, non tam ut copiam, et varietatem consecter, laborandum est, quam ut effugiam satietatem. Quis enim unquam tanta ubertate ingenii, tanta dicendi copia praeditus reperitur, qui litteras ita laudare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse videatur? Omnia quae homines in vita expetunt, cuiuscumque tandem generis illa sint, nulla re certius, aut facilius, quam eruditione, ac litteris, acquiri, conservari, amplificari queunt. Est qui rei familiaris angustia pressus, ex ea expedire se, et ad moderatas opes sine ulla turpitudine pervenire cupiat? Quae ad id conficiendum via aut honestior, aut expeditior, ac facilior est? Quam multos ex tenui et exsili patrimonio, aut iuris scientia, aut medendi arte fretos, ut eas potissimum nominemus, paucis annis ad maximas divitias pervenire vidistis? Nam quod plerique vulgato iam proverbio dictitant, ex omni nostrarum artium numero duas modo illas frugiferas esse ac fructuosas, ceteras cultoribus suis decoquere, ac decollare; in eo vanitatis illos, ac mendacii facile res ipsa coarguit. Nota est historia de Thalete Milesio, qui cum a propinquis obiurgaretur quod omne tempus in sapientiae studio poneret, quod ad faciendam pecuniam, in qua illi posita putabant omnia, nulli usui esset: Vultis, — inquit, — ostendam vobis, posse hominem huic deditum, si ei commodum sit, divitem fieri, et hanc esse si quis velit, ad quaestum, ac compendium vel maxime compendiariam viam? Cum illi se velle dixissent, homo, qui ex astrorum scientia, magnam eo anno olearum ubertatem previderet fore, multo ante, exiguo pretio, cum contra licitaretur nemo, omnia Chiorum, ac Milesiorum praela, ac trapeta conduxit: quae cum postea suo tempore, quanti voluit, elocasset, magnamque ex eo vim pecuniae collegisset, ostendit philosophos non tam rem facere non posse, quam maioribus, ac praestantioribus cogitationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid Leontius Gorgias? Non ne rhetorices professione, et maximas sibi divitias peperit et tantam gloriam, ut ei vivo ac videnti honoris ergo, aurea statua in Apollinis Pythii templo constituta sit? Quid illi qui eloquentiae, quasi mercator, atque opifex quidam habitus est Isocrates? Non, et summa gloria fuit, et iis opibus, ut ter ad trierarchiam vocatus, cum eam bis effugisset, ad postremum splendidissime ac magnificentissime obierit? Ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque, ac locupletissimus adigebatur. Neque medicus erat optimus pessimi principis magister Seneca, neque de iure consulebatur. Et tamen quantam sibi opum vim, homo externus et alienigena, eloquentia et eruditione confecit? Scio, hoc, quod dicam quibusdam incredibile visum iri. Sed tamen, si vera sunt, quae litteris prodita sunt, haud scio an nullus hodie tota Italia princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio Nero congessit. Nam cum ex veteribus illis Romanis M. Crassus opulentissimus fuisse dicatur; Senecas opes Crassi opibus duplo maiores fuerunt. Prope est ut pigeat, in hac parte tamdiu immoratum esse: sed tamen dicendum fuit aliquid adversus stultitiam eorum, qui aiunt, si quis iuris scientiam, et artem medendi excipiat, ceterarum artium nostrarum sterilem esse culturam. Qui error ex eo potissimum natus est, quod doctrinae mediocritas magnos efferre fructus non potest. Itaque excellendum est iis, qui magna et praeclara concupiverunt.

At nos simul atque paullum ultra prima elementa progressi sumus, falsa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuo opes, et honores congeruntur, iacere litteras clamitamus. Non iacent litterae: non iacent: neque iacuerunt unquam . . . . . (1)

Sed ut unde digressus sum redeam, atque id quod institui absolvam: et ad facultates ac copias sine dedecore parandas accommodatae sunt litterae, et multo magis colendae iis, qui opibus abundant: ne, si id facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademque ratio est et eorum quibus clari, et eorum quibus obscuri parentes obtigerunt. Nam neque illi ullo maiori, aut illustriori ornamento condecorare, et, ut Homeri verbo utar, coronare possunt nobilitatem a maioribus acceptam: neque hi ex tenebris ulla ratione facilius emergere, seque in luce, atque in oculis omnium collocatos, a contemptu, atque ab oblivione in perpetuum vindicare. Rex erat ac regis filius Alexander Macedo: et viam sibi ad summam claritatem ac potentiam armis quotidie muniebat. At is et plus se debere Aristoteli, a quo eruditus, quam Philippo, a quo genitus fuerat, et cuius in regnum successerat, praedicabat: et, cum ab illo divulgatos esse libros quosdam arduis de rebus scriptos accepisset, aegre tulit; ac generosa quadam indignatione motus, epistolam ad eum scripsit, in qua haec verba sunt: Nam qua re posthac ceteris praestabimus, si quae a te edocti sumus, ea omnium communia erunt? Ego autem malim optimarum rerum scientia, quam opibus et potentia ceteris anteire. — Haec igitur ille regum stirpe ac sanguine editus. Obscurissimo autem genere ortos quam multos nominare possumus, quos supra omnes omnium fumosas imagines litterae collocarunt? Obstetricis filius erat Socrates. Num igitur eo

(1) Affert hic Muretus nonnulla aetatis suae exempla, quae brevitatis causa omittimus: haec enim rerum summa, paulo ante ab auctore edicta, « excellendum iis esse, qui magna et praeclara concupiant ».

Alcibiades nobilior? Euripidis matrem vendendis oleribus vitam tolerasse accepimus. At ipse et regum familiaritate usus est, et ita clarus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis, quam Euripides ex Archelai familiaritate noscatur. Tympanistria fuit Aescinis mater; at eum rex Macedonum Philippus quantopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracusarum regem Hieronem fuit? Sed quid huius rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: ut minus saepe, quibus illi regnantibus vixerint, quam qui eis florentibus regnaverint, quaerere soleamus.

Neque tamen haec precipua sunt eorum bonorum, quae percipiuntur ex litteris; sunt alia longe maiora, longeque diviniora. Litterae inditos nobis a natura honestatis igniculos excitant, luxuriantes, quasique fruticantes cupiditates, stringunt ac coercent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces et magistrae sunt ad virtutem: prosperis rebus ornamento sunt, solatio adversis, neque illis exsultare atque efferri suos, neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid sibi superesset ex philosophiae studio, notissimo versu respondisse dicitur: Choenix lupinum, et mentis a curis quies. O magnum et excelso animo praeditum virum! Quod aliis regna et imperia non adferunt, ut soluto ac libero animo sint, id ipsi, propter litterarum, et philosophiae commercium, choenix lupinorum adferebat. Quod si tam multa, tamque praeclara bona litteris ac disciplinis continentur, si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum cognitionem et hominibus, et liberis atque ingenuis hominibus dignissimam esse, si et ignava vita homine indigna est, et nullo in studio melius, quam in litteris, industria collocari potest, si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optime litteris sternitur; si eisdem et animi tranquillitas, et nominis aeternitas, comparatur, quid statis, adolescentes, aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare patimini? Cur non, aliis omnibus curis et cogitationibus ex animo abiectis atque abdicatis, in hanc unam toto pectore incumbitis? Non hoc sedendi, ut ait Bacchylides, ac cunctandi tempus est. Non enim ex plano ac facili gloria haec petitur, neque lata, ut ait Propertius, via currere ad Musas datur. Non frustra eas antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt. Laborem et sudorem et vigilias in earum atrio ac vestibulo excubare voluit Deus, qui, ut dicebat Epicharmus, labore omnia prope bona hominibus venalia proposuit. Ego autem, ut libere vobiscum agam, valde vereor, ne, cum plerisque vestrum alia omnia abunde sint, mollitia multi et laboris odio a studiis avocentur. Itaque quibus verbis Homerica Pallas Nausicaan e somno excitat, quam segnem, et ignavam vocat, quod vestes magni pretii, sibi emptas a parentibus, neglectui habeat, easque illotas, ac sordidas iacere patiatur, surgere igitur eam iubet, et ad eas abluendas cum prima luce proficisci, praesertim cum instet tempus nuptiarum: iisdem merito multos e vobis aliquis quotidie obiurgaverit. Surge quamprimum miser, et ex animo torporem atque ignaviam excute! Quid tu istud ingenium, quod tibi a communi omnium parente Deo, multo qualibet veste pretiosius datum est, situ ac sordibus obsolescere quasique rubigine obduci pateris? Cur non potius diluculo ad illos proficisceris omnibus obvios et expositos doctrinarum fontes, quibus te mersans, ex quibus arbitratu tuo hauriens, pectus et purgatum vitiorum maculis, et multa praeclarissimarum rerum cognitione madidum referas? praesertim cum puerulus amplius non sis, sed ea iam appropinquet aetas, qua tibi in lucem atque in cospectum hominum prodeundum est. Hinc enim demum, multo magis quam unde illa dicit, et tibi paries gloriam, et parentum pectus gaudio laetitiaque complebis.

Sed iam longior, quam par erat, fui. Cogitate, obsecro vos, languidis, ac remissis omnia difficilia, navis et industriis omnia pervia, ac facilia esse. Deus Optimus Maximus, cui quaecumque hic acta dictaque sunt, grata, et accepta esse cupio, vobis omnibus eum animum inspiret, ut haec, ad quae vos hortatus sum, tam sequi velitis, quam consequi potestis. Dixi.

HORAE SUBSECIVAE

Post procellam.

Diffugit nimbus, glomeratas aethere nubes
Victor ad eoas Africus egit aquas;

Sol iterum fulget, rident viridantia prata,
Collesque et roseo silva colore nitent.

Luscinia e clivis resonat tectisque salutat
Extremum passer, luce cadente, diem.

E stabulo egressus vineta atque arva revisit,
Gaudetque intactis messibus agricola,

Et solem occiduum spectans nubesque fugatas,
Miratur magnum per cava murmur aquae.

Interea caelo scintillant astra sereno,
Aegraque tranquillus lumina somnus habet.

Fluctibus adversis actus cur deficis exspes?
Cur Superum demens irrita verba putas?

Confectus curis inter discrimina surges
Ut rutilans exit Lucifer oceano.

Ad rivum.

Rivule, qui vitreus secreto e pumice manas,
Cur, rapide aufugiens, ad mare tendis iter?

Quo simul ac venies, undis permixtus amaris,
Non humor dulcis, non tibi candor erit.

Nec pulchrae valles rigua quas alluis unda,
Nec te currentem florea prata tenent.

Quam bene, quas Numen statuit, tu rivule, leges,
Ac finem curas tangere propositum!

Ipse Dei oblitus, terraeque allectus amore,
Per vana, heu demens! avius usque vagor.

Nequicquam rapidi menses volvuntur et anni,
Rugisque haud affert dura senecta moras!

Auximi.

P. Recanatesi.

COLLOQUIA LATINA

Euntes ad ludum litterarum. (1)

Claudius. — Videtur tibi tempus eundi ad ludum?

Paulus. — Plane tempus est ut eamus.

C. — Non satis teneo viam; credo esse in illo vico proximo.

P. — Quoties illuc ivisti?

C. — Ter aut quater.

P. — Quando coepisti eo ire?

C. — Nudius tertius aut quartus.

P. — Quid igitur? An non id satis est ad noscendam viam?

C. — Non; etiamsi eam centies.

P. — Ego vero, vel si semel, nunquam deinceps aberrarem. Sed tu vadis invitus et ambulas lusitans, nec viam aspicis, nec domos, nec ulla signa, quae te postea admoneant, qua sit flectendum, qua via tenenda. Ego haec omnia observo diligenter, quia lubens eo.

C. — Puer hic habitat in proximo scholae. Heus tu, puer, qua itur ad aedes tuas?

Puer. — Quid vis? Venis a matre tua? Mater mea non est domi. Mulier quaedam casearia eam cum sorore mea invitavit ad edendum lac coagulatum.

C. — Et tu cur non es una profectus?

Puer. — Relictus sum hîc, ut servem domum sed pollicitae sunt mihi, se de reliquiis allaturas partes in quasillo.

C. — Quin tu igitur non manes domi?

Puer. — Continuo revertar. Prodii lusum paullisper talis cum filio huius cerdonis. Vultis et vos venire?

C. — Eamus, sodes.

P. — Minime vero id quidem.

C. — Quid ni?

P. — Tu ludito si vis; ego ibo ad scholam meam.

C. — Ne me apud praeceptorem meum, si forte ei occurreris, deferas, quaeso. Dic me detineri domi a patre.

P. — Vis mentiri me?

C. — Ecquid, propter sodalem?

P. — Mentiri, semper iniquum. Qui adolescens mentitur perditus est et evadet scelerosus vir.

C. — Interim iste puer elapsus est nobis, nec rogavimus qua esset via ad ludum. Revocemus.

P. — Abeat in malam viam suam! Nolo sit tibi rursus incitamento ad lusum. Percunctabimur ab hac vetula. — Mater, nosti ne quo itur ad regium gymnasium?

Vetula. — Iuxta illud habitavi ego sex annos. Transite plateam hanc; inde est angiportus; tum platea altera; hinc flectite ad dexteram; tum ad sinistram... Ibi percunctamini: non procul abest schola.

C. — Vah, non poterimus omnia retinere!

V. — Manete paullisper. — Theodorine, deduc istos ad locum gymnasii.

Theodorinus. — Quid malum gymnasii? Quid hominis est hic Ginasius? Quasi ego norim!... Loqueris ne de Ginesio illo, qui resuit calceos iuxta Cauponam Viridem; an de praecone in Vico Gigantis, qui alit equos meritorios?

V. — Sat scio: nunquam tu nosti nisi ea quae vulgi sunt, inertissime. Gymnasium schola, illa est e conspectu aedium, quas usque ad superiorem annum habitavimus.

T. — Ah! iam redit in memoriam.

V. — In reditu, transi per macellum et eme acetarium, et raphanum, et cerasa: cape fiscellam.

C. — Duc nos etiam per forum olitorium.

T. — Hac ibitis brevius.

C. — Nolumus isthac ire.

T. — Qui sic?

C. — Quia... quia momordit me illic canis ex domo pistoris. Quin et volumus te comitari ad forum.

T. — Revertens faciam iter per macellum; nam procul adhuc absumus, et emam quae sum iussus, postquam reliquero vos ad ludum.

C. — Nos cupimus videre quanti emas cerasa.

(1) Ex colloquiis Io. Ludovici Vives passim retractavit nostrisque moribus aptavit I. F.

T. — Nummis senis veneunt in chilogramma, id est in libras ternas; sed quid ad te?

C. — Amo te empturum minoris. Et quidem, est illic muliercula quaedam oluscularia, de qua si emeris, scio eam et vendituram nummis tantum quaternis, et daturam nobis ultro vel cerasa, vel malum aut fructum alium; nam filia eius ministravit quondam familiae meae.

T. — Ne dispendium hoc viae constet vobis a magistro reprehensione!

C. — Minime vero; nam satis veniemus temporis.

T. — Eamus igitur. — Ventum est in forum olitorium. Ubi est tandem oloscularia vestra?

C. — Id ego circumspiciebam. Sed eme ab hac, ea lege, ut aliquid det nobis corollarii. Heus, tu! Puer hic emet de te cerasa, si aliquot nobis donaveris.

OLUSCULARIA. — Nihil mihi donatur; omnia venduntur.

C. — Nec sordes istae donantur tibi, quas habes in manibus et in veste?

O. — Nisi procul hinc abis, impudenticule, has sordes sentient genae tuae!

C. — Quomodo sentient meae genae, quum habeas in tuis manibus?

O. — Redde cerasa, furuncule.

C. — Sumo exemplum; nam volo emere.

O. — Eme igitur.

C. — Si placuerint, quanti?

O. — Nummis duobus libram.

C. — Ah! acerba sunt. Tu, vetula venefica, vendis populo cerasa strangulatoria.

T. — Abeamus hinc ad locum quem petitis; nam vos argutiis vestris intricaretis me, et detineretis diu. Iam, ut puto, mater mea furit domi ob moram meam. — Ecce, illic, *ginesii* vestri ostium. Valete.

EX HELVETIA

Divinae consecrationis sacri sacelli Beatae Mariae Virginis Thaumaturgae Einsiedlensis solemnissima commemoratio.

Inter festa et solemnia, quae quotannis per anni circulum habentur in venerabili coenobio Einsiedlensi in Helvetia dies decima quarta mensis Septembris praeeminentiam quandam habet. Hac enim die divina consecratio aedieulae B. M. V. commemoratur. Quae proinde memoria semper et praecipue, quando dictus dies, sicuti hoc anno MCMXIII evenit, in diem dominicam incidit, summo splendore ac maxima pompa peragitur. Et iure quidem: hac enim die summus rerum omnium Architectus hanc aedem constituisse videtur, tamquam perpetuum sui amoris et honoris erga gloriosam Matrem monumentum et simul generis humani refugium.

At, forte quaeret quispiam quomodo quandoque in *Silvae obscurae* solitudine Einsiedlensi tam insignis gratiarum et religionis fons scaturierit.

Hac de re, amice lector, imprimis vero de Deiparae Matris saeelli caelitus facta dedieatione, liccat mihi aliqua verba facere.

Primus honos et cultus Deiparae Virgini Mariae, hîe loei exhibitus est a saneto *Meginrado* sive *Meinrado,* primo huius Eremi incola. Qui ex Sulgoviae comitibus in Germania ortus, eiusdem erat stirpis, ae domus Zollerana, quae adhue floret.

A piis parentibus puer doetissimo monacho Erlebaldo erudiendus traditur, bonarum artium in illo Monasterio magistro, cuius nomen *Augia, S. Augia dives* per plura saecula inter ehristianos florebat. Adoleseentis animus, ut optimae erat indolis, plus quam libcralium artium studio rerum divinarum ardore inflammatus est, ita ut vitam monasticam sub Benedietina Regula inire non dubitaverit. Quum per aliquot annos sub Erlebaldi regimine, qui interea Abbas factus erat, non paueos doetrinae et pietatis fructus dedisset, in aliqua eella dissita, quae ad monasterium Augiense pertinebat, scholari studio praefeetus, iuvenum animos non minus bonis artibus quam caelesti virtute Meinradus imbuit. At perfeetioris vitae desiderio permotus, fraterna ex aeie ad singularem pugnam eremi perrexit, et liberius Deo volens servire solitariam coepit vitam anhelare. Igitur annuente Abbate in vastissimam *Silvae obscurae*, ut tunc vocabatur, solitudinem in media Helvetia secessit, ibique eellam et saeellum sub nomine et titulo SS. Virginis Matris aedifieavit. Tum vir venerabilis totum se orationi ae divinarum rerum meditationi in horrida silva dedit, caelestium oraculorum verba et miraeula inquisivit aliisque patefecit. Exactis in divini servitii studiis annis tribus supra triginta, vir Dei iam corona martyrii dignus, a nefariis latronibus inquiritur in odium religionis occidendus, a quibus crudeliter peremptus, martyrii palmam adeptus est anno Domini DCCCI. His initiis B. M. V. in Eremo primus cultus et religio, in Eremitarum sive *Einsiedeln*, ut germanice vocatur, frequentia et inerementa exorta.

Post S. Meinradi obitum, per aliquot annos Eremus quasi deserta et relicta erat, nisi quod apud vicinos primi saneti incolae celebris memoria vigebat, multique homines in neeessitatibus suis Martyris locum et ob magna et mira auxilia divae Virginis saeellum frequentare solitabant. Quadraginta et amplius annis elapsis S. Benno, ex Regum Burgundiae stirpe, canonieus Argentinensis, eum paucis sociis in «Meginradi eellam» se recepit ibique vitam solitariam continuavit. Anno Domini CMXXXIV tertius Eremi cultor B. Eberhardus, Argentinensis Cathedralis praepositus advenit amplis eum faeultatibus et hacrcditate opulenta. Ipse a B. Reginlinda, Sueviae ducissa, ab Othone I, Imperatore Romano et Germaniae Rege, eiusque coniuge S. Adelheide adiutus, statim ad amplissimi Monasterii et

basilicae structuram animum manusque applicavit. Quae basilica ita constructa, ut a S. Meinrado quondam conditum, a Bennone instauratum caeli Reginae sacellum includeret.

Omnibus completis et paratis, ineunte mense Septembri anni CMXLVIII B. Eberhardus ad S. Conradum, Constantiensem episcopum et ad S. Udalricum, Augustae Vindelicorum praesulem, misit cosque ut novum templum ac simul sacellum Marianum inclusum consecrarent, invitavit. Qui ambo episcopi, plurimis viris nobilissimis concomitantibus maximoque sub vicini populi concursu in Eremum advenerunt. Nocte diem consecrationis antecedente, quum S. Conradus more solito surrexisset, ut in Ecclesia orationi incumberet, subito melodiam dulcissimam percepit; quumque magis magisque animum mentemque intenderet, certissimo animadvertit Christum Salvatorem nostrum casula violacea indutum ante altare sacrum celebrantem. Maria Virgo ante altare stabat splendida sicut fulgur. Iuxta Dominum b. Episcopus vidit quatuor Evangelistas aliosque Sanctos ex caelesti exercitu Domino in sacro servitio inservientes; clareque percepit eos caeremonias, ordinem ac cantus in sacelli consecratione adhibere, quibus Episcopi in Ecclesiarum consecratione utuntur.

Orta luce, quam Exaltationis Crucis memoria illustravit, sanctus Antistes incertus haerebat, an peractam a Christo ipso consecrationem denuo institueret.

Cunctante interim fere ad meridiem Conrado, omnes eum ad ritum sacrum peragendum impulerunt veluti vana et tamquam caelestium ex meditatione nata somnia eius narrationem reprehendentes. Dum tamen, illis vehementius urgentibus, sacra officia inchoare vult, en novo prodigio ab omnibus ter audita de caelo vox: « Cessa, cessa, frater, divinitus Capella consecrata est ». Igitur S. Conradus e sacello egressus, comitantibus praesentibus et Deum Deique genitricem magnificantibus, basilicam maiorem sacellum includentem solam consecravit et dedicavit. Inde exorta est fides sacellum thaumaturgae Einsiedlensis divinitus dicatum et consecratum esse.

At, amice lector, fortasse mihi dices, nunquam te haec declamitanti fidem tribuere, nisi res narrata etiam auctoritate et ratione confirmetur. Quod iure petis et postulas, mox exequar.

Einsiedlensis monasterii prospectus.

Primum testem dico ipsum S. Conradum, virum summae et gravissimae auctoritatis, cuius dignitas, vitae sanctitas, sapientia virtutesque omnes ab omni fraudis et inanis credulitatis suspicione nos plane liberant. Ipse rem gestam in libro, quem « *De secretis secretorum* » inscripsit, posteritati prodidit. Porro ille vir egregius Romae summum Pontificem Leonem VIII de magno, quod apud Eremitas evenerat miraculo, certiorem fecit illudque, presentibus etiam Othone I imperatore cum sua coniuge S. Adelheide multisque Germaniae et Italiae Praesulibus, et ut rem certam et compertam retulit. Leone VIII, re bene perpensa, non modo caelitus factam dedicationem sanctam et ratam habuit ac confirmavit, et dedicationem iterari severissime vetuit, sed etiam magnis privilegiis Monasterium et eos, qui pietatis causa sacellum adiissent, indulgentiis ditavit. Hoc constat ex Bulla Leonis VIII, IV Idus Novembris anni CMLXIV edita, in qua inter cetera haec habentur:

« Nos ergo, consultis venerabilibus Fratribus et coëpiscopis nostris Hattone. Moguntiensis ecclesiae archiepiscopo, Brunone, Coloniensis Ecclesiae archiepi-

seopo, Annone Wormatiensis Ecclesiae episcopo, Ottuino Hildesheimensis Ecclesiae episcopo, Okkone, Mirmidonensis Ecclesiae episcopo, Erkenbaldo Argentinensis Ecclesiae episcopo, Udalrico, Augustensis Ecclesiae episcopo, Hartberto, Curiensis Ecclesiae episcopo, necnon Eggehardo Augiensi abbate et Burkardo S. Galli abbate et aliis quam plurimis, quorum consilio nominatae Capellae consecrationem ratam esse confirmamus. Et ne praesens episcopus vel aliquis successorum manum deineeps audeat mittere, auctoritate Principum Apostolorum Petri et Pauli et praedictorum patrum et nostra sub anathemate inhibemus ».

Sed, audito Leonis VIII nomine, fortasse mihi rigidioris censurae chronographos inspicere consulis, qui Leonem VIII, nullibi nisi inter Pseudopontifices nominant.

At nostrum hîc non est neque etiam neeessarium contendere, utrum legitimus an intrusus Pontifex Leo VIII fuerit, quamquam gravissimi auctores censeant, ex quo tempore Benedictus V Pontificali dignitate se abdicavit, id est a die XXIII mens. Iunii CMLXIV, verum S. Petri successorem fuisse. Id vero constat, eius pro facto hoc historico datam Bullam cum omnibus privilegiis a pluribus deineeps Pontificibus, a Martino V, Eugenio IV, Nicolao V, Pio II, Iulio II, aliisque praemisso veritatis examine confirmatam esse, ut adeo Leonis Bulla saltem historicum idque gravissimum miraculi nostri monumentum sit.

Angelicae conseerationis et Bullae a Leone VIII meminit etiam celeberrimus ille annalium scriptor Hermannus Contraetus : « Capella, inquit, in coenobio S. Meginradi caelitus consecrata est, XVIII kal. Octobris, et Papa Leo conseerationem capellae caelitus factam coram prineipibus scriptis confirmavit ». Similiter etiam Martinus poenitentiarius eum aliis. — Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin illud verissimum sit, quod tanta comprobavit auctoritas, quod hueusque crebra comprobarunt miraeula?

Aeeedit, quod prodigii huius memoria iam ab antiquissimis temporibus solemni ritu, maximoque hominum aeeursu celebrabatur; tales solemnitates vero et dies festivi nonnisi publiea Ecclesiastiea auetoritate post exploratam eertam rei veritatem institui poterant.

Et sane, intuere infinitam peregrinantium multitudinem ex remotissimis non modo Europae, sed etiam aliarum terrarum longinquissimis regionibus ad Einsiedlense Sanetuarium confluentium, non solum ex abieeta plebecula, sed et ex potentissimis undeeumque prineipum familiis, ex purpuratorum et episeoporum ordinibus, et libenter fateberis, non eommune quoddam Sanetuarium, sed divina providentia eeleberrimum ibi honorari et frequentari.

Utque de omnibus sileam, quot quantisque miraeulis Einsiedlense Sanetuarium elaruerit, exstant tabulae, monumenta, aera, marmora aeternis insculpta litteris et nulla temporum oblivione deleta; exstant chartae et membranae seriptorum omni fide dignorum, qui beneficia et gratias impetrata testantur. Hine adeo erevit Sanetuarii fama et religio, ut S. Carolus Borromeus ad Cardinalem de Altemps scripserit : « Ingenti me gaudio perfudit Einsiedlense templum trans Alpes biduo distans. Hoe eertum habe, nihil mihi religionis pensum maiorem indidisse unquam, nisi forte Lauretanam aedem excipias ».

Ut vero nonnulla de solemnitate, quae adhue post tot saeeula quotannis peragitur addam, ante omnia revocandum est, quod superius dixi; memoriam dedicationis ipsius Sanetuarii, sub Dedicationis Angelicae nomine ubique gentium notam, die XIV Septembris mensis celebrari; si vero dies ille in Dominieam incidit, eadem aequalis solemnitas sicut in ipso festo etiam die oetava, i. e. die XXI Septembris habetur.

Quamquam per totum annum, si paucos exeipias dies, maxime vero aestivo et autumnali tempore, quotidie maior minorve peregrinantium numerus ad Eremum undique confluit, tamen dies Dedicationis ex illis est, ubi tantae fidelium copiae adveniunt, ut numerosissima oppidi hospitia atque etiam domus privatae illos omnino eapere non possint. Sie, ut de aliis taeeam, hoc anno ad diem solemnem festi plus quam millia hominum undecim per ferriviam adveeti sunt; quot praeterea patrio more pedestres vel in eurribus et equis advolaverint, nemo mortalium seit.

Iam pridie festi, horis matutinis et postmeridianis usque ad ingruentem noetem, in templo fidelium turmae stipulantur, ut ad tribunal s. poenitentiae aeeedant. Die ipso autem festo, iam ab hora matutina tertia campanae toti regioni solemnitatem annuntiant et suas voces cum fragore tormentorum bellicorum eoniungunt. Ineipiunt divina officia per solemnes Noeturnos, quos sequitur prima Missa pontificalis, quam cantus et musiea exquisita eomitantur et exornant. A plurimis sacerdotibus, tam monachis quam exteris, proinde ineruentum Christi saerificium offertur. Post priores Horas canonieas, Primam dieo et Tertiam eantu firmo persolutas, coneio solemnis ab Episcopo vel Praelato haberi solet. Seeunda Missa Pontificalis, eodem ritu eademque solemnitate, ac mane, celebrata, Sexta et Nona cantatae saeram liturgiam finiunt.

Horae ante et post meridiem a peregrinantibus et hymnis sacris eantandis et recitandis orationibus neenon audiendis sacris praedicationibus, etiam in lingua franeogallica et italica, si eiusdem nationis adsunt peregrini, et Vesperis Pontificalibus assistendo explentur.

Maximus vero splendor Offieio vespertino vel potius nocturno reservatur. In magna basilica multis eentenis vel forsan millenis lampadum illuminata, a Monachis, qui doctissima sunt cantorum schola, Completorium canitur. Dein instituitur proeessio theophorica extra templum in vasta quae ante Monasterium extenditur platea. Splendet magico quasi splendore prospectus eeclesiae monasteriique, splendent portieus plateam eingentes,

splendent domus locum circumdantes innumeris luminaribus; fulget vero prae omnibus altare ingens in extrema platea erectum quasi mare ignem undans et redundans. Hymni religiosi et musicos concentus per taciturnam resonant noctem. Dum Pontifex cum SS. Eucharistia benedictionem impertit, Angelorum choros dicas descendisse, ut coram Omnipotente laudis et obsequii sacrificia immolent.

Qui haec scripsi, iam magnarum urbium festivitates vidi et magnificis pompis profanis et sacris interfui. At libenter gravi iudicio aliquot purpuratorum et Ecclesiae principum assentior, confirmantium nullum unquam actum religiosum, nec ullas ecclesiasticas ceremonias tam potenter animos permovere et tam alte in mentibus haerere quam pompam illam nocturnam Angelicae Dedicationis in Eremo Sacra.

B. S.

ACTA PONTIFICIA

SSmi. D. N. Pii PP. X epistola ad R. P. D. Antonium Mendes Bello, patriarcham lisbonensem, qua recentiora reipublicae lusitanae in Ecclesiam acta conqueritur. (1)

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Ubi Reipublicae Lusitanae decretum exstitit de societate discindenda Civitatis et Ecclesiae, equidem non cunctati sumus id facere quod apostolici Officii Nos voce admonebamur; litterasque encyclicas « Iamdudum » ad universos catholici orbis Episcopos dedimus, quibus in litteris cum alia conquesti sumus detrimenta quae religioni populi Nobis carissimi iam importata essent, tum praecipue illam damnavimus nefariam legem quae inchoato in Ecclesiae perniciem promotoque operi tamquam fastigium imponeret. Qua in re Nobis non ea sane affulgebat spes, eos qui tum Rempublicam gubernarent, brevi mutaturos esse consilium, conversoque sapienter itinere, sese esse ex contemptu atque odio ad avitam reverentiam custodiamque revocaturos Religionis catholicae, quae veterem Lusitaniae et potentiam genuit et gloriam. Sed tamen opinabamur posse fieri, ut, cum improba lex deducenda esset in usum, primo animorum tumore paulatim defervescente, humanitatis aequitatisque ratio aliquid valeret ad immodicam ipsius legis molliendam severitatem. Iam vero hanc opinionem res fefellit vehementer: in bello enim contra Ecclesiam administrosque Ecclesiae suscepto tanta tamque acri contentione perseveratum est, ut Nos, venerabilis Frater, ducamus Nostrarum partium esse per hanc epistolam recentiora quaedam istorum Reipublicae gubernatorum acta expostulare graviter et conqueri.

(1) Epistola haec d. die I mens. Martii, publici iuris tantum facta est die XXVII elapsi mens. Septembris MCMXIII.

Illud, primum omnium, dolendum Nobis fuit vos, qui Lusitanis praecstis Ecclesiis, teque ante alios — Episcoporum ex Lusitania, quorum his temporibus ubique est nobilitata virtus, merito principem — quamvis sedulos in obtemperatione publicis potestatibus debita et praecipienda et praestanda, in ius vocari violenterque e vestris exturbari sedibus, huius nimirum unius criminis reos, quod nullo pacto potueritis adduci ut, sacrosancta officia violantes, legum statuta probaretis, quae Nos, utpote Religioni perniciosa, improbassemus. Hanc eamdem ob causam complures e sacerdotum ordine gravissimos viros vel similiter expelli vel etiam coniici in vincula: utrisque vero omnem pervicaciter denegari iniustae remissionem poenae, contra atque ipse Reipublicae praeses, quodam sensu aequitatis impulsus, palam se cupere declarasset. Deinde non satis habitum est Ecclesiam de possessione bonorum, quae sanctissimis maximeque legitimis nominibus ipsius essent, deiecisse: eo usque imperiosorum hominum procedit arbitrium, ut Ecclesiae ne licentiam quidem permittant corrogandae libere piorum stipis, unde aliqua ex parte cum divinum cultum tueatur, tum ministrorum Dei, quos ad summam egestatem redactos videt, necessitatibus occurrat. Huc accedunt illa non minus deploranda: quod consociationibus *schismaticis* consiliisque *laicorum*, ad legis praescripta conflatis, in disciplinam religiosi cultus, atque in templorum sacraeque suppellectilis usum amplior atque adeo absoluta iam datur auctoritas; quod, ut minaciter denuntiatum erat, iam nonnullis locis sacrae aedes per vim, quamvis acriter repugnante populo, sunt clausae; quod in sacra Seminaria, quae quidem nec multa et misera supersunt, quotidie ingravescit, eorum se gubernationi immiscendo, civilis potestas; quod in ipsis privatis studiorum domibus, nedum in publicis, nullam tradi licet de religione doctrinam; quod ipsae haud ita pridem interceptae sunt litterae huius Apostolicae Sedis, quibus Episcopi cum reliquo Lusitaniae clero edocebantur quemadmodum se difficili quadam in causa gerere deberent. Postremo, ab iniuria, insigniter in personam dignitatemque Nostram contumeliosa, non est nuper temperatum, cum factum est, ut in hac alma Urbe paene sub oculis Nostris lex a Nobis damnata vim suam exerceret. De Instituto loquimur sancti Antonii Lusitanorum, vetusto ac nobili religionis beneficentiaeque monumento, quod quidem, violatis, quae quisque politus humanitate populus habet sacra, testamentis piisque voluntatibus mortuorum, in Institutum alius naturae ac nominis converti vidimus.

Haec Nos, venerabilis Frater, pro Apostolici officii conscientia, ut diximus, facere non possumus, quin iterum detestando et conquerendo denuntiemus. Solliciti Nos quidem et anxii sumus Ecclesiae Lusitanae causa, quae fortasse nunquam tam gravibus fuit obiecta periculis; sed dolemus quoque, vehementerque dolemus, vicem nationis istius et gentis, cui, cum ad emendandam

fortunam disciplinamque civilem omnino munera pacis necessaria sint, domestici eiusque in primis exitiosi belli faces subiiciuntur. Quicumque enim praeiudicatis opinionibus partiumque studiis non serviunt, omnes consentiunt nullam populis capitaliorem esse pestem, quam intestina certamina dimicationesque religionis, ut quae maxime alienent animos inter se civium, viresque communis utilitatis effectrices elidant et dissipent. Verumtamen aegritudinem Nostram illud valde levat, quod certo scimus Dei providentis nutu omnia ad salutem Ecclesiae sanctae dirigi, divinamque opem ei tempestive non defore. Nec paulum solatii capimus etiam ex fide, obsequii virtutisque plena, Episcoporum et cleri et catholicorum Lusitaniae in Vicarium Iesu Christi, cuius fidei documenta habuimus iam et plurima et admirabilia. Supplices autem rogamus Deum, velit, hac depulsa tempestate, celeriter Lusitaniae catholicae serenos referre dies: atque interea, caelestium auspicem munerum, ac praecipuae caritatis benevolentiaeque Nostrae testem, tibi, Venerabilis Frater, tuis omnibus in episcopatu collegis, atque universo populo Lusitano apostolicam beneditionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die I mensis Martii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione de Religiosis.

De absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda.

In audientia habita a Cardinali Pro-Praefecto S. Congregationis de Religiosis, die V mens. Augusti MCMXIII, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus, ob peculiares conscientiae rationes, facultatem, quam mense Februario huius anni omnibus Confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat quoad absolutionem Religiosis impertiendam, (1) extendere dignatus est ad omnes totius Orbis Confessarios a locorum Ordinariis approbatos. Hi proinde Confessarii, auctoritate Ssmi, omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere tenentur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire possunt.

(Ex decr. d. V mens. Aug. MCMXIII).

Ex Congregatione Rituum.

De vigiliis ad reliquias martyrum persolvendis in nocte ante dedicationem ecclesiae.

Iuxta Pontificale Romanum tit. *de ecclesiae dedicatione seu consecratione,* celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias sanctorum Martyrum quae in altari consecrando includentur; et canendi Nocturni et Matutinae Laudes in honorem eorundem sanctorum; quaeritur:

Nocturni et Laudes in casu sumendine sunt e novo Psalterio Breviarii Romani per dies hebdomadae disposito; an e Communi plurimorum martyrum; et quo ritu canendi? *Resp.* — « In casu vigiliae persolvantur cum Matutino trium nocturnorum et Laudibus de Communi plurimorum martyrum, sub ritu duplici, cum Oratione de III loco *Deus qui nos,* omisso verbo *annua,* et nominibus reticitis, iuxta decretum n. 2886, *Cenomanen.,* 14 Iunii 1845 ».

(Ex decr. d. XVIII mens. Augusti MCMXIII).

(1) Cfr. commentarii nostri huius anni num. IV, pag. 60.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Octobri MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, SS. D. N. coram se admisit peregrinorum agmina ex regionibus Salernitana et Lucana, ex dioecesi Ortana, Montis Falisci, Lucana; ex Umbria, ex Silesia, ex dioecesi Coloniensi, Parmensi, Placentina, Tiburtina, Bisuntina, Carcassonensi, Tolosana, Trevirensi; ex Londinensi civitate; ex dioecesi Aversana, Menevensi.

Praeterea coram SSmo. admissi sunt Gastao de Cunha doctor, Litteras exhibens quibus legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate ex Brasiliensi civitate apud Apostolicam Sedem addicitur; et Gabriel Constantinovitch, Russorum ex Caesareo genere princeps.

Pontificiae electiones.

Nominatio Episcopi et Praefectorum Apostolicorum. — Brevi Apostolico r. p. Ioannes Geraldus Neville, alumnus Congregationis S. Spiritus episcopus titularis ecclesiae Charrensis et Vicarius Apostolicus Zanzibariensis; decretis autem S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Canisius Theodorus Gellings e Societate SS. Cordium *de Piepus,* Praefectus Apostolicus novae Praefecturae Terrae Gulielmi occidentlais et r. p. Clemens Fernandez ex ordine fr. Praedicatorum Praefectus. Apostolicus novae Praefecturae insulae Formosae nominati sunt.

Vita functi viri clariores.

Die IX mens. Octobris MCMXIII, Toleti vita fungitur Purpuratus Pater **Graegorius Maria Aguirre y Garcia,** illius dioecesis Archiepiscopus Indiarum Occidentalium Patriarcha. Pola de Gordon in oppido Ovetensis dioecesis natus d. XII mens. Martii MDCCCXXXV, Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci amplexatus est; qua in societate pluribus muneribus perfunctus, episcopus Lucensis an. MDCCCLXXXV creatur, deinde ad Burgensem archiepiscopatum promovetur, et an. MCMVII in Sacrum Senatum cooptatur. Deniqne, post annos duos, in Toletanam sedem transfertur.

— d. XXV, Berolini, quo valetudinis recuperandae gratia se contulerat, moritur **Carolus Montagnini,** Archiepiscopus Larissen., Delegatus Apostolicus et Legatus extraordinarius apud Columbianam civitatem.

Eximia est virtus praestare silentia rebus,
At contra gravis est culpa tacenda loqui.

OVIDIUS.

ANNALES

Balkanicum discrimen.

Conflictiones Serbos inter atque Albanenses, quarum in superiore numero mentionem fecimus, horum clade, uti praevidere cuique licebat, clausae sunt; dumque alter alterum atrocium rerum accusat, inconsultus Issae Bolietinatz, Albani ducis, conatus Londinensis foederis re abolendi a Serbia Kossovo regionem auferendo, praeter inutilem hominum necem, id unum peperit, latens dissidium inter duos populos, quibus manent in posterum lati fines communes, circa quos tandem aliquando erit consentiendum. Interim Serbi Albanensium loca bello capta tenent, quamquam sperare iuvat brevi fore ut, Austrorum praesertim consilia sequentes, ab iis paullatim recedant.

Discrimina quoque Graecos inter ac Turcas componi videntur per pactiones, quae Athenis cum Turcarum gubernio recto tramite aguntur. Itaque, si per superiorem Octobrem mensem, nonnullos dies anxios habuimus, cum animis hodie sollicitudine satis refectis futura prospicere possumus.

***

Varia.

In *Lusitania* qui regis imperio favent periclitati sunt si possent in rempublicam vim facere. Frustra tamen; civile enim gubernium, a delatore quodam monitum, orientem seditionem brevi coercuit; quin etiam occasionem nactus est ut in adversarios acrius saeviret.

In *Mexico* populi legatis ac senatoribus in custodiam ex improviso datis, facile fuit Huerta illi factioso ad civilis gubernii praefecturam attolli. Aemulus eius, Diaz dux, ad fugam coactus est, Civitatum foederatarum Septentrionalis Americae praesidio nisus, quae proculdubio tantam Huertae proterviam non patientur ulterius.

In *Sinis* contra, novo facto periculo, Yuan-Sci-Kai reipublicae praeses pacifice electus est.

In *Germaniae* denique duabus civitatibus foederatis, quibus non regnum sed regni procuratio abhinc annos triginta erat, rex tandem datus est: Bavariam dicimus et Brunswick ducatum; pro quo «Federalis Coetus» leges an. MDCCCLXXXV et MCMXVII abolevit prohibentes quominus Cumberland domus, Hannover regens, imperii potestatem haereditate acquisitam et in ipso ducatu exerceret.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria,** quamquam expensarum rationes ab administro Engel expositae lacunam offerant, novae leges propositae de exercitu augendo.

In **Dania,** «conservatorum» factione frustra obsistente, regni constitutio aliqua ex parte est submutata.

In **Hispania** novum administrorum collegium suffectum, praeside Dato.

In **Italia** per novam suffragii legem habita comitia, gubernio favorabilia late cesserunt.

In **Russia** ab aerarii administro rogata lex contra omnium rerum sive vendendarum sive emendarum a privatis argentariis sibi factam potestatem.

In **Serbia** administrorum praeses Pasic de rerum, sive civilium sive exterarum, statu fusam ac prudentem orationem populi legatis dixit.

PER ORBEM

Die I mens. Octobris MCMXIII curruum series vapore actorum ad stationem Sosyka ferriviae Vladicaucasicae, ex ferreis axibus, nefarie, ut creditur, dimotis, exsilit et quassatur, magna cum viatorum caede.

Atrae procellae multa cum rerum et hominum iactura nunciantur e Gallia, Hispania exque Turcarum imperio.

d. II in Americana regione Panama vehemens fit terrae motus.

— d. VII Nome urbs in Alaska peninsula horrenda tempestate fere solo aequatur.

— d. X per Italiam omnem centenaria dies in qua Iosephus Verdius, musicae artis sidus nostrae aetatis maximum, Busseti in oppido natus est, sollemniter commemoratur. Mediolani in eius honorem, collata stipe ex orbe universo, monumentum exigitur.

Victoria Anglica navis *Volturno* in medio oceano incenditur, nec valent auxilia celeriter allata ut viatorum ducentos circiter a morte eripiantur.

— d. XI obstaculum ultimum per dynamitem tollitur quo impediebatur ne Panamensis isthmus in fretum converteretur.

— d. XIII nova arctica terra a Russica expeditione inventa nunciatur, eique nomen a Nicolao II Caesare impositum.

— d. XIV ex gasii improvisa incensione carbonis fodina *Universal Colliery*, ad decem millia passuum ab Anglica urbe Cardiff, ruit, cunicularios quadringentos miscre sepeliens.

— d. XVI in regalis aedibus Sancti Iacobi ad Londinum, De Fife Ducissa, Georgii Anglorum regis nepos, Arthuro, Principi de Connaught, nubet.

Curruum series vapore actorum recto tramite Manucio Liserpalum petens, ad S. Iacobi stationem superveniente altera invaditur. Nonnulli ex impulsu viatores necantur, alii vulneribus afficiuntur.

— d. XVII Vindobonae, ad monumentum in honorem Schwartzenberg principis erectum, coram Austrorum Caesare, Lipsiensis illius Teutonum victoriae centenaria dies sollemniter commemoratur.

— d. XVIII Germanicus aërostatus dirigibilis, a Zepelino fabricatus, ut alterum substitueret ad Heligoland die IX superioris mensis Septembris perditum, in caelum et ipse sublatus, flammarum misere praeda fit una cum omni militum manu.

In Nicaragua civitate vehementer terra quatitur.

Incendium per quinque dies productum Shanghai urbis dicitur septentrionalem partem omnino delevisse.

— d. XIX ad locum ubi centum abhinc annis Lipsiensis pugna pugnata est, coram Germanorum Caesare Saxonumque rege sollemni ritu monumentum dicatur.

— d. XX, turbo, post hominum memoriam Melitensi in insula violentissimus, immensa damna apportat.

Meridian ad urbem Americanae civitatis Texas, ex pontis cuiusdam ruina, curruum series vapore actorum militibus onusta in barathrum praecipitat. Viatores viginti mortui lugentur; ad centum vulnerati.

Madriti, sexaginta et septem annos natus, vita fungitur Alexander Pidal, vir civilis scientiae ac liberalium artium in Hispania praeclarus.

— d. XXII in carbonis fodina ad Stag Canon, Novi Mexici oppidum, ex improviso incendio ruina fit, unde trecenti prope cunicularii obruuntur.

— d. XXIX procellae in Hispania, Anglia atque in Vallesi Gallica regione ingentes ruinas gignunt.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Mons. Giacomo Maria Radini Tedeschi, Vescovo di Bergamo. *Il problema scolastico odierno, ossia pensieri sulla libertà e sulla religione nella scuola.* Seconda edizione riveduta e accresciuta notevolmente. Volumi due. — Indidem. (Ven. lib. 6).

Mons. Orazio Mazzella, Arcivescovo di Rossano. *Il libero pensiero.* Che cosa è. Che cosa fa. Che cosa dice. — Indidem. (Ven. lib. 4).

Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche per l'anno di grazia 1914. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

P. Francis Finn S. I. *Percy Vinn* (Seguito di *Tom Playfar*). Racconto americano per i ragazzi. Nuova edizione illustrata. — Indidem. (Ven. lib. 2).

Antonino Eymieu. *L'Ossessione e lo Scrupolo.* — Trattato teorico-pratico di cura dellà nevrastenia, psicostenia, ecc., secondo la recentissima concezione Janet-Eymieu, ad uso degli ammalati, medici e confessori. Serie II del «Governo di sè stesso». Unica traduzione italiana autorizzata dall'autore ed eseguita sulla decima edizione francese per cura di N. T. - Romae edid. Desclée et Soc., 1913. (Ven. lib. 3,50).

AENIGMATA

I.

Duritie cingor, quamvis sit mollis amicus;
Os mihi dat vitam, dat caput atque nemus;
Sum pallore madens, niveo fuscoque colore;
Me pallens adhibet, candidus, atque niger.
Me, comitum stipante manu, ad fastigia montis
Ducor, ubi involvit me cito silva frequens.
Confusum mordere nemus tunc dente valebo,
Fulgebit corpus quum sine labe meum.
Quando ego multiplici motu instrumenta fatigo,
Dentibus actutum tunc datur esca meis.
Dum vario silvam serpit par infima gressu,
Pars suprema mei de idiosa iacet.
Desertura suos domini quum planta penates,
Tunc radios premit in vertice prompta manus,
Motibus innumeros, non tardis, protero calles;
Ut mea frons niteat, postea iorde lavor.

Augustinus Epiro.

II.

II. (vulgo REBUS):

P res A res C res E

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem *(Roma, via del Governo Vecchio, 96)* miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine vertit IOANNES BATTANI).

Aenigmata an. XVI, n. VIII proposita his respondent:

I) **Remus;** II) **Plus minusve adversa subferimus.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Lud. Bernard, *Gratianopoli.* —Iac. Hobban, *Segubio.* — Hier. de la Plana, *Hispali.* — Carm. Zlinczky, *Cracocia.* — P. Prado, *Venetiis.* —Iac. Costa, *Dumio* — F. Arnori, *Mediolano.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Diomedes Falva, *Constantia.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Vinc. Starace, *Neapoli.* — B. Ferraris, *Augusta Taurin.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — Io. Martius, *Philadelphia.* — F. X. M., *Drepano.* — R. Ricci, *Florentia.* — Lad. Thysseu, *Dresda.* — Nic. Endrigi, *Salisburgo.* Lud. Gonx, *Bituricis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Claudius Lucensis. — R. Richi, *Traianopoli.* — Mart. Dunne, *Neo Eboraco.* — Rich. Muller, *Bevolino.* — F. Correa, *Emerita.* — Alois. Geyer, *Ratisbona* — St. Lowinski, *Zerkow.* — Nic. Lagumina, *Panormo.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — Raim. Silvau, *Londino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Alb Kain, *Dublino.* — Aug. Bounin, *Aureliano.*

Sortitus est praemium:

ALOISIUS GEYER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus

Romae. — Officinae *Societatis Editricis Romanae.*

AD ROMAM

14)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

II. Miles.

Diu pugnatur, anceps certamen fuit,
Cruore tellus undique diffunditur...

I. Miles.

Mirum! Quid accidet nostri si perderent?

III. Miles.

Erant sed multi christiani milites...

I. Miles.

Cur imperator ipsos sic insequitur?

III. Miles.

Ut ipsi ad arma cursitant et alacres
Gerunt in pugna martiales spiritus,
Ut imperator ipsos et defenderet!
(*Adcurrunt undique cives*).

II. Miles.

Adsunt frequentes magis cives cupidi,
Ad forum concurrunt festino tempore,
Si quid de bello nuncii pervenerit...

I. Miles.

Quam curiosi Romae sunt istoc saeculo!
Alienas res curant studio maximo,
Suas vero magna tractant incuria.

II. Miles.

Erant ut olim Graeci, sic Romae vivitur.
Miselli currunt ut sciant et referant,
Solent sic praeter propter vivere vitam.

III. Miles.

Eorum causa tota in nobis posita,
Et actitatur ab alienis manibus.

IV. Miles.

Nobis sunt servi!

II. Miles.

Sed dicuntur domini.

I. Miles.

At opportune!

II. Miles.

Quid?

I. Miles.

Fecialis venit.

Scena II.

Fetiales et Dicti. (*Hi adcurrunt ad supervenientem*).

I. Miles.

Quid fers de pugna?

II. Miles.

Quid de Maxentio?

I. Fecialis.

Atrox fuit lucta, Romani, ad Tiberim,
Favens in primis armis est propitia.
Ipse imperator pugnat ut gregarius,
Suosque dirigit bellantes milites.

I. Civis.

Deus sit ipsis auxiliator optime!
Queat redire praecinctus victoria.
Deus pacem donet cunctis in posterum!

I. Fecialis.

Feroces adsunt animis atrocibus
Et ipsae copiae sociorum militum,
Circa Maxentium pugnant quae fortiter.
Acies novae lassis ferunt auxilium,
Et inter sentiunt cum clamore maximo
Morientium voces et clangorem buccinae.

I. Civis.

Venit sed alter!

II. Civis.

Quid refert?

III. Civis.

Quot funera!

II. Fecialis (*introgrediens*).

Magnum, Romani, vobis funus adfero.
Pius, felix et Augustus Maxentius.
In flumen nuper cecidit miserrime
In armis pugnans multis cum militibus.
Heu! Quot pugnantes sunt submersi milites,
Suam qui mortem vindicarunt acriter;
Sed inter fluctus periere fluminis!
Ferox et atrox et in primis eminens
Adest in pugna Constantinus aemulus;
Suis stat imperans mediis in copiis.
Mox mox in Urbem mandat introgredier. (*Exit*).

(*Sequitur in pag. seq.*).

Scena III.

(*Magna hominum confusio: sunt* Ethnici, *sunt et* Christiani, *qui huc illuc querentes cursitant: nunc exsultant, nunc vero aliqui novissima timent, tollunt manus et oculos ad caelum atque anxie inter se colloquuntur*).

Cives Ethnici.

I. - Quot uno clades in momento temporis!
II. - Erit quod Urbi fatum triste in proximum!
III. - Ei quid reddit imperator nuperus?
IV. - Quot una civitas simul videt funera!
I. - Nondum sed intulit quanta ipsa gentibus.
II. - Estne christianis fautor an ethnicis?
IV. - Iuvat vero rebus inservire strenue!

Cives Christiani.

I. Sit unum nobis; liberetur Pontifex,
Ne forte a ceteris quis nos praeoccupet,
Eum confodiat furore percitus.
II. - Heu! qui tumultus, spiritus commotio,
Vexatio civium!
III. - Rerum direptio,
Urbes cum militum capiuntur turbine!
II. - Praefectus filium quaesivit impiger
Apud custodias... semper inaniter.
III. - Eum mactasse fraudulenter autumat...
IV. - Foret nobis malum et relligione grave!
II. - Maxentius «bonus» profecturus dixerat
Sibi servari victimam placabilem.
Intelligens vafer nostrum Pontificem.
III. - Erat quis sanctior nostro Melchiade?
IV. - Quis scit an positi rerum in angustiis
Eum mactaverint furentes augures?

(*Interea novi homines agglomerantur, inter quos Vegetius*).

Scena IV.

Vegetius et Dicti.

Vegetius.

Dolor gravis, milites, nobis, quod dedecus!
Est omnis unica Christianis gloria.
Ut ille dixerat noster Maxentius,
Fuit malorum omnis causa et ratio,
Eorum turpis et nefanda pravitas.
Si Romam saepius pestis depopulat,
Fames, egestas, eluvies fluminum,
In omnes gentes vocarunt hi miserias.
Eos a terris radicemus funditus,
In unum locum congeramus corpora,
Et acervatim disperdamus pulverem.
Iuvat mactare primum sed Pontificem,
Iis ne praesens laeta sit victoria.
Ite ad custodiam, tollite Melchiadem.

Christiani Cives (*inter se*).

I. — Eum quis manibus possit eripere?
II. — Deus modo, Deus!
III. — Ceterum res perdita est!

Vegetius.

Et hîc in Foro sit placanda victima!
Sic ipse et omnis progenies pessima
Erunt militibus iusta funebria.
Ite vos, fortes, perfidos colligite,
Et omnes sentiant vindictae gladium.
Sunt senatores, sunt plerumque divites,
Faventes hostibus Romae nunc turpiter.
Hos vos mactate, tundite vos, plectite,
Nec unus restet Romae nunc incolumis:
Onus sic vindicis populi ipsi sentiant!
Vobis est, milites, ferre consilium.
Quid est agendum? Quid?

I. Miles.

Ruat patritiis
Turpiter agentibus vindicta sanguinis!
Furor noster gravis Christi discipulis!
Iis sit atra mors, funus indubium...

Vegetius.

Vos arma ferte, ferte faces, gladios...
Sic igne cuncta sunt lavanda sanguine!

(*Magna exoritur militum seditio, quum audiuntur buccinae et voces longe adclamantium. Milites tunc admirati sistunt quasi novarum rerum exitum exspectent. Christiani moerore confecti haec inter se colloquuntur:*

Christiani.

I. — Quis at salvabit sanctum Pontificem?
Ab istis belluis erit quis incolumis?

V. — (*nuper ingressus*).

Non est inventus ad Mamertum Melchias.
III. — Forsitan est ipse solutus de vinculis?
IV. — Aut missus in flumen?
I. — Confossus?
II. — A carnifice?
VII. — Quis est anxium pectus angustiis!
Tuis esto, Christe, spes una filiis.

Scena V.

(*Propius buccinae canunt, et nox, in magno omnes silentio compositi,* Constantinus *adparet. Est sagatus; stant circum multi milites,* Publius, Scipio, *aliique senatores*).

Publius.

Hace magna civitas regina gentium,
Gravi malorum nunc perculsa cumulo,
Tuos ad pedes provoluta supplicans
Agit tibi gratias divisque maximis;
Velis precatur urbem triumphans ingredi,
Ut olim consules onusti spoliis,
Solebant victis orbis provinciis.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. Francesia.

Ann. XVI. ROMAE, Mense Decembri MCMXIII. Num. XII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Adulfus Harnack contra miraculorum possibilitatem.
Quaestiones philologicae. Ad Catull. XXXI, 13. *Vos quoque lacus undae.*
De Leone XIII P. M. commentarius.
Selecta ex bibliothecis et archivis. M. Antonii Mureti oratio de via ac ratione tradendarum disciplinarum.
Colloquia latina. Refectio scholastica.
Tibicines natalitii.
Paroemiae sive Adagia. In vino veritas.
Acta Pontificia. Motu proprio de officiis aliqua ex parte modo ordinandis.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione Sacrorum Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones — Pontificiae electiones. — Varia.
Annales. In Europa orientali restituta pax. — Mexicanum civile bellum.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmatum solutio.
Appendix: Ad Romam.

Fasciculo hoc, per quem contractae a nobis cum sociis anni MCMXIII obligationes absolvuntur, ***VOX URBIS*** *commentarius edi desinit.*

S. R. E.

ADULFUS HARNACK
CONTRA MIRACULORUM POSSIBILITATEM

Concilium Vaticanum (1), de actu qui *credere* dicitur, loquens, ait: « Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis *miracula* et prophetias, quae quum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata ». Ad assensum fidei igitur infirmandum, Positivistae et Modernistae, uno agmine facto, contra miraculi possibilitatem insurgunt. Inter Modernistas qui miraculum impugnant, Loisy et Leroy eminent. Primus scribit: (2) « Miracula, si non demonstrentur historice, et historice nequeunt demonstrari, quia omnipotentiae et scientiae Dei testimonia esse existimantur, non amplius miracula sunt, atque respectu ipsius fidei rursus, peculiarem huiusmodi significationem amittunt ». Mens Loisy est, miracula esse reiicienda, quatenus divinae scientiae atque omnipotentiae testimonia directa retineantur. Miraculum — ait Leroy (1), — non est derogatio a legibus naturae, sed e contra manifestatio legis superioris, vi cuius materia spiritui subordinatur; siquidem nihil est aliud nisi actus quo spiritus hominis, modo intensissimo agens, suam supra materiam potestatem recuperat.

Prae ceteris, miraculorum possibilitatem impugnavit Adulfus Harnack, Berolinensis athenaei doctor, qui in libro « *Das Wesen des Christentums* » (2), « invincibiliter nobis persuasum est, — scribit — dari utique *mirabile* et *obscurum*; at nulla dari miracula ».

***

Professor Berolinensis ad miraculorum possibilitatem denegandam hisce ducitur motivis: *a)* Vires omnes inclinationesque naturae simul sumptae a nullo homine adhuc cognoscuntur. — *b)* Omnia legibus universalibus atque naturalibus motus sunt subiecta. — *c)* Naturae cursus omnino inviolabilis est. — *d)* Fortis voluntas atque firma fides, quum in vitam ipsam corporalem influant, phaenomenorum, quae nobis miracula videntur, causa esse possunt.

Instituamus paulisper criticam argumentorum doctoris Harnack.

Nihili facimus assertionem illius, esse nempe « invincibilis persuasionis » quod miraculum non datur. Siquidem ex alicuius invincibili persuasione ad veritatem amplectendam vel reiiciendam minime movemur, sed ex sola argumentorum adductorum soliditate. Rursus, inter sapientes, multi « invincibili persuasione » moventur, tum ad possibilitatem miraculorum, tum ad vera miracula admittenda. Neque silentio praetereun-

(1) *Denzing.* 1639.
(2) *Simples Réflexions*, p. 170.

(1) Cf. TANQUEREY, *Additamenta ad Synopsim Theol. - De Modernistarum doctrinis I Praecipui Modernistae in Gallia.*
(2) Leipzig, 1900, n. 16- 8.

dum est aliquando invincibilem persuasionem hominis cuiusdam in apertum incidisse errorem.

Sed ad argumenta in particulari descendamus:

I. — Falsum est neminem inclinationes vircsque naturae cognoscere. Quemadmodum enim rerum corporearum essentiae, ita et earumdem rerum corporearum leges physicae a sapientibus in scientiis physicis peritis cum certitudine cognoscuntur; hodie praesertim, cum natura corporalis quacumque ex parte scrutetur, continuusque progressus in disciplinis physicis habeatur. Nonne a positivistis, « scientiarum exsperimentalium » certitudo, continuo scientiae theologicae opponitur? Deinde lepide animadvertit Pesch (1): « Quamvis nesciamus ad quos terminos ars medicina pertineat, certo tamen scimus, medicos unica vocula ossa confracta restituere non posse, nec mortuos ab inferis revocare ».

II. — Omnia - arguit secundo, - legibus universalibus atque naturalibus motus sunt subiecta. Libenter doctori Harnack concedimus, omnia legibus universalibus atque naturalibus motus esse subiecta; sed hic nova exsurgit quaestio, idest, cui motus ipse, ipsaeque leges universales naturalesque subiecta sint. Certe nonnisi ipsimet Deo. Motus enim quum sit successio quaedam esse et non esse, et in ipso sit principium et finis, neque est, neque aeternus esse potest. Necesse est igitur quod primo moventi omnino immobili, idest Deo, subdatur, tamquam instrumentum, quo Deus in infinita varietate, unitatem harmoniae conservat. (2) Instrumentum autem subditur principali agenti, ideoque Deus potest ad libitum dispensare aliquam legem motus in particulari inspectam, in qua dispensatione miraculosa operatio consistit. Neque timendum est, ut ex hac divina dispensatione, totus universi ordo tollatur; Deus enim « faciendo praeter cursum naturae non removet totum ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius; sed ordinem alicuius particularis causae ad suum effectum ». (3)

III. — Cursus naturae omnino inviolabilis est, — arguit tertio Berolinensis Professor. — At falsum est cursum naturae non posse a Deo violari. Deus enim, — animadvertit Prof. Walther (4) — legibus naturae alligatus, non est amplius Deus; neque manus Dei, — cuius interventum ubicumque tum in vita, tum in morte Harnack recognoscit, — supra leges naturae constitueretur amplius. Audiatur Angelicus: (5). « Deus potest facere contra ordinem, qui est unius creaturae, ad aliam, quod est quasi naturae particularis respectu ipsius. Cursus autem naturae est secundum ordinem unius creaturae ad aliam, et ideo contra cursum naturae Deus facere potest ».

Miraculum rursus non est legum naturae violatio, sed potius naturae cursus quaedam modificatio. Porro si aliquo in sensu, homo naturae cursum modificare potest; si naturae vires quodam modo potentiae humanae subiectae sunt, multo magis Deus, qui omnipotens est, naturae cursum modificare naturaeque vires sibi subiicere per miraculum, novo potest modo. (1)

IV. — « Fortis voluntas atque firma fides, quum in vitam ipsam corporalem influant, phaenomenorum quae nobis miracula videntur causa esse possunt ».

Mirandum sane, quod doctor Harnack voluntati humanae tribuat, nonnullorum phaenomenorum vires naturae excedentium causam esse posse, simulque potestatem huiusmodi Voluntati divinae, quae efficacissima, omniumque legum humanarumque voluntatum domina est, deneget.

Concedimus libenter effectus quosdam miros, naturae vires nonnisi apparenter excedentes, per voluntatem alicuius agentis in alterius phantasiam causari posse; nunquam tamen visum est, per *voluntatem*, nedum *fortem*, imo *fortissimam* alicuius hominis, vel per *fidem solidissimam* eiusdem mortuis vitam fuisse redditam.

Reginaldus Fei O. P.

(1) *Instit. Philos. nat. Cosm.* l. 4 n. 649.
(2) Lepidi. *Elem. Philos. Christ. Cosm.* v. 3. Sect 3 c. 1.
(3) S. Thom. *de Potent.* q. 6 a 1. ad 7.
(4) *Ad Harnacks Wesen de* 3 *Kapitel.*
(5) *De Potentia* q. 6. a. 1. ad 3,

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Ad Catull. XXXI, 13: *Vos quoque lacus undae.*

Quum hosce per dies Cartosii opusculum prae manibus habuerim, in quo auctor, nimium putido scribendi genere usus, in vexatissimum Catulli versum 13 carminis XXXI diligenter inquirit, novamque lectionem proponit, ac mecum ipse consideraverim quantum in illo ad fidem codicum corrigendo, a praeclaris viris elaboratum sit, diu anceps fui, numquid in disputationem rursus eum deducere iuvaret ac meam quoque qualemcumque sententiam expromere.

En huius scripti origo. Minime vero id mihi sumo, fore ut lectio proposita probetur; sed cum in coniciendo plus minusve spatiari liceat, illaque vero demum coniectura excipiatur quae magis sit veri similis, non displicebit si quid ego sentiam, vel potius quomodo velim versum restituere, hic brevi afferam.

Catullus, rediens ex Bithynia, postquam Memnium praetorem comitatus erat, laetus quod demum patriam optatam revisit, Sirmionem vehementius commotus salutat, *paeninsularum, insularumque ocellum*, prope ripas Benaci, ubi eius villula surgebat. Tunc gaudio perfusus, quippe qui demum possit desiderato lecto acquiescere, agentem eam aut loquentem inducens, exclamat:

Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete, vosque, o Lydiae lacus undae:
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

(1) Cf. *Schweizerische Rundschau* 1902 p. 5-6.

Non uno modo versus 13 legitur. Sunt qui optimorum codicum Oxoniensis (O) et Sangermanensis (S) auctoritate nisi, qui ex Veronensi amisso exscripti sunt, ut inter doctos constat, quorum vero alter lectionem habet Ljdie, alter Lydie, in integrum illud nomen restituendum esse censeant, scribantque Lydiae, scilicet ita locum intelligentes: Catullum Lydii lacus undas meminisse, quod olim prope litora Benaci habitarent Tyrrheni, qui illuc migraverunt postquam Lydii, quibus Tusci erant propinquitatis vinculis adstricti, quippe cum Tyrrhenus Lydusque Atye rege, ut admonet Tacitus, ann. IV, 55, geniti essent, in Asia suas sedes collocantes, patriis in sedibus resederunt. Inter eos qui huic lectioni astipulati sunt, Ellisium (1) tantum nomino et Friedrichium (2), quorum alter affirmat nihil contra decoris artisque leges Catullum commisisse Benacum lydium appellando seu tuscum, quum vel apud Ciceronem « Lydius haruspex » inveniatur, scilicet e tusca natus origine (3); alter vero, *Aen. X*, 201, ac Tacit. *An. IV*, 55, allatis, contendit verbum « Lydiae » nihil offensionis, nihil modesti ac putidi habere, nullam quaesitam doctrinam sapere; quin immo ita esse opportunum, ut vel aliquid arguti in eo inesse dici possit. « Quod si Catullus ex Asia minore redit, ubi erant Lydii, Phrygii, Bithynii, Mysii, quorum nomina singulos in dies resonabant, ecquid mirum si Lydium lacum is appellavit, quum id ex mentis cogitatorum complexu processerit, et rerum ac gentium vicissitudines in concitato animo poëtae vehementissime egerint? Nonne id simplex et venustum est? Nonne idcirco carior Catullus? »

Ita fere Friedrichius iudicat; sed eius argumenta non defuerunt qui iam pridem diluerent ac refellerent, inter quos praecipuam laudem Iacobo Girio (4) tribuendam esse censemus, qui his utitur verbis: « Lydiae, a Lydis, a quibus Etrusci orti erant, qui Veronam incoluerunt et regionem proximam (cf. Liv. V, 33; Tac. *An.* IV, 55), huiusmodi esse verbum, quod commotum incensumque animum deceat, nemo affirmabit. Atque etiam admodum dedecet, si a tali animi statu nihil est tamen aversum quam exquisita doctrina... ».

Qui enim « Lydiae » legendum esse censent, parum mihi videntur perpexisse, primum quod redeuntis animum commovere possit, eiusque intimas quasi fibras poscere, non esse loca ab antiquis gentibus habitata, non fictas veterum fabulas de origine ac situ orbis, non monumenta, non rerum veterum memoriam; sed ea quae in rerum natura sunt admirabilia, idest amoenitatem locorum, montes vestitos, florum omnium varietatem, opimas fruges, caelum tenue ac purum, aquarum fluxiones, et similia... Quae si ita sunt, quum venienti primum Veronam purus Benaci splendor occurrat, illius scilicet lacus qui veteres omnes scriptores vehementer commovit optimaque ab eis carmina expressit, quique vel renatarum litterarum tempore divino quodam afflatu haud paucorum poëtarum mentem concitavit, necesse erat Catulli ex Bithynia redeuntis animum aquarum superficie ac spectaculo commoveri, potius quam urbis ortum repetere. (1)

Quum autem « Lydiae » verbum hac in re minime deceat, en innumerae coniecturae propositae ad hunc locum corruptum restituendum; quarum si quis notitiam habere velit, illum Girii librum perquam laboratum et doctum adeat, quem mox memoravimus.

Quantum scio, postquam hic liber vulgatus fuit — in quo auctor pro « Lydiae » *intimae* coniecit, — exceptis scilicet illis editoribus qui codicum lectionem retinent ac servant, duas novas coniecturas allatas video, quarum altera est Bignonii, qui *inclytae* (2) legit, altera denique D. Cartosii, (3) qui *obviae* legendum esse proponit. Non nego quin istae lectiones veri similes videantur et nescio quid arguti ingeniosique habeant; sed mihi non satis probantur.

Nunc vero ad meam venio. Ego quidem propono *vitreae* et sic vexatum versum lego:

Gaudete vosque, vitreae lacus undae.

In primis animadvertendum est, lectionem *vosque* pro *vos quoque* iam ab optimis sane Catulli editoribus acceptam esse, cum *que* et *quoque idem aliquando significent* (Vid. Girii loc. cit.) Neque hîc afferre licet et exempla ipsius Catulli (c. CII, 3) et Propertii (IV, 21, 15) quae id luculente testantur quaeque iam a litteratis viris pro debita ratione perpensa sunt. Quod vero ad epitheton *vitreae* attinet, apte mihi in undas videtur quadrare. Quid enim magis Catullum commovere et incendere poterat, nisi aquarum vitrearum aspectus, qui fere hîc supervacaneum est quaerere quoties illum, in patriis finibus morantem, magnopere commoverit? Nonne primus rerum color nostros capit sensus allicitque? Non undae *incitae*, non *intimae*, non *inclytae*, non *obviae* . . . redeuntem inflammare possunt, sed potius *vitreae*, ni fallor. Cur vero de omnibus coniecturis propositis valde probabiles Ellisius priores iudicat, *limpidae* scilicet Avanci, ac *lucidae* (4) B. Guarini? Ego autem *vitreae* potiorem existimo, pro paleographica ratione, ut mox demonstravero.

Vitreae epitheton, idest clarae, pellucidae, caeruleae, undis appositum, non dissonum est ab optimorum scriptorum usu, et *vitreae* (cum *i* ancipite) metaleptice

(1) *A Commentary on Catullus by Robinson Ellis.* — Oxford, 1889.
(2) *Catulli Veronensis liber.* Erklärt von Gustav Friedrich. — Teubner. Leipzig, 1908.
(3) Ilos quoque locos affert Ellisius: *Lydius Tibris* — Verg. *Aen. II* 782; Sext. *Lydia ripa* S. IV, 4, 6 (scilicet Tibridis); *Lydorum quidquid Etruscos incoluit fines.* — Hor. *Sat. I*, 6.
(4) Cfr. *De locis qui sunt aut habentur corrupti in Catulli carminibus.* Scripsit Iacobus Girii. Vol I. Augustae Taurinorum, apud Hermannum Loescherum. MDCCCXCIV.

(1) Haud bene videtur id Pascolius explanasse (*Lyra*. pag. 75), quippe qui « Lydiarum undarum » recordationem ac memoriam perappositam iudicaverit, tamquam si undae, leniter strepentes, de scenone gentium visarum poëtam revertentem commoverent!
(2) Cf. *Riv. di Fil. class.* Luglio 1910, fasc. 3, a. XXXVIII (Collectanea latina).
(3) *Vos quoque lacus undae.* Ad Cat. XXXI. 13. Typis Societatis Artium Graphicarum, Aquilae, MDCCCCXII.
(4) Haec eadem lectio accepta est etiam a Bergkio (*Philolog. XVI*).

sumitur pro claris, pellucidis, caeruleis, etc. (Forcellini - *Lex. tot. Latin:* - Vitreus - vitri colorem referens, clarus, pellucidus,... — Saepe tribuitur aquis).

Cuius rei haec pauca exempla satis habe:

Verg. *Aen.* vii, (759):

Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda
Te liquidi flevere lacus. . .

Horat. Lib. III. *Od.* xiii, 1:

O fons Bandusiae, splendidior vitro.

Auson. *De clar. urb.* xiv, 30:

Salve fons... vitree, glauce, profunde, etc.

Apul. v *Metam.* 1:

Fons vitreo latice pellucidus.

Denique *Vulg. Interp. Apoc.* iv, 6, et xv, 2:

Mare vitreum. (1)

Reliquum est nunc ut lectionem *vitreae* ad trutinam paleographicae rationis breviter perpendamus ac tueamur.

Probabile enim mihi videtur *vitreae* epitethon, quod esset ab initio, in Lydiae seu Lidiae conversum esse, quum facile *l* et *v* ab imperito librario confundi possint; quae res eo facilius apparet, quo « vitriae scribitur vel pro vitreae ». (2)

Ex *vitriae* ecquis dubitat quin *lidiae* oriri potuerit, cum *t* in *d* mutetur interdum in scribendo, et *r* primo itteris imminutis superpositum, deinde gradatim ac sensim elisum evanuerit?

Vitreae (vel *vitriae*) = *lidriae*, *lidiae* = *lidiae*.

Neque vero obici potest, a *vitreae* apposito optimam Latinitatem abhorruisse: exempla hucusque allata contra testantur. Quod si vergilianum melius ac propius perspexerimus, in quo et *vitrea unda*, et *liquidi lacus* verba adhibentur, nonne erit qui in eo tamquam Catulli vocem repercussam inaudire posse credat?

Haec habui quae dicerem de Catulli versu 13, carm. xxxi; videant alii si quid veri simili dixerim.

Beneventi, a. d. vi kal. Decemb. mcmxiii.

M. Galdi.

(1) Ex illis qui, renatarum litterarum tempore, Benaci amoenitatem magnificis versibus celebraverunt, placet hic tantum P. Bembum commemorare qui, in suo carmine cui titulus Benacus, vitrearum lacus undarum mentionem inicit:

Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas
Muscoso subter pendentia fornice tecta
Atque Dei tactis implevit vocibus aures . . .

(2) Cf. Forcel. *vitreus* et *vitrius*. — Inscript. apud Donatum 335, 5 Opifex artis vitriae. Eodem modo vitrarius, vitrearius, vitriarius. Alii legunt vitriarius, alii vitrearius.

Quidquid dicturus es, antequam aliis dicito tibi. . . Qui nesit tacere nescit loqui.

Senec., *de moribus.*

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS (1)

Longa est et aspera de puerili institutione apud nos contentio. Quum vero cuncta sibi agenda publica potestas adroget, quaerendum est quomodo parentes secure possint suos instituere liberos in iis praesertim quae ad religionem pertinent. Quid de hac novissima eademque perniciosa studiorum ratione sentiat apud nos invecta, qua cura sit res agenda, quam plurimum praeceptionibus atque eruditioni optimorum exemplarium dandum sit, identidem doluit sapientibus verbis, quibus et ipse Quintilianus assentiret. Et quorsum res sit evasura, acerrimo iudicio scrutatur. In tot rerum difficultatibus erit populorum salus sapientia christiana. Quot sanctissima consilia de hac re ex eius pectore profluant, maxime exaudire iuvabit:

« Christiana sapientia, qua luce mirifica abundat, in omnium oculis niteat necesse est, ut tenebris inscientiae, quae est religioni maxime inimica, depulsis, veritas longe lateque se pandat et feliciter dominetur ».

Quadam die, quartodecimo kal. Iul. an. mdccclxxviii alumni sacrorum Perusii, provoluti ad Pontificis pedes, suum obsequium atque reverentiam, profusis gaudiis, profitebantur. Quibus ita respondit: « Quantam hodie iucunditatem ac solatium ex conspectu vestro animus Noster capiat, iuvenes dilectissimi, satis verbis promere et significare non possumus. Cum enim semper et maxime cordi Nobis fuerit studiosa iuventus, praesertim quae in spem Ecclesiae succrescens, ad christianas virtutes, litteras, scientiasque instituitur, cumque medios inter Perusini Seminarii ephebos, per triginta et amplius annos, frequenter libenterque versari consuevimus; optatissimus Nobis erat, postquam Divino consilio Petri Cathedram conscendimus, vos etiam praesentes cernere, et paternis vos compellare verbis, novellae Ecclesiae plantationes, electa germina sacerdotum . . . . . Adnitendum est igitur primo, ut singulorum animi mature ad pietatem formentur, virtutem sequantur, eamque ab adolescentia vitae rationem ineant et servent, qua sanctis sacerdotum muneribus obeundis pares exsistant ».

Atque in eodem semper proposito insistens, id unum exoptat ut a nostris scholis illi philosophi absint, qui non solum suis se acuminibus compungunt, quique nimia subtilitatis affectatione frangunt et concidunt quod est in oratione generosius, et omnem ingenii succum bibunt, atque quod foedius est, a veritate aberrantes in errores misere labuntur. Italos omnes et universos orbis terrarum sapientiae cultores ad purum doctrinae fontem, revocare studet in imitationem omnium philosophorum principis, S. Thomae Aquinatis. Plurimum enim conferet immensa illa doctrinae seges ab Aristo-

(1) Cfr. num. sup.

tele petita, quam ipse aetate maturior cum civibus suis ita communicavit, ut merito dictus sit philosophiam a Graecis ad christianos transtulisse.

« Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractavit; de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque absurusa quoque explicandi facilitas desideretur ». (1)

Cum veritatis christianae osores, veluti agmine facto, in historiam se se conferunt, et insanum in modum Ecclesiam lacessunt, Pontificatum Romanum misere calumniis deturpant, Ipse omnes ad sinceros historiae fontes nos adducit et reapse ostendit qua arte et pervicacia sint illi integritatem adorti, ut arma illa ipsa quae essent ad propulsandas iniurias optime comparata, ad inferendas detorserint. « Ex Pontificibus Maximis vel ii, quorum virtus excelluit, saepe notati vituperatique perinde ac cupidi, superbi, imperiosi; quibus rerum gestarum gloria invideri non potuit, eorum reprehensa sunt consilia: illaque audita millies insana vox, de ingeniorum cursu, de humanitate gentium male Ecclesiam meruisse. Nominatim vero in civilem romanorum Pontificum principatum, libertati maiestatique eorum tuendae, non sine divino consilio institutum, eumdemque et iure optimo partum et innumerabilibus benefactis memorabilem, acerrima maledictorum falsorumque crimina tela conjecta ». Quid ea urbanitate ac paene poetico colore exultantiaque pulcrius, qua nihil rerum novitate pressius, hac novos nostri temporis mores nativa omnino facilitate describit?

Ad omnium pulcherrimum opus nunc demum advenio. Quis de scriptoribus nostrae aetatis securius egit et nobilius disseruit de opificum conditione? Quis aptius in medias quaestionis res lectorem deduxit? Quis melius intellexit publica privatis secernere, sacra profanis et huius certaminis gravitatem difficultatemque cognovit et miseras opificum conditiones magis graphice pinxit atque ante oculos commodius explicavit? Quis opportunius remedium et magis efficax praebuit? Optandum tamen ex eius sententia in primis ut Christianorum opificum mores ad bonam frugem atque ad catholicas societates pertrahant sodales, qui impiis collegiis sunt adscripti. Novisse iuvabit quam lucide et quam perspicue signat quae sint miserandae opificum conditionis causae.

(1) *Enc. Rerum novarum* d. 15 Maii 1891.

« Nam veteribus artificum collegiis, superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem; huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint. (1)

Ita Pontifex, voce et scriptis ad opifices conversus, de eorum conditione iterumque remedium exhibuit, quod quidem prudentissimo cuique probatum iri est sperandum.

Est Romae posita nuper apud aedes Lateranas marmorea statua in honorem Leonis XIII. Adest Pontifex in editiore loco in habitu formaque regali prae manu immortales illas Litteras portendens, quibus opificum rationes mirum in modum pertractavit. Adsunt et opifices, qui in amoris signum ac grati animi, Ei gratulantur et pro munere gratias agunt et bene merenti maiores referre videntur. Si aliquando per temporum conditiones libeat, vellem quemadmodum ut Miltiadi olim, qui Athenas totamque Graeciam liberaverat, tributus est honos, ut in porticu quae Poecile dicebatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, isque hortaretur milites praeliumque committeret, in anaglyptis circum ponendis inter quotquot de opificibus in melius fovendis hac nostra aetate scripserunt, Pontifex Max. principem locum obtinere possit.

Ad haec si Pius IX ob insignem pietatem erga Matrem Augustam, quam immortali ritu omnis labis nesciam ab origine pronuntiavit, iure *Pontifex Immaculatae* vulgo adpellari meruit, Noster ob perpetuas itemque pias allocutiones atque epistolas De Mariali Rosario, quibus Christianos exhortaretur ut Beatam Virginem colerent, quae olim ad Echinadas insulas hostes Nominis christiani illustri victoria contrivit, a posteris si libeat quid mente arguere, cognomento merito salutabitur *Pontifex Rosarii*. Et in his conficiendis vel poetico colore vel dignitate nunc Ciceronem audis nunc Livium, quorum studiosus maxime videtur, vel quod ad sententiarum naturam, vel quod ad ingenium scriptoris, vividum quidem ac grandioribus rebus natum, accommodari oporteat genus dicendi. (2)

SUBALPINUS.

(1 *Enc. Aeterni Patris* — 4 Aug. 1879.
(2) Confer opellam cui est titulus: *Leonis Papae XIII ex Actis excerpta* in usum scholarum curavit Albertus Caviglia Sac. Sal.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

M. Antonii Mureti oratio de via ac ratione tradendarum disciplinarum. (1)

Plerique eorum, qui quotannis ex hoc loco verba faciunt, laudare litteras et ingenuas artes, vosque adolescentes optimi, ad eas toto pectore amandas, atque colendas exhortari atque instigare consueverunt. Quorum ego neque consilium reprehendo, neque tamen omnia in eo posita esse censeo. Nam, aut si quis bonae valetudinis commoda exponat, eaque dicendo amplificet atque exaggeret, et ad eam omni studio conservandam homines cohortetur, neque tamen admoneat, quo genere victus, quibusque exercitationibus ea maxime comparari ac contineri debeat, non valde utilis videri possit illius oratio; ita parum prodest, aut laudare eas artes, quas certe nemo usque eo perstrictae frontis est, ut vituperare audeat, aut ad eas cohortari eos, quos illarum studiis deditos esse constat, nisi indicetur etiam via, qua quis ad illas facillime ac certissime pervenire posse videatur.....

Quaenam igitur orationis meae futura materia est? quibus de rebus dicens hanc ornatissimorum virorum, atque hanc honestissimorum iuvenum coronam, quam ex ore meo pendentem video demulcere, et delinire conabor? Exponam breviter, ac perspicuo a carceribus, ut dicitur, ad calcem ei, qui semel imbiberit in litteris, et in bonarum artium scientia excellere, quam studiorum viam ac rationem tenendam putem. Quod cum facio, quidam ex vobis decursum iam a se, et confectum curriculum agnoscent; alii, quod iter ad veram gloriam ferat, me monstrante cognoscent. Attente, ut me audiatis, me orandos quidem vos esse puto. Frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa, de qua dicere ingredior, conciliaverit.

Principio igitur positum sit Graecae, Latinaeque linguae cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinae copiam, hoc quidem tempore plane necessarium. Id qui negant, aut quid verum sit non vident, aut contendendi studio in oppugnando eo, quod verum est, ostentare ingenii acumen volunt. Quare puer is, quem informare, ac describere ordimur, honesto loco natus, modicis opibus instructus ea corporis firmitate ut studiorum laborem perferre possit, ingenio neque agresti, et hispido, nec molli, et effeminato, sed eleganti, et ad honestatem propenso praeditus, sextum aetatis ingressus annum Graecarum, Latinarumque litterarum formas, nomina, potestatem, per ludum, iocumque condiscat, et id libentius faciat, non metu ac verberibus, sed praemiolis, quibus aetas illa capi solet, identidem excitetur. Ubi annum in eo posuerit, ut, et Graece, et Latine satis facile, atque expedite legat iam septimo primis illis, maximeque grammaticorum utriusque linguae praeceptis imbuatur, nomina, et verba flectere, ac variare, et inter se sine vitio coniungere, ac copulare discat. Huic uni rei annum septimum tribui velim. Octavo incipiat iam aliquid audire, aliquid legere, idque eiusmodi, ut, ad formandos mores, non nihil conferat, et voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Graecos excellunt Aesopi fabulae, et Phocydidis carmina; Latini talium scriptorum inopia laborant, nisi quis easdem illas fabulas ab optimis et eruditissimis viris, Latinis versibus elegantissime expressas, illi aetati proponendas putet, et addendum, si quod exiguum poema puris verbis vitae praecepta continens reperiatur. Biennium consequens, id est, novum, ac decimum annum, ita libentissime posuerim, ut puer et libros Xenophontis de institutione Cyri, quibus nihil purius, aut suavius reperiri potest, et Caesaris potissimum commentarios legat, qui mihi unus ex omnibus Latinis ad illam nitidissimam Xenophontis simplicitatem proxime videtur accedere. Undecimus annus comoediis detur, ita tamen, ut, ex Terentio, Plautoque, et multo magis ex Aristophane quidquid inquinare pueris animos potest, aut resecetur, aut omittatur. Quod idem de omni scriptorum genere semel a me dictum accipi volo. Duodecimo Theocriti, Moschi, Bionis Idyllia cum Vergilii Bucolicis, Hesiodus cum Georgicis, cum Aeneide utrumque Homeri poema copuletur. Neque hos libros totos a praeceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum cuiusque a praeceptore audierit, ut sine cortice quod aiunt, nare possit, quod reliquum est suo ipse privato studio persequatur. Hinc rei biennium suffecturum puto. Illud interea ad magistri curam, et sollicitudinem pertinet, ut puer loquendo quidem quotidie scribendo autem alternis saltem diebus exerceatur. In ipso pubertatis ingressu primum exercebo eum in eis, quae Graeci vocant progymnasmata, id est, praeludia quasi quaedam, et praecursiones ad eloquentiam, de quibus exstat aureolus libellus Theonis Sophistae, qui si quid ego auctoritate possem, quotannis exponeretur in scholis, et ad praecepta, quae illic traduntur, iuvenes perpetuo exercerentur.

Sed et hoc genus exercitationis, et omnis propemodum recta, et antiqua instituendae iuventutis ratio, non tantum intermissa iam pridem, sed oblivione obruta, ac sepulta est; quae si revocaretur, paucis annis existerent homines vere copiosi, et eloquentes: isti autem clamatores, qui nomen eloquentum gesticulatione pantomimica, et vocabilitate linguae, et impudentia sibi pepererunt, ita facerent ut eos audire nemo posset. Ita igitur exercitatus adolescens totum se Ciceroni dedat, iugiterque se in illum uberrimum, et abundantissimum eloquentiae fontem, retinens perpetuo illam, quam a principio instituimus consuetudinem, ut Graeca cum Latinis, similia cum similibus conferat. Ciceronis epistolas cum leget, evolvat eodem studio Platonis, Isocratis, Demosthenis, aliorumque Graecorum epistolas, quae in duo volumina congestae reperiuntur. Ad libros de Rhetorica scriptos adiungat Aristotelis libros eiusdem argumenti, quaeque eadem de re Dionysius Halicarnasseus, Demetrius Alexandrinus, Hermogenes, Longinus, aliique Graeci litteris prodiderunt. Ciceronis orationes, cum Demosthenis, Aeschinis, Lysiae, aliorumque veterum orationibus comparet: dialogos de philosophia, cum dialogis Xenophontis, et

(1) In orationis huius Mureti editione nonnulla omisimus, quae, e substantiali argumento exsulantes, a quaestionis cardine longius adducebant.

quibusdam Platonis, interea oblectamentum sibi ex alio genere poetarum petat, Pindarum cum Horatio, Euripidem, Sophoclem, Aeschilum cum Seneca, Apollonium, cum Valerio Flacco, epigrammata Graeca cum Catullo, et Martiale committat. Idem faciat in historicis, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium cum Livio, Sallustio, Tacito conferens. Et quoniam neque historia, nisi cognito orbis terrarum situ, neque hic sine aliqua mathematicarum artium cognitione percipi potest, his quoque utriusque temporis aliquid impertiat.

Cum ad plenam, ut iuris auctores loquuntur, pubertatem, id est ad annos octodecim pervenerit, graviora meditetur; ac primum quidem Analytices, et Dialectices praecepta non ex barbarorum lacunis, sed ex Aristotelis, et Graecis Aristotelis interpretibus hauriat, in cisque vere, ac serio biennium exerceatur. Hoc modo praecultus, ac praeparatus adolescens, si totam exigere in otio litterario volet, abunde habet quod agat: nunquam deerit quo pascat animum, etiamsi ei ad multa saecula vivendi spatium prorogetur. Sin aut ad Medicinam, aut ad Iuris scientiam, aut ad Theologiam applicare ingenium cogitat, medicus quidem futurus in Physicis, iuriconsultus in Ethicis, ac politicis, theologus in utrisque sese prius diligenter exerceat: hic tertius Hebraicas praeterea litteras discat, tum eorum quisque ad ea, quae dixi studia accedat. Quocumque enim se naturae suae ductum secutus contulerit, dubitandum non est, quin ut longissime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus adamasse dicitur, quique solus post senarium intra centum perfectus est, talis in suo genere futurus sit qualem in suo fuisse Roscium Cicero praedicat, qualem apud inferos esse Tiresiam ait Homericus Ulysses, quem solum sapere dicit, ceteros umbrarum in morem vagari.

Exposui vobis, adolescentes, iter non ad inanem scientiae opinionem, sed ad veram, et solidam eruditionem, arduum illud quidem, et difficile; sed cogitate nullo modo fieri posse, ut ad excelsa, et sublimia per plana veniatur: et alioqui credite hoc mihi summum in studiis laborem summa voluptate condiri.....

COLLOQUIA LATINA

Refectio scholastica. (1)

NICOLAUS. — Vivitis ne hîc laute?

PETRUS. — Quid istuc verbi est? An lavamur? Quotidie manus ac faciem, et quidem crebro; mundities enim corporis et sanitati et ingenio confert.

N. — Non id quaero; sed an edatis et bibatis ex animi vestri sententia?

P. — Nos non edimus ex animi sententia, sed ex palati sententia.

N. — Dico, an ut vultis?

(1) Ex colloquiis Io. Ludovici Vives passim retractavit nostrisque moribus aptavit I. F.

P. — Maxime, nempe cum fame; et qui vult, edit; qui non vult, abstinet.

N. — Surgitis a mensa famelici?

P. — Non omnino saturi. Nec expedit; belluarum est enim expleri; non hominum. Regem quemdam sapientissimum narrant nunquam sine appetitu accubuisse; nunquam surrexisse saturum.

N. — Quid editis?

P. — Quae habemus.

N. — Putabam vos esse, quae non habebatis! Sed quae sunt ista tandem quae habetis?

P. — Molestum percunctatorem! Quae dantur.

N. — At quaenam dantur?

P. — Ientamus de mane sesquihora posteaquam surreximus.

N. — Quando surgitis?

P. — Fere cum sole, qui est dux Musarum, et aurora, gratissima Musis. Silatum nostrum est frustum panis autopyri et paullulum butyri, aut fructuum aliquid, qualis anni tempus suppeditat.

N. — Nunquam ne potionem ex arabicis fabis, aut caldam cacaoticam exsorbitis?

P. — Coffea nervos offendit; potio e cacaone cocta debilibus divitum stomachis ministratur.

N. — Quid vobis in prandio?

P. — Olus coctivum vel pultes in pultariis; rapae modo, modo brassicae, similago, oryza; aliquid insuper carnium et fructuum. Tum diebus pisculentis, lac serosum in gabatis, e quo sit butyrum expressum, iniectis aliquot turundis panis piscis recens aliquis, si sit in foro piscario pretii tolerabilis; sin secus, salsamentum probe maceratum; hinc pisa aut cicera, aut lentes, phaseoli, aut alia legumina.

N. — Quantum cuique ex his?

P. — Panis, quantum avemus; obsoniorum quantum est satis, non ad explendum, sed ad alendum. Amplissimas epulas alibi quaerito, non in schola, ubi ad virtutem formantur animi.

N. — Quid bibitis?

P. — Alii frigidam et liquidam aquam, alii cerevisiam tenuem; pauci, et raro, vinum, idemque bene dilutum. Merenda, seu, si id mavis, anticoenium, est aliquid panis et amygdalarum, seu avellanarum, ficorum aridorum, uvarum passarum; aut, si sit aestas, pyrorum, malorum, cerasorum, aut prunorum. Quum vero animi gratia rus proficiscimur, tum habemus lac, vel liquidum vel coactum, et alia quae villa suggerit. Coenae caput est acetarium concisum, sale aspersum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuso. Tum in lata paropside aulicotia vervecina cum prunis passis aut radiculis, aut herbulis quae sint pro intrito: interdum tucetum saporis scitissimi.

N. — Quo condimento?

P. — Fame, omnium optimo et sapidissimo.

Hinc, certis diebus hebdomadis, aliquid assi, potissimum carnis vitulinae, haedinae aliquando in vere. Pro secunda mensa, raphani perpusillum, et casei non putris nec veteris, sed recentis, qui est, quam vetus, alibilior; pyra, mala persica aut cydonia. Diebus autem, queis carne fas non est vesci, habemus pro carnibus ova assa, frixa aut elixa: singula per se, aut in libum commixta; paullum interdum piscium, et caseo succedunt nuces.

N. — Quantum cuique?

P. — Bina ova singulis, et binae nuces.

N. — A coena nunquam ne comissamini?

P. — Quid? Censes ne porcos nos esse? Qui ventriculi, quae valetudo sufficeret post quaternas refectiones comissari? Heus tu, schola haec est, non saginarium!

N. — Licebit ne coenae vestrae interesse?

P. — Facile, modo venia petatur a praeceptore, quam scio illum daturum non gravate; nam solet; alioquin pravae esset educationis ingerere te convivio, inscio magistro; et qui te adduceret, nihil aliud, quam probrum et pudorem contraheret apud condiscipulos. Mane paullisper. — Magister, licebit ne, cum bona tua venia, puerum hunc mihi notum adhibere nostrae coenae?

Praeceptor. — Maxime; non erit molestus.

P. — Habes gratiam. - Ephebus hic, quem vides gestantem mantile pro focali, munere fungitur architriclini per hanc hebdomadem; nam hebdomadarios habemus hîc architriclinos, ut apud reges.

Architriclinus. — Laurenti, quota hora est?

Laurentius. — Horas non audivi a tertia, intentus compositioni epistolae. Florus melius id norit, qui toto hoc pomeridiano tempore librum non vidit, neque chartam.

Florus. — Amicum testimonium et apud magistrum iratum valde utilem! Sed qui potuisti tu id animadvertere, immersus (ut ais) compositioni epistolari? Plane malevolentia te coegit mentiri. Gaudeo profecto inimicum meum pro mendaci haberi. Si quid posthac voluerit calumniari, carebit fide.

A. — Non potero aliunde cognoscere de hora? Blasi, nonne tu habes horologium?

B. — Index signat iam sextam.

A. — Sextam vero?

Pr. — Sextam? Eia, pueri, agite; eia, consurgite et abiicite libros. Parentur mensae, insternantur; apponantur sedilia, mantilia, orbes, quadrae, panis. Famuli, dicto citius volate. Prome tu cerevisiam; tu hauri aquam, appone scyphos. Quid istuc rei est? Tam obnubilatos adfers? Refer in culinam ut fricentur et extergantur eo probe, quo sint nitidi et fulgentes. — Sunt parata omnia? Est aliquid quod nos remoretur?

A. — Nihil omnino.

Pr. — Ne postea facturi simus intervalla magna inter missus.

A. — Adsideatis. Tempus est, et propemodum coena corrumpitur.

Pr. — Pueri, abluite omnes manus et os. Vah! Quod mantile! Qui hîc se extergunt? Ubi mundantur? Curre, adfer aliud purius. Petre, novum quem attulisti convivam recipe apud te. — Expediat quisque cultellum suum, et purget quisque suum panem, si quid haeret vel cineris vel carbonum in crusta. — Sedete, quantum licet, laxe, ne comprimatis mutuo, quandoquidem satis est loci. Et tu, hospes, non habes cultellum?

N. — Mihi vero cultello non est opus. Dentibus frangam mordendo panem, vel digitis buccellatim comminuam.

Pr. — At est indecorum. Architricline, suppedita isti..... Quod habes nomen?

N. — Nicolaum.

Pr. — Coenae supellectilia huic Nicolao struas. Nicolae, ubi fecisti latinae linguae tyrocinium?

N. — Romae, in regio gymnasio.

Pr. — Optime quidem. Quam pridem ab Urbe venisti?

N. — Nudius sextus.

Pr. — Quam nuper coepisti studere?

N. — Abhinc annos tres.

Pr. — Non potest te profecto poenitere.

N. — Merito; nam habui magistrum doctissimum.

Pr. — Ecquem?

N. — Theodorum Nervium.

Pr. — Ah, virum quidem diligentem, eruditum, probum! Novi iam eum adolescentem in athenaeo, deinde habui collegam in pueris edocendis. At quid nunc agit Nervius noster?

N. — Dicunt eum agere athletam, non tamen athletice.

Pr. — Quid istuc rei est?

N. — Quia luctatur semper, sed parum fortiter.

Pr. — Cum quo?

N. — Cum suo morbo articulari.

Pr. — O palaestritum dolosum, qui primum omnium invadit pedes!

N. — Imo luctatorem infelicem cui ab adversario totum corpus per insidias constringitur!

Pr. — Sed tu quid agis? Qui l cessas? Videris huc spectatum venisse, non coenatum. Et vos, pueri, cur non tractatis hospitem comiter? Nicolae, praebibo tibi.

N. — Magister, excipio animo libentissimo.

Pr. — Iusculenta haec conglaciarunt. Fac, architricline, ut reponantur aliquantum in foculo mensario priusquam panem intingamus... Neque raphanus hic est esui; adeo est lentus. Quamquam lentorem non a macello, ut puto, attulit; sed hîc

contraxit, in nostro penore, qua cella nihil est penui incommodius. — Contra, coquus nimis indidit piperis et gingiberis in iure hoc, et in acetario nimium menthae, petroselini, salviae, erucae, nasturtii, hyssopi. Nihil puerorum et adolescentum corporibus aeque damnosum, ut cibi qui interiora fervefaciunt.

A. — Quibus igitur ex herbis velles confici?

Pr. — Lactucis, buglossa hortensi et portulaca... Heus! tu, Emmanuel, ne extergas labra manu, aut manica; sed simul ipsa, simul manum mantili; nam ideo tibi datur. Carnes ne attingas, nisi ab ea parte qua tibi es sumpturus. — Tu, Donate, non animadvertis te manicas tuas inficere pingui carnium? Reduc eas, si satis apertae sunt, ad humeros; si non sunt, corruga, vel complica ad cubitum: quae si relabantur, affige acicula. — Tu, dominaster delicatule, in mensam incumbis? Ubi id didicisti? In hara quapiam? Heus! subiicite eius cubito pulvillum! — Architricline, vide ne analecta haec pereant: repende in promptuarium. Famule, amove mensam: primum omnium salinum, hinc panem, tum lances, discos, mantilia, postremo mappam. — Heus, tu, Cinciole, ne sculpas dentes scalpello; nam est noxium: conficito tibi dentiscalpium pennula, vel bacillo tenui, acuminato, et scalpe modice, ne gengivas scarnifices et sanguinem elicias. — Consurgite omnes et abluite manus... Vocetur minister, ut pavimentum hoc scopis verrat. — Vos demum, pueri, ite lusum, et confabulatum, et deambulatum quo libuerit, dum licet per lucem.

TIBICINES NATALITII

Hos Italice dicimus *Pifferari*. Qui montani homines ex oppidis suis, in Samnii praesertim urbes mense Decembri adhuc adveniunt, et Iesu Pueri ortum rudibus suis cantiunculis celebrant.

Cum bruma horridulum refert Decembrem,
Et sacrae properant inire cursum
Venturo hebdomades Deo Puello,
En agros litui suos relinquunt,
Urbem ut carmine mulceant beatam.
Binos monticolas modo huc modo illuc
Discursare vides: acutus ollis
Galerus premit hispidum capillum;
Ad curtas male ludit usque braccas
Tritum palliolum; et subesse plantis
Ambigit solea adligata sure.
Unus ludere tibia peritus,
Argutos levior modos pererrat:
Inflans alter utrem tumente bucca
Alternoque simul reflans lacerto,
Gravis succinit usque et usque cannis.
Ergo pro tenui stipis lucello,
Ubi aut unctior advocat taberna,
Vel civis patet atrium potentis,
Vel sancto colitur tabella vico,
Novenis Puero Deo diebus
Rudem instant iterare cantilenam.
Sopitum excitat haec rubente mane,
Haec summo obsrepit, haec cadente sole,
Seu tu flaminiam negotiosus
Seu serus madidam teras suburram.
Io, monticolae boni, per urbem
Plebs cantum pia rusticum secundet:
Sic vestris utribusque tibiisque
Divinus faveat Puer, nec imus
Unquam pulmo neget ciere flatum,
Donec turgida sit crumena nummis.
Sed reges ubi venerint eoi,
Tum salvis liceat gradu citato
Ad larem et patrios redire montes.

H. N.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

In vino veritas.

Passim apud auctores usurpatum est hoc adagium, significans ebrietatem animi fucum tollere, et quidquid in pectore conditum est, in apertum proferre. Plinius (l. xv, c. 22) scripsit, vinum usqueadeo mentis arcana prodere, ut mortifera etiam inter pocula loquantur homines et ne per iugulum quidem redituras voces contineant: vulgoque - inquit - veritas attributa vino est.

Celebratur et Persae cuiusdam apophthegma, qui negavit tormentis opus esse ad exquirendum verum; vino enim rectius elici. Quod adprobans Horatius, in *Odis* scripsit:

Tu bene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, tu sapientium
Curas, et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo.

Idem in *Arte poetica:*

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus.

Rursum alibi:

Quid non ebrietas designat? Operta recludit.

Effertur et ad hunc modum apud Athenaeum (lib. II) paroemia: « Vinum et veritas » Quod largius poti non tantum effutiunt sua arcana, verum etiam audacius in alios loquuntur. Apud Plutarchum (in *vita Artaxerxis*) Sparamixas Mithridati per vinum quiddam insolentius elocuto: « Nulla quidem invidia est, o Mithridates, - inquit -; ceterum quando Graeci dicunt vinum et veritatem esse, etc. »

Celebratur quoque a Graecis sententia proverbialis, quae latine sonat: « Quod in corde sobrii, id in lingua ebrii ».

Theognis:

Aurum aut argentum fabris dignoscitur igni;
Vinum hominis prodens arguit ingenium.

Athenaeus, quem supra memoravimus, refert quoque de re (lib. X) Anacharsidis dictum, falsas scilicet opiniones temulentis accidere; ac mox narrat quiddam haud infestivum. Quidam e convivis dixerat Anacharsidi: « Uxorem duxisti admodum deformem ». At ille: « Prorsus - inquit - idem mihi videtur; sed, heus puer, porrige poculum meracius, ut illam faciam formosam ». Non solum igitur amanti, verum etiam ebrio quae pulchra non sunt, pulchra videntur, quemadmodum inquit Theocritus.

Quamquam qui potest dicere qui labatur rerum iudicio? Atqui veritas non semper respondet mendacio, verum interdum simulationi. Potest autem fieri ut ex animo loquatur qui tamen falsum dicat; et verum dicat qui non vere loquatur.

Postremo proverbium non sentit de insana temulentia, quae facit ut quae fixa sunt ambulare videantur, et quae simplicia videantur multiplicia; sed de moderata, quae dysopiam ac fumum excutit.

Alcibiades (in *Symposio Platonis*) scribit: « Quae vero nunc sequuntur, non prius audietis, quam proverbium illud recenseamus: « Vinum et cum pueritia et sine pueritia veridicum est ». Quibus ex verbis liquet, idem de pueritia, quod de vino iactatum fuisse. Atque durat et hodie vulgo tale proverbium, non audiri verum, nisi a tribus hominum generibus: pueris, ebriis et insanis.

Huc adscribendum quoque arbitramur versiculum illum proverbialem:

Verum solet prolapsa lingua dicere.

Nam verum esse creditur quod exciderit imprudenti quandoquidem id demum vacat fictionis suspicione. Ex huiusmodi lapsu colliguntur et omnia certioris fidei:

Saepe Neoptolemi pro nomine nomen Orestis
Exit, et errorem vocis ut omen amo.

Denique M. Tullius in *Topicis*, inter ea, quae certam faciunt fidem, commemorat pueritiam, imprudentiam, vinolentiam, insaniam.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO.

De officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis.

PIUS PP. X.

Abhinc duos annos, cum Constitutionem Apostolicam ederemus *Divino afflatu,* qua id proprie spectavimus, ut, quoad fieri posset, et recitatio Psalterii absolveretur intra hebdomadam, et vetera Dominicarum Officia restituerentur, Nobis quidem alia multa versabantur in animo, partim meditata, partim etiam inchoata consilia quae ad Breviarii Romani, susceptam a Nobis, emendationem, pertinerent; sed ea tamen, cum ob multiplices difficultates tunc exsequi non liceret, differre in tempus magis commodum compulsi sumus. Etenim ad compositionem Breviarii sic corrigendam ut talis exsistat, qualem volumus, id est numeris omnibus absoluta, illa opus sunt: Kalendarium Ecclesiae universalis ad pristinam revocare descriptionem et formam, salvis tamen pulcris accessionibus, quas ei mira semper Ecclesiae, Sanctorum matris, fecunditas attulerit; Scripturarum et Patrum Doctorumque idoneos locos, ad genuinam lectionem redactos, adhibere; sobrie Sanctorum vitas ex monumentis retractare; Liturgiae plures tractus, supervacaneis rebus expeditos, aptius

disponere. Iam vero haec omnia, doctorum ac prudentum iudicio, labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi aedificium liturgicum, quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem et fidem, intelligenti studio conformavit, rursus dignitate splendidum et concinnitate, tamquam deterso squalore vetustatis, appareat.

Interea ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognovimus ipsis et permultis sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario una cum Psalterio nova ratione disposito suisque rubricis adsint mutationes omnes, quae ipsum novum Psalterium vel iam secutae sunt vel sequi possunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarunt se vehementer cupere, ut et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum translationibus occurratur, et alia quaedam quae bonum videatur mutari, mutentur. Huiusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innix. Nostraeque admodum consentanea voluntati, grate equidem accepimus: iis autem obsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus officinatores librarios, qui sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, exspectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo corrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem adornent Hac uti occasione visum Nobis est; propterea, implorato divinae Sapientiae lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, rogataque proprii cuiusdam Consilii sententia, haec Motu Proprio statuimus, edicimus:

I. — Secundum priscam Ecclesiae consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum praetermittantur. — Itaque nullum festum, ne Domini quidem, statuatur posthac Dominicis celebrandum; ex his tamen excipiatur, ob peculiarem ipsius naturam, ea quae a die prima ad quintam Ianuarii occurrat: quam recolendo sanctissimo Nomine Iesu, propter coniunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, praeter festum sanctissimae Trinitatis, in aliam diem perpetuo transferantur. - Ne forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quae mire facta sunt ad excitandum in animis christianam poenitentiam, eius temporis secundam, tertiam et quartam Dominicam ad gradum I Classis promovemus.

II. — Cum recitationi Psalterii celebratio Octavarum sit impedimento, id ut rarius contingat, in posterum sola duplicia I Classis, quae Octavas integras habent, eas conservent: verum in hisce ipsis Octavis, exceptis privilegiatis, Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavae autem duplicium II Classis solo Octavo die celebrentur et quidem ritu simplici.

III. — Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhaereant Responsoria de Tempore.

IV. — Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quae in Ecclesia universali celebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II Classis.

Iam, quae hic a Nobis praescripta sunt, ea quemadmodum adduci ad effectum debeant, et quid praeterea novi non modo in Breviarium, sed etiam in Missale, quod cum illo congruat oportet, indidem emanet, sacra Rituum Congregatio, peculiaris *Commissionis*, a Nobis institutae consulta sequens, propriis decretis constituet, eademque tum Breviarii tum Missalis novam editionem typicam faciendam curabit.

Has ipsas quidem praescriptiones volumus, statim ut hoc Motu Proprio promulgatae sint, valere. Sed tamen, ratione habita vel Kalendariorum quae iam sunt confecta in annum proximum, vel temporis quod typographi requirunt, sinimus eos, qui ad officium persolvendum Romano utuntur Breviario, tum e Clero saeculari tum e regulari utriusque sexus, his praescriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni MCMXV. Qui vero aliud legitime usurpant Breviarium a Romano diversum, iis sacra Rituum Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem praescriptiones accommodare sese debeant.

Cuilibet autem liceat comparare sibi atque ad horas canonicas recitandas etiam nunc adhibere Breviaria quae sunt in usu, dummodo tamen peculiari in libello habeat, unde Constitutioni *Divino afflatu* ac decretis quae illam subsecuta sunt, obtemperare possit, ac simul quae hoc Motu Proprio Nos statuimus et quidquid eandem in rem sacra Rituum Congregatio decreverit, diligenter observet.

Atque haec omnia constituimus, edicimus, contrariis quibusvis, etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII mensis Octobris MCMXIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. XIII mens. Novembris MCMXIII damnatur, proscribitur atque in Indicem librorum prohibitorum refertur opus cui titulus:

ANTONIETTA GIACOMELLI. *Per la riscossa cristiana.* (Milano, 1913).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Decretum de aliquorum locorum disciplina in initio causarum Servorum Dei emendanda, et de historicis documentis ad ipsas causas recte adhibendis.

De Servis Dei, quorum sanctitudo vitae legitime examinanda curatur, nonnullis maxime locis usu venit,

ut, cum admovetur manus ordinariis processibus instruendis super eorum virtutibus vel martyrio, sacra quaedam solemnia in ecclesiis indicantur, ac signata *Commissione* ad causam pertractandam apud S. Rituum Congregationem, vulgo diffundatur nuntius, non aequo prorsus loquendi modo, Dei Servum, cuius causa introducta sit, *Venerabilem ab Apostolica Sede esse declaratum*, atque inter ea solemnia pro gratiarum actione panegyricae etiam orationes habeantur eaeque saepius adeo immoderatae, ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quae solis beatificatis et canonizatis debetur. Haec animadvertens Ssmus. D. N. Pius Pp. X, ne quid Ecclesiae disciplina detrimenti capiat, primum omnium solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur cum agitur de inchoandis processibus ordinariis, reprobavit et prohibuit: deinde recolendam mandavit declarationem additam die 19 februarii 1658 Decretis f. r. Urbani VIII, *Ne, scilicet, per Commissiones introductionis vel reassumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis, aut indultae venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quodcumque ius, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in eiusdem causis quaesitum dici vel praetendi possit:* denique, adhibito consilio gravium virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei quorum causae posthac introducentur, *Venerabiles* appellari, item solemnia peragi occasione decreti editi super causae introductione. Inhaerens autem sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere. Permisit vero ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum indultae venerationis item argui vel praetendi possit. Praeterea consulens pietati fidelium, qui facile hisce in casibus sacrae occasione solemnitatis decipi possent, putantes fas esse ut beatum colere eum de cuius beatificatione iudicium adhuc apud S. R. C. pendeat, solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel martyrio pariter prohibuit, qua tamen prohibitione impedire non intendit quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione.

Idem Ssmus. D. N. ad rectam tractationem Causarum beatificationis et canonizationis, earum praesertim quae partim historicis monumentis nituntur, vel earum quae subsidiariae probationis privilegio gaudent, illis ipsis in consilium adhibitis quos supra diximus, et exquisita sententia Rmi. Patris Promotoris sanctae Fidei haec constituit:

I. — In omnibus causis, praesertim recentioribus, Rmi. Ordinarii in condendo informativo processu praeter testes qui causae favent, eos etiam universos omnes qui causae adversantur excutiant, nemine excepto, idque sub poena nullitatis, onerata conscientia tum Ordinariorum tum Promotorum fiscalium.

II. — In omnibus causis, praesertim antiquis, cum processu ordinario sive informativo compulsentur omnia et singula historica documenta sive manuscripta, sive typis edita, quae quocumque modo causam respiciant quae agitatur. Ad hoc non modo monendi sunt detinentes iura compulsanda, ut ea Ordinario exhibeant; sed, si res postulaverit, examini subiiciendi erunt sub religione sacramenti custodes cuiusvis archivi vel tabularii sive publici sive privati; summa quoque diligentia et industria curandum est ut cuiuslibet generis documenta ad causam conferentia conquirantur, quae omnia et singula cognoscenda sunt ad normas traditas a fel. rec. Bonedicti XIV, lib. II, c. LII.

III. — Antequam in Congregatione ordinaria discutiatur dubium super introductione Causae, sacrorum Rituum Congregationis erit exquirere, pro re nata, documenta apud Curias, uti vocant, generalitias Ordinum et Institutorum religiosorum tum virorum tum foeminarum, necnon in tabulariis sacrarum Romanarum Congregationum, et ubicumque iure praesumitur ea posse reperiri.

IV. — Omnia et singula documenta, sive compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta, subiiciantur iudicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scriptis doceant de eorum auctoritate et vi.

Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causae, omnia documenta exhibeantur una cum sententia peritorum.

V. — Documenta potiora praecipue ex integro typis edantur, praenotatis nomine auctoris, tempore, loco et ceteris id genus adiunctis, atque inserantur Positionibus super virtutibus vel martyrio, una cum relatione peritorum, quos supra memoravimus, de auctoritate et vi documentorum.

VI. — In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antepraeparatoria et Praeparatoria, animadversionibus Promotoris Fidei praemittatur synopsis vitae Servi Dei cuius causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta, desumpta tum ex testibus tum ex documentis.

VII. — In singulis vero Causis beatificationis, quarum iudicium in praesens apud S. R. Congregationem quocumque modo pendeat, sacra ipsa Congregatio non procedat ad ulteriora, nisi exhibitis, ab interesse habentibus, et exquisitis ex officio documentis iisque omnibus examinatis quo modo supra dictum est.

Quae omnia et singula Sanctitas Sua decrevit et servari mandavit, curaeque et vigilantiae commisit praesertim Secretarii S. R. C. et Promotoris S. Fidei pro tempore, atque in Acta Apostolicae Sedis referri iussit die 26 Augusti 1913.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque Viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Peregrinorum manus ex Pompeiana valle; ex dioecesibus Signina, Rheginensi ceterisque Calabrae provinciae, Sarsinatensi, Aquaependensi, Albae Pompeiae, ex Monte Casino; ex Mexicana et Argentinensi civitate; ex dioecesibus Marsorum, Nolana, Aesernien si et Venafrana, Utinensi, Sublacensi, Tarentina, Uritana, Brundusina, Centumcellarum, Cornetana. Praeterea excmus. vir Firminus Calbeton Blanchon, Legati extraordinarii atque administri cum omni potestate ex Hispania apud Apostolicam Sedem munere functus; revmus. vir Ignatius Ephrem II Rahmani, Patriarcha Syrius Antiochenus una cum Abdul Masiach Patriarcha, ex Monophysitarum factione ad catholicam fidem recens conversus; Septentrionalis Americae classiarii Neapolim appulsi cum navarcha atque centurionibus suis.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per S. C. Consistorialis decreta, SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur Ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: cathedrali eccl. Monopolitanae praefecit sac. Nicolaum Monterisi, canonicum parochum cath. eccl. Barolensis; cathedralibus ecclesiis Potentinae et Marsicensi sac. P. Robertum, in saeculo Achillem Razzòli, Ord. Fr. Min. Unionis Leonianae, iam custodem Terrae Sanctae; titulari eccl. episc. Hippusensi sac. Ioannem Plaza et Garcia, magistrum scholae eccl. cath. Calagurritanae; tit. eccl. episc. Philadelphiensi sac. Dominicum Pasi, parochum eccl. S. Margaritae in dioecesi Faventina, quem constituit auxiliarem Emi. ac Rmi. D. Cardinalis Iulii Boschi, archiepiscopi Ferrariensis; tit. eccl. episc. Cisamensi sac. Henricum Ioeppen, vicarium castrensem exercitus Borussici; cathedr. eccl. Brixiensi revmum. Hyacinthum Gaggia, hactenus episcopum tit. Hadrumetinum; cath. eccl. Iaccensi sac. Emmanuelem De Castro et Alonso, canonicum metropolitanae ecclesiae Vallisoletanae; tit. eccl. episc. Pentacomiensi sac. Franciscum Vidal et Barraquer, archipresbyterum metropolitanae ecclesiae Terraconensis; tit. eccl. episc. Germensi sac. Eduardum Kozlowski, dioec. Grandormensis, quem constituit auxiliarem revmi. dni. Sebastiani Messmer, archiepiscopi Milwaukiensis.

— Rmi. dni. Iosephus Fameli et Henricus Benedetti inter Consultores S. Congregationis Concilii; rr. pp. Marianus Fernandez Ord. Min. et Ludovicus Rivet S. I. atque rmi. dni. Aloisius Sincero, S. Romanae Rotae Auditor, et Salvator Luzio inter Consultores S. C. Religiosorum adnumerantur.

— Purpuratus Pater Octavius Cagiano de Azevedo Praefectus dicitur S. C. Religiosorum.

— Exmus. dnus. Alfonsus Alexander Nouel, archiepiscopus S. Dominici, Delegatus Apostolicus Cubae et Portorici creatur.

Varia.

In Xystino sacello adstante Pontifice die v mensis Novembris decimus anniversarius ex obitu Leonis PP. XIII; ac die XVI decimus anniversarius ex coronatione Pii X P. M. — quem Deus diutissime sospitet — religiosis sollemnibus commemorantur.

ANNALES

In Europa orientali restituta pax.

Qui annum hunc MCMXIII, orientem in sanguine magno cum animi moerore vidimus, decedentem, in Europa saltem, alacri gaudio consalutare iuvat: pax enim inter Graecos ac Turcas et ipsa firmata est. Cuius compositionis auctor praecipuus laudandus est Rumenus civilium rerum administer, qui simplicem hanc de re proposuit rationem: ut scilicet in feriendo foedere conditiones omnes sancirentur circa quas utriusque partis consensus exsisteret; ad Hagense autem tribunal quae in controversia versarentur, deferrentur.

Quo quidem honestae interpretis interventu Rumena civitas eam se auctoritatem acquisivisse ostendit, ut in cunctis Balkanicis quaestionibus, quae futurae sint, certe negligi nunquam possit.

Nunc autem, diuturnae huiusmodi controversiae impedimento sublato, sperare licet fore ut discrimen Albanense, ad quod magnarum civitatum gubernia sollicitudinem suam verterunt ut iuxta statutos iam fines definiatur, decorum et ipsum exitum sortiatur; eoque magis quod De Wied princeps, earumdem civitatum cum suffragio, nomen suum ad Albanensis populi regiam dignitatem obeundam sit palam professus.

***

Mexicanum civile bellum.

In Mexicana regione contra, acerrime semper dimicatur. Huerta ille praeses per vim electus a munere se abdicare renuit pro patriae salute, ut ille asserit. Interea Civitates Foederatae Americae Septentrionalis civiles ex auctoritate publica rationes cum Mexicano gubernio removerunt; extrema tamen experiri adhuc morantur, hac etiam ratione, quod scilicet fieri possit, ut notabiles factionis Huertae adversariae successus res ita mutare valeant, ut exterus interventus inutilis sit exstiturus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Austria** congregatae Vindobonae sunt utriusque civitatis, Austrorum scilicet atque Hungarorum, delegationes; quibus Franciscus Iosephus orationem habuit de difficultatibus praesertim feliciter superatis in Balkanica regione. Deinde communis thesauri rationes in examen revocabuntur.

In **Gallia** nova suffragii iura sancta. Lex nunc agitatur de novo publico foenere contrahendo ad obeundas expensas, praesertim militares.

In **Germania** Von Falkenhayn, novus bellicae rei administer, leges de secreto militari servando deque delatoribus severe puniendis, ipse defendit.

In **Graecia** publico coetui rex orationem habuit, in qua, resumptis praecipuis patriae nuperis eventibus, spes futurae Helladis exposuit.

In **Hungaria** de conditionibus renovandis, quae editorum libertatem dirigant, acerrime disceptatur.

In **Italia,** novis habitis per latius suffragium comitiis, publicus popularium legatorum conventus a rege initiatus.

In **Lusitania** pariter nova comitia habita, quae favorabilia factioni illi quae gubernio praeest omnino cesserunt.

In **Rumenia** per regiam orationem recens civitatis fortuna laudibus sublata.

In **Russia** rogatio legis reiecta de civilibus iuribus omnibus civibus pariter aequaliterque concedendis.

In **Serbia** reditus civitatis recogniti.

In **Sinis** publicus coetus a reipublicae praeside dimissus.

PER ORBEM

Die I mens. Novembris MCMXIII atra procella ab imo vertens mare in Oceano Atlantico naufragia aliasque ruinas, oppidis quoque prope litus positis, praesertim Gallorum Mauritanae coloniae, infert.

— d. IV petrolei cisternae ad Rumenicum oppidum Moreni late incenduntur.

— d. V ex urbibus Melun in Gallia ac Rivi Ianuarii in Brasilia ferriviarum occursus cum magna viatorum clade nunciantur.

— d. VI Aloisius III, Bavarici regis Othonis, viginti iam ac septem annos mente capti, nepos, Bavariae rex renunciatur.

— d. VIII Alafridus Russel, peregrinator illustris ac naturalium disciplinarum doctor insignis, Londini obit.

— d. XIII foeda tempestas Cleveland, Septentrionalis Americae urbem, vastat; lacus ibi supra ripas sese effundentes sata, merces ipsosque homines misere in ruinam trahunt.

— d. XIV Bancay, Peruviana urbs, pene omnis improviso terrae motu subvertitur.

Stocolmae, Nobelium praemium anni MCMXIII de litteris Rabimdranath Tagore, Indico poetae, tribuitur.

Kiamil Pacha, quondam Turcici gubernii praeses ab Enver illo *bey* per vim depositus, conservatorum factionis in sua civitate princeps, exsul Larnacae in oppido Cypri insulae moritur.

— d. XXI Rodulfus Acri, christianae philosophiae, quam docuit in athenaeo Bononiensi, adsertor amplissimus, gravis anni Bononiae placide quiescit in Domino.

Centenaria dies ex quo Batavia integram solidamque libertatem obtinuit, Amstelodami sollemniter revocatur.

— d. XXVI Lutetiae Parisiorum in templo SS. Cordis Iesu ad Montmartre Ludovicus Veuillot, praeclarus ille catholicorum diariorum scriptor, abhinc annos centum natus, coram Purpuratis Patribus Amette et Luçon, pluribusque Galliae episcopis religiose commemoratur.

— d. XXVIII loricata Anglorum nova navis, cui nomen *Emperor of India* Barrow in sinu feliciter in mare immittitur.

In Hispaniae oppido Montevedra piscatorum lata insula flammarum praeda fit.

— d. XXIX incendia pariter, cum damnis maximi momenti, ex navalibus ad Helsingfors, ac Bombay ex urbe nunciantur.

Curruum series vapore actorum Roma recto tramite Neapolim petens, ad Ceccano oppidi stationem in alteram mercibus onustam offendit. Ex collisu viatores quinque necati; viginti circiter vulneribus affecti lugentur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis *eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Letture Costantiniane promosse dal Consiglio superiore nominato da S. S. Pio X e dal Comitato Romano per il XVI centenario della proclamazione della pace della Chiesa. — Romae edid. Desclée et Soc. — (Ven. lib. 3).

Mons. Francesco Heiner. — *La dottrina dei Modernisti confutata,* ossia il Decreto « Lamentabili sane exitu » della Congregazione del S. Ufficio in data 3 luglio 1907 concernente gli errori de' modernisti e la loro condanna, esposto e commentato. — Versione italiana di Mons. Germano Straniero. — Seconda edizione riveduta e corretta. — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

Raymond V. — *La Guida dei Nervosi e degli Scrupolosi.* « Vade mecum » di tutti quei che soffrono e che vedono soffrire. — Opera tradotta in tedesco, inglese, spagnuolo, ecc. — Seconda edizione riveduta e corretta della prima traduzione italiana fatta da Tullia Chiorrini; già aumentata di un capitolo sulla « cura della nevrosi ». — Indidem. (Ven. lib. 3,50).

AENIGMATUM SOLUTIO

Aenigmata in postremis Commentarii fasciculis prop sita his respondent :

Ann. XVI, n. IX : 1) **Aqua** ; 2) **Cinis.**
» » » X : 1) **Infundibulum** ; 2) **S-anguis.**
» » » XI : 1) **Pecten** ; 2) vulgo REBUS : **In pace res crescunt.**

Aenigmata an. XVI, n. IX soluta miserunt :

Petrus Tergestinus. — Iac. Hobban, *Segubia*. — Lud. Bernard, *Gratianopoli*. — Mart. Dunne, *Nco Eboraco*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — I. Ortiz, *Mordilla*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Ant Masia, *Tarragona*. — Fr, Xav. Ghion. *Ostunio*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — Ioac. Meuendez. *Madrito*. — F. X. M., *Drepano*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Hier. de la Plana, *Hispali*.

Sortitus est praemium :

LUDOVICUS BERNARD,

ad quem missa est Milesia Fabula IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI, cui titulus :

ARRAE GORGONIAE.

Aenigmata n. X soluta huc usque miserant :

P. C. Peltenburg, *Sosterwonde ad Lugdunum Batavorum*. — Petrus Tergestinus. — E. Burg, *Monachio*. — F. X. M. *Drepano*. — Lud. Bernard, *Gratianopoli*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*.

Sponsor : IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — EX officina *Societatis Editricis Romanae*.

AD ROMAM

15)

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

SCIPIO.

Et Urbs, depositis moeroris vestibus,
Salutat filium venit qui peregre,
Salutat Patrem, qui restaurat omnia,
Bonique late portat abundantiam.
Salus Tibi, Pie, Felix, qui spoliis
Non cinctus victis exteris provinciis,
Tuis das pacem populis plaudentibus.
Venisti, et bello domito victoriis,
Eris Romanorum novum delicium.
Enim Tu Victor, Augustus, Pacificus,
In aevum cunctis linguis salutaberis. -

(Hic in medium forum, incredibili christianorum laetitia, progreditur MELCHIAS CUM SACERDOTIBUS).

SCENA VI.

MELCHIAS, SACERDOTES *et* DICTI.

MELCHIAS.

Tibi, imperator, ingressuro primitus
In Urbem claram tot in orbe meritis,
Et armis olim celebrem, sapientia,
Placet precari a Deo, Optimo, Maximo,
Fidelis Romae statio sit cum omine,
Tibi, imperator, victor qui in armis venis.
Haec urbs quae multis claruit consulibus,
Dedit sanctas orbi leges et imperium,
Te primum consulem salutat merito.
Honorem sumas quaesitum purpurae
Claris victoriis, multis laboribus.
At nunc pacem cives enixe flagitant,
Malis discerpti diutinis discordiis.
Fac, ut nepotes, annis mox labentibus,
Quae laeta vidimus nobis invideant.
Sit aetas praesens coaequanda veteri,
Novi esto felix restaurator saeculi.
Et Roma laeta te iam dicit filium,
Suis qui visceribus confers auxilium.

CONSTANTINUS.

Quis es tu vir, facundus sic et eloquens,
Qui me salutas verbis honestissimis ?
Vel ipsi aequando Caesari, qui maximus
Est in historiis cunctarum gentium ?
Mihi cura est magnûm sequi vestigia
Eorum grandes quos adpellat veritas.
In Urbem veni non victor aemuli,
Non ut pavorem paucis adversariis,
Pacem sed quaesitam daturus omnibus.

PUBLIUS.

Sed, imperator, magna nos dissensio,
Diis invisa, in partes Urbem dividit...
Abhinc multos annos secta nequissima,
Meis quam labris vix declarare audeo,
Urbem malis vexat, discerpit artibus.
Pax exulavit e Romanis aedibus,
Et cives fessi diuturnis discordiis
Implorant opem, pacem, robur invocant.

CONSTANTINUS.

Velim sed, Publi, nucleasses clarius
Tuam quam miror optimam sententiam.
Enim, quid pace, quid concordia dulcius ?
Tuus totus sum, dic et confidentius.

PUBLIUS.

Est Christianorum turpis haec natio,
Novis quae Romam tamdiu vexat placitis.
En una causa nostrae civitatis mali.
Hunc tolle nobis, Imperator, colubrum,
Suo qui spiritu romanos inficit.

(Sequitur in pag. seq.).

Hisce auditis, multi CHRISTIANI *oculos ad sidera tollunt, quasi ultima quaeque pertimescant, et quae sit imperator dicturus admirantes adspectant, dicentes:*

I. — Adest hora nobis omnium durissima !
II. — Deus nos salvet !
III. — Omen avertat Deus !
IV. — Necem an vitam quid dicturus proferet ?

CONSTANTINUS.

Quid audio ! Novi quid, o Publi, refers ?
Christianos dicis venenatos colubros ?
Novam rem narras prope et incredibilem.
Adest nam tempus, nunc occasio optima,
Ut omne dicam quid de Christo sentio.
Eram puer, matris altus in gremio,
(Bona est mater dulcis mollis et alloquio,
Multis quae a teneris suevit me laboribus),
Nec unquam Christi nomen ad me venerat.
Eius refertos sensus sapientia
Mirabar vivens vel in aulis regiis.
Fui sic odiosus utrique Caesari,
Fui sic periculis multis circumdatus;
Enim rem mecum reputabam tacitus.
Quin saevientes audacius monui...
Et sic evasi caecas vix insidias,
Quas ipsi meae vitae tetenderant.
Modo sed Romam cum venissem proxime,
Sciens amorem, virtutem Maxentii,
Huc illuc anceps mens fluctuabat mea,
Et saepe saepius frustratus exitu,
Ab ipsis procul repulsus moeniis,
Ut hostis Romae semper sed creditus,
Eram Constantinus ad portas Hannibal.
Heic premebar maximis angustiis.....
Meas furens aedes optabam patrias.....
Mihi cum visio vigilanti adparuit.
Suis videbatur verenda vestibus
Urbs adparere scissis omnis crinibus,
Meas repellens copias minaciter,
Altis me vocibus vocitare perfidum.
Hisce visis moestus, moerore percitus,
Invitus statui Romam relinquere.
In altum tacitus levans tunc lumina,
Rem miram vidi inter silentia nubila;
Vidi, nec mentior, nec vidi somnians
Sed experrectus, mente lucidissima.
Erant oppressi gravi somno milites,
Dux vigilabat obrutus angustiis;
Erat Crux radiis splendescens undique
Hisce cum verbis, dicerent quae titulum:
Hoc signo vinces! Somniare credidi...
Oculos frico, videtur mirandum nimis...
Nescio quod magnum suspicor esse nefas!
Et multi mecum milites qui vigilant
Testantur idem vidisse prodigium.
Hinc summo mane vocavi artifices
Novis ornarent qui vexillo litteris
Visis in nubibus. Portant signiferi
Primum gratulantes, et summis galeis
Ferunt gregarii... Stat Crux in medio,
Hinc inde litterae nomen Christi ferunt.
Tuli sub ista proxime victoriam,
In Urbem triumphans sub ista ingredior.
Nec erubescam istam conferre publice,
Erit nec ipsa signum vituperii.
Meus mox praeco voce magna et buccina
Feret Romanis quid de Christo sentiam.
Scio multos adhuc teneri in vinculis,
Modo sequuntur Christi quod sapientiam.
Eis omnem volo libertatem dari,
Matronis, pueris, viris et virginibus...
Tibi sed in primis, Pontifex Optime,
Diu qui passus es ! Sat datum lacrimis:
Refulgeat cunctis pulcra felicitas.
Iuvabit vos tandem decorari lares,
Domos solari candida laetitia.
Valere, Roma, te laetari iubeo !

(Postea buccinae canunt, et MILITES *introgrediuntur, elata voce clamantes: « Io, triumphe! » Et* CIVES *manibus plaudentes, huc illuc prolabuntur, dum* CONSTANTINUS *in pacatam urbem invehitur.* CHRISTIANI *vero gratulantes ad Melchiadem accedunt, qui rerum admirabilium successu commotus, sic suos alloquitur):*

MELCHIAS.

Deo sint Iesu redditae nunc gratiae.
Brevi quam mirum mutabuntur omina !
Modo imperabat duriter Maxentius,
Nostros vexavit, est adgressus aegrius.
Quorum quot effudit sanguinis flumina !
Multos in obscuras detrudit carceres,
Suis ut mactaret deis post victoriam.
At ipse mortuus mediis in fluctibus
Dedit vel inscius quietem Ecclesiae.
Male omnes Christi sic osores transeunt!
Canamus hymnum victoriae Domino,
Solet qui semper ipsis infortuniis
Suam coronis decorare Ecclesiam.
Enim quot martyres nominamus breviter
Senes et iuvenes nobiles et viduas,
Quot aetas edidit virtutum series !
Ex insperato adest imperator recens
Pacem Romanis qui promittit strenuus
Sequi Christum venerari libere,
Eique templa decorare, supplices...
Quam Constantino sunt agendae gratiae !

(Vix hisce prolatis, ex omnibus partibus, quasi ex composito, POPULARES *irruunt exclamantes; atque un-*

(Sequitur in pag. seq.).

dequaque Christianos urgent verbisque et verberibus male habent ac molestant).

POPULARES.

I. — Hi sunt origo quae deturbant agminum
Malorum Romam quae sternunt, opprimunt!
(Videntes Melchiadem eum adgrediuntur).
II. — In flumen sagum, qui inimicus patriae
Suis cum sociis in nos Deos provocant!

OMNES.

In flumen omnes Christi qui discipuli!

(Magna exoritur confusio. Cives incondite huc illuc cursitant, qui eiulant, magna suspiria emittunt, auxilium postulant..... Tunc exauditur praeconis tuba, quae ad silentium atque ad ordinem cives invitat).

PRAECO.

Imperatoris stat voluntas firmiter,
Sit una Romae lex et una gentibus;
Pares regantur cives aequis legibus,
Quas sit violare unum nefas omnibus.
Ex voluntate cuique sit relligio.
Iesum vel Christum si venerari cupis,
Ab isto temporis momento licet,
Deos vel illos quos colebas antea.
Potes sic aedem publicam componere,
Ornare floribus, picturis aureis;
Velis Iunonis ut si Iovis delubra
Adire nullus prohibebit adfatim.
Si vero verbis tentat quis vel opere
Hoc impedire, spernere vel ludibrio,
In crimen sciat delapsurum protinus;
Quod imperator almi vindex Numinis
Luendum minitat poenis et legibus.
Et ipse in vulgus edi nunc desiderat
Tulisse nuper victoriam strenue,
Sperat laturum multas et in posterum,
Iesu Nazareni fultus auxilio:
Et ipse vidit et viderunt milites
Parvis cum copiis stravisse plurimas.
Hic unus adfuit praesenti numine,
Eique gratias agit quam maximas.
Primum sic Romae promulgari perlubet,
Mox per provincias omnes imperii!

MELCHIAS.

O Roma felix, quae regina denuo
Non armis amplius, Christi sed nomine,
Petri super solio dominatur inclyta
Et nunc diffunditur per orbem clarior!

CHRISTIANUS.

Vidisti?

MELCHIAS.

Quid?

CHRISTIANUS.

Legis quae sit subscriptio?

MELCHIAS.

Quae?
Signum Crucis! Miranda res prae caeteris!

ETHNICI *(legentes).*

I. — O morum, temporum, rerum mutatio!
II. — Romae quae pendet maxima calamitas!
III. — Et indignatio crudelis Numinum!
IV. — Nihil fuit Roma gloria pulchrius
Magis duraturum saeculis labentibus!

MELCHIAS.

Quae namque Numinum fuit potentia?
Potens fuit Roma magnos propter viros,
Suam qui egregiam dicarunt indolem.
Deus nomen dedit, potentiam strenuam,
Ei quae nationes colligeret simul
Ut unum exstaret, orbe sic composito,
Corpus, quod una cunctis membris domitis
In unum spiritum tandem coalesceret.
Sic noster olim Cicero conscripserat,
Sic et decoris versibus Vergilius,
Fides sic una videbatur mentibus
Virûm quos Roma protulit rerum parens.

(ETHNICI *ira maxima perculsi e scena prolabuntur clamore. Eorum voces paullatim vix et ne vix quidem audiuntur).*

CHRISTIANI.

Iesu sint actae gratiae quae maximae,
Novum qui generat saeculorum ordinem.
Ei sint gratiae!

(genuflectentes).

Gratiae quam maximae!

MELCHIAS.

Christus sic vincit! Christus regnat et imperat!

CHRISTIANI.

Ei sit nunc honor, decus, et in saecula!

CHORUS.

Crux ave primum reprobis cruenta,
Nunc ades magnum pretium salutis
Omnibus late populis in orbe
Nobile pignus.
Te gerent reges decus et coronam,
Et super fulges galeis superbis;
Gentibus lassis miserata splendes
Palma triumphi.

FINIS.

APUD

SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA - Via del Tritone, 46 - ROMA

excerpta ex Commentario VOX URBIS veneunt, quae sequuntur:

ARRAE GORGONIAE

MILESIA FABULA

JOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI

VEN. LIBELL. 0.60

EUPLIUS

ACTIO DRAMATICA

JOANNIS

B. FRANCESIA

LATINIS VERSIBUS CONSCRIPTA

ET IN TRES ACTUS DISTRIBUTA

EDITIO ALTERA

VEN. LIBELL. 1.00

SATURIO

COMOEDIA

JOANNIS

B. FRANCESIA

VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

ET IN TRES ACTUS DISTRIBUTA

EDITIO ALTERA

VEN. LIBELL. 1.00

QUAELIBET OPERA EDENDA SUSCIPIUNTUR

6, 88, 102, 117, 152, 167

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0315100286

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY

879.5
V948
15-16
1912-13

JAN 10 1962